DISPOSITIONUM EVANGELICARUM Fasciculus octavus,

Editus

à

JOHANNE ADAMO OSIANDRO,
S.S. Theol. D. & Prof. P.

TUBINGÆ,

Impensis JOHANN-GEORGII COTTÆ,
Typis JOHANN-HENRICI REISI.

ANNO M DC LXXV.

VIRO

Plurimùm Reverendo &

Dignissimo

DN. M. PAULO ACHATIO DASERO,

Ecclesiæ Göppingensis Speciali, & vicinarum Superattendenti vigilantissimo, Amico & Cognato honoratissimo.

QUantum sit situm in verâ & sincerâ Amicitiâ non tantùm ex reliquiis Luminis naturalis perspexerunt gentiles, sed & ostenderunt meliore Lumine collustrati Patres, *Ecclesiæ Columina & Lumina.* Optima medicina, *inquit* Cassiodorus, est homini homo, qui ejus remedetur adversis, qui ejus condescendit incommodis, qui gravia levigat, qui amici onera quasi junc-

&o humero ſimul portat. *Nec abſque veritatis calculo; Fingamus enim hominem carere ſocio, ſi mens langueſcat, Corpus ægrotet, bona decreſcant, non habebit deſtitutus hoc præſidio, qui vel auram ſolatii adſpiret, mala mitiget, manu ſubveniat, cum ubi fidus* Achates, *etiam fremente & frendente Invidiâ Conſilium miniſtret in adverſis, ſi non ſuppetat auxilium, incommoda commoditate ſocietatis temperet, aſpera & dura ad minimum ſermonis blanditiis ſcabritie deterſâ mitiora reddat & crucem, quam* DEUS *impoſuit, quæque videtur quandoque ad ima usque depreſſura*

cum ſocio ſuſcipiens, ita portet, ut qui ſuccumberet ſibi relictus, adjuncto altero ferat patienter, quod mutari nefas, agnoſcat eſſe tolerabile, quod ſocietate humeri pondere ſuo minuitur; Et ſanè, ut inimicus, quietis perturbatio, famæ hoſtis, ſalutis naufragium, lætitiæ Exilium, ita ex adverſo omnia ſerena in amico renident, Compendio ſcil. felicitatis. Quæ inter Nos *coaluerit Animorum conſenſio, quo Affectu unus alterum fuerit complexus, cùm adhuc in Juventute noſtra iisdem ſtudiis operam daremus, norunt noſtri coætanei, quumque ut Lux fomento opus habet, ne vaneſcat, Candela Oleo, ne*

exſpiret, Amicitia ſtimulis & affectus conſtantis indiciis, nolui non publicè conteſtari, quod adultum in me, loco quoq; diſcretum immotè perennare & Nomini Tuo, *eâ de cauſâ hunc* octavum Diſpoſitionum mearum faſciculum *inſcribere, nullo niſi affectus ſinceri permotus pondere*: negotiatio enim eſt, ſecundùm Senecã, non amicitia, quæ ad commodum accedit, quæ quid conſecutura ſit, ſpectat. *Epicurus quidem dicebat:* colendum eſſe amicum, ut aſſideret ægrotãti, ut in vincula coniecto ſuccurreret, ut manum periclitanti porrigeret, *ſed* Stoicus *Sapiens, hoc rejecit, atq; prudentem amicum habere velle*

ideo

ideo censebat, ne tam magna virtus jaceret, languesceret & tandem hominum deserens consortia insigni ornamento genus humanum privaret. Nos *mediâ incedimus inter* Epicurũ & Stoicos viâ, *& mercenariam improbantes & sterilem non nimium* cõmendantes. *Nam ut nihil sinceri sperari potest ab illis, qui merã Utilitatem spectant non honestatem, munera, non solatia, à cupido, qui sibi, quid sit utile, sollicitis computat articulis, ita etiam Beneficio amicitiæ in alterum descendit cum* Honestate *Emolumentum, ut rejectis scoriis hanc mediam* Regum sapientissimus *præferat auro & argento, thesauris, qui-*

bus

bus tantum tribuunt homines, & judice Augustino *exceptâ sapiẽtiâ nihil sit melius datũ hominibus, quam infucata istiusmodi amicitia. Suscipies procul dubio Vultu placido, æstimabis non ex mole, sed animo, & constanti propensione in me meosque ostendes, te esse illum, quem in* Majoribus *sanguinis Necessitas mihi junxit, studiorum & affectuum Consensus copulavit, denigz hactenus illibatus amor amicum sincerum esse docuit: in quo ut subsistas, peramanter rogo, mansurus æternum Tui*

Exarabam Tubingæ
3. Febr. 1675.

Studiosissimus

JOHANN-ADAM OSIANDER, D.

DOMINICA I. ADVENT.

MATTH. XXI. vers. 9.

Οἱ δὲ ὄχλοι οἱ προάγοντες, καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες ἔκραζον, λέγοντες, Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου, Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις.

Porrò turba quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes, Hosanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis.

INsigne fuit Spectaculum, cùm ex Exploratoribus quidam Uvam abscissam & super vectem repositam acceperunt in humeros, ita ut unus ex illis præcesserit, in medio pendula fuerit Uva, & tandem alter insecutus fuerit, de quo *Numeror. cap. 13. vers. 20.* Insigne fuit hoc Spectaculum; præcessit enim unus ex Exploratoribus. Venerant missi ad Torrentem *Escol* ita per anticipationem dictum; quapropter abscisso botro uvarum, ut habetur in ebræo, *unus* ex illis humeros suos commodat & præit, ut scil. populo Israelitico deferatur & ostendatur, qui peregrinabatur adhuc in Deserto & anhelabat ad terram promissam, de qua *Exodi 3. v. 17.* Insigne fuit hoc Spectaculum portatus; enim fuit Botrus uvarum. An iidem semper portarint, an vicissim succollarint, quibusdam non est liquidum, interim amœnum fuit spectare tam grandem Botrum medium inter hunc, qui antecessit & secutus fuit illum, qui figuravit *Salvatorem nostrum, Messiam Redemptorem generis humani* Botrum, illum nostri causa in torculari pressum ad sanguinis usque copiosum fluxum, unde etiam *Sulamithis* dicit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi, inter ubera*

mea commorabitur, *Cant. 1. verſ. 14.* Inſigne fuit hoc ſpectaculum; ſubſecutus enim fuit alter portans. Erat *Botrus* hic prægrandis, &, ut quidam volunt, toto Itinere à duobus deportatus, ut igitur *Joſua* anteceſſit ſecundùm quosdam Interpretes, ita ſubſecutus fuit *Calebus*, & ut *Joſua* commendavit terram ſanctam, regionis fertilitatem adeoq; alio fuit prorſus ingenio quàm cæteri, qui ad ſeditionem concitarunt, ita eidem conſpiravit *Calebus*, unde etiam ambo ingreſſi ſunt terram illam benedictam DEO clarè illud ediſſerente: *Servum meum Caleb propterea, quòd alius fuerit Spiritus cum eo, & implevit poſt me, introducam in terram hanc, quam circumivit, & ſemen ejus poſſidebit eam. Num. 14. v. 24.* Ut quondam *inſigne fuit Spectaculum* illud duorum quorum unus præceſſit, alter ſubſecutus fuit in pendente *Botro*, ita longè Illuſtrius fuit *Spectaculum* cum in Ingreſſu Salvatoris noſtri viſi ſunt præcedentes & ſubſequentes, illo medium tenente locum, de quâ circumſtantiâ σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

INſignis concentus Laudum reſonuit Chriſto appropinquanti Urbi *Hieroſolymorum*, ſpecialem igitur ſubjungit *Matthæus* votivam acclamationem voce *Hoſanna* expreſsâ; meminit autem prius illorum qui ita decantarunt & dicit: *Porro turbæ, quæ præcedebant & ſequebantur clamabant.* In quibus Verbis obſervandum, I. quòd Clamorem tribuat Turbæ præcedenti, quæ ſcil. Chriſtum antecedebat & primum in hoc Ordine locum habebat, ut etiam *Marcus* probè obſervat *Marc. 11. verſ. 9.* *Turbæ*, quæ ad feſtum paſchatos ſeſe pararat atque ex lege divina veteri celebrare conſtituerat, de quâ *Exodi 12. v. 21. 22.* *Turbæ*, quæ eum in finem *Hieroſolymam* conceſſerat & cum audiviſſet Chriſtum appropinquare effuſa in occurſum illius properavit, ut *Johannes* notavit *cap. 12. v. 12. & 13.* II. Obſervandum, quòd *Matthæus* innuat *Chriſtum ſecutum fuiſſe* hanc Turbam præcedentem, adeoque fuiſſe medium inter hanc & ſequentem partem tanquam Diſcipulos & auditores ſuos, qui excepturi *Verba illius ex ore ipſius, quæ Roſas & Myrrham ſtillabant Cant. 5. verſ. 13.* tanquam reconciliandos DEO & *aſpergendos hyſſopo ſanguine* fœcundâ, ut quondam *expetitum Pſalm. 51. verſ. 9.* tanquam ſubditos & clientes, qui obſequium conteſtaturi illi,

illi, cujus Sceptrum latè porrigendum, de quo ipse paulò post *Matth. 22. vers. 44.* III. Observandum, quòd Clamorem tribuat Turbæ etiam sequenti, quæ scil. ipsum fuit secuta, & ultimum in Ordine hoc locum habebat, ut etiam *Marcus* accuratè observat *cap. 11. v. 9.* quæ Apostolis sese immiscuerat & aggregarat, quos Christus ad prædicandum Evangelium elegerat *Matth. 10. vers. 8.* quæ denique è Bethania domo afflictionis & angustiæ processerat cum eo & propterea deprædicabat etiam quod fecerat in illo loco, ut *Johannes* notavit *cap. 12. v. 17.*

L. D.

VIdemus, quàm suaviter nobis Consensus fidei in Christum piorum V. & N. Testamenti in hoc Ordine præfiguretur, adumbretur. Præfiguratur nobis Consensus piorum in Christum secundùm explicata I. in multorum præcessione; clamarunt enim illi, qui præcesserunt Christum & adumbrarunt fideles V. T. de quibus *Paulus: Hi omnes testimonium fidei consecuti sunt non acceperunt repromissionem; DEO pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. Ebræor. 11. vers. 39. 40.* clamarunt illi, qui ad pascha V. T. parati & adumbrarunt fideles V. T. de quibus Moses, *Deut. 16. v. 1. & 2. Observa mensem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phase Domino DEO tuo, quoniam in isto Mense eduxit te Dominus DEUS tuus, de Ægypto nocte; immolabisque Phase Domino DEO tuo de ovibus & de bobus in loco, quem elegerit Dominus DEUS tuus, ibi ut habitet nomen ejus ibi.* clamarunt illi, qui *Hierosolymam* intrarunt & adumbrarunt fideles V. T. de quibus *David: Jerusalem, quæ ædificatur, ut civitas, cujus participatio ejus in id ipsum ut illuc ascendant tribus tribus Domini, testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini Psalm. 122. v. 3 & 4.* Ut Viri Juda occurrerunt *Davidi* & cives Hierosolymitani illum præcesserunt in signum consensus cum cæteris tribubus Israel in illum, de quo 2. *Sam. 19. vers. 15. & seq.* ita præcesserunt Christum concinnentes fideles V. T. in signum Consensus in hunc Messiam, ut *Petrus* disertè dicat: *Omnes Prophetæ à Samuele & deinceps, qui locuti sunt, annunciaverunt dies istos. Vos estis filij Prophetarum, & testa-*

menti, quod disposuit DEUS, ad patres nostros, dicens ad Abrahamum: Et in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Actor 3. vers.24.25. Præfiguratur nobis Consensus piorum in Christum secundùm explicata II. ex Messiæ Collocatione; medius ille fuit in his turbis ut ostenderet se medium esse Prophetam & Doctorem, qui utrosque informet, de quo *Esaias: Spiritus Domini super me, eo enim unxit Dominus me, ad evangelizandum afflictis misit me, ad alligandum contritos corde, ad prædicandum captivis liberationem, & vinctis apertionem carceris; Ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem retributionis Dei nostri; ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem fortitudinem lugentibus Zion, & darem eis ornatum pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris; & vocabuntur in eâ arbores justitiæ plantatæ Domino ad glorificandum cap.61. v.1 2. 3.* medius fuit ille in his turbis, ut ostenderet se medium esse Sacerdotem & Mediatorem, qui utrosque sanguine suo respergat, reconciliet, restituat, de quo *Paulus: Unus Deus, unus & mediator Dei & Hominum, Homo Christus Jesus, qui dedit precium redemptionis semetipsum pro omnibus, 1. Tim 2. v. 5. 6.* medius fuit ille in his turbis, ut ostenderet se medium esse Regem & Principem, qui utrosque Sceptro Verbi regat, de quo *David Psalm. 45. v. 7. & 8. Sedes tua Deus, in seculum seculi; virga directionis virga regni tui; dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo Lætitiæ præ consortibus tuis.* Ut quondam medius inter concinnentes *Simon* ingressus est Hierosolymam Doctor Sacerdos & Princeps in signum Consensus populi in illum *1. Maccab. 13. v. 50. 51.* ita *Messias* medius in ingressus est inter turbas in signum Consensus in ipsum omnium piorum, ut *Petrus* diserte dicat: *Non est in aliquo alio salus: nec enim aliud nomen est sub cælo datum Hominibus in quo oporteat nos salvos fieri. Actor. 4 v. 12.* Præfiguratur nobis Consensus piorum in Christum secundùm explicata III. in Multitudinis subsecutione; conspirarunt enim illi, qui secuti & adumbrarunt gentiles, qui è longè, de quibus *Paulus: Sine Christo, alienati à republicâ Israël, & hospites testamentorum, spem non habentes, & sine Deo in hoc Mundo. Eph. 2. vers. 12.* conspirarunt illi, qui Apostoli adhæserunt & adumbrarunt fideles N. T. quique *Verbum* illorum *receperunt non ut hominum, sed ut DEI &c. 1. Thess. 2. vers. 13.* conspirarunt illi, qui è Domo Afflictionis processerunt

serunt

ferunt & angustiæ & adumbrarunt miseros illos, *qui in peccatis ambularunt secundùm seculum hujus Mundi, secundùm principem potestatis aëris Spiritus, qui operatur in filiis diffidentiæ.* de quibus *Paulus Eph. 2. vers. 2.* Ut magna multitudo populi secuta fuit *Solomonem*, conclamans in Signum Consensus *1. Reg. 1. vers. 40.* ita secuti sunt gentiles N. T. in Signum Consensus in hunc *Messiam*, ut *Petrus* diserte dicat: *Nos per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Act. 15. v. 11.*

USUS I. DEHORT.

SI tam insignis Consensus fidei piorum V. & N. T. in Messiam, errant graviter, qui putant *Patres* V. T. præcedentes *Christum*, eundem non cognovisse, collaudasse, respexisse, sed fuisse similes *Isaaco*, qui cæcus aut luscus & proprium non agnovit filium *Jacobum*, de quo *Gen. 27. v. 1. & seq.* quid respondebunt illi *Paulo* dicenti? *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & credentes & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt supra Terram. Ebr. 11. vers. 13.* Errant graviter, qui *Christum* medium non locant inter fideles V. & N. T. sed putant illum demum in N. T. esse exortum & è Muliere tantum natum similes *Pharisæis*, qui nihil in *Messia* voluerunt confiteri, quàm quod *Davidis filius Matth. 22. vers. 41.* quid illi respondebunt ipsi *Christo*, dicenti? *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, & vidit & gavisus est; Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Johan. 8 vers. 56. & 58.* Errant graviter, qui putant subsequentes *Christum* eundem non subsecutos fuisse, sed antevertisse viribus naturæ Mentis & voluntatis similes *Abimaazo*, qui prævenit *Chusi*, de quo *2. Sam. 18. vers. 23.* quid illi respondebunt *Paulo* dicenti? *Miserebor, cujus miserebor, & misericordiam præstabo, cui miserebor; igitur non volentis neque currentis sed miserentis est DEI. Rom. 9. v. 15. 16.*

USUS II. ADHORT.

SI tam insignis Consensus fidei piorum V. & N. T. in Messiam, agnoscamus, *patres* V. T. nos præcessisse fide in

Messiam & jugiter ingeminasse illud: *Quis dabit ex Sion salutem populo Israël? cùm averterit Dominus captivitatem plebis suæ exultabit Jacob & lætabitur Israël.* ex *Psalm. 14. vers. 7.* Agnoscamus Christum esse medium inter fideles V. & N. T. adeoque illum: *qui heri & hodiè & in secula*, de quo *Paulus Ebr. 13. vers. 8.* Denique agnoscamus nos esse subsequentes illum, & propterea ad æterna properantes, juxta monitum illud *Pauli: Ideoq; & nos tantam habentes circumpositam nubem Testium, deponentes omne pondus & tenaciter inhærens peccatum per patientiam curramus in proposito nobis certamine. Ebr. 12. vers. 1. & 2.*

USUS III. CONSOL.

SI tam insignis Consensus fidei Piorum V. & N. T. bono sint animo, qui norunt unam esse Ecclesiam V. & N. T. per Christum: *qui est pax nostra & fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitiam in Carne suâ. Eph. 2. vers. 14.* Si nos *peccatum* fatiget ut illos, qui præcesserunt Christum in via hujus seculi & retardet, atque etiam cum *Assapho* conquerendum: *Mei penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Psalm. 73. vers. 2.* noviimus quod sicut lapsus non obstiterit, quò minus in viâ veteres præcederent Christum, contenderent ad Beatitudinem, ita nec nostra peccata nobis obfutura, quò minus contendamus per viam arctam, de qua *Matth. 7. vers. 14.* Si nos *Ira* DEI fatiget, æstus ille in Via intolerabilis, de qua *Moses: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad infima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. Deut. 32. vers. 22.* novimus Christum esse medium inter DEUM iratum & nos, qui placarit, de quo *Paulus: In ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis ejus, sivè quæ in terris, sive quæ in Cœlis sunt. Et vos cum essetis aliquando alieni à populo DEI, & inimici sensu, in Operibus malis, nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, &c. Coloss. 1. v. 19, 20, 21, 22.* Si denique nos *mala* sequantur, *crux* premat in Via, & fatigent omnis generis Calamitates & experiendum, quàm verum illud Christi: *Si*

quis

quis vult post me venire, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animâ suam propter me, inveniet eam. Matth. 16. vers. 24. 25. novimus nos sequi *Christum*, qui ita præcessit nos & ipse dixit: *Nonne hæc oportuit Christum pati, & in gloriam suam intrare. Luc. 24. vers. 26.* contestatus est *Matth. 19. vers. 28. Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius Hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* ut maneat fixum illud *Pauli 2. Timoth. 2. v. 11. & 12. Fidelis sermo: Nam si mortui fuerimus, & convivemus, si sustinemus & conregnabimus.* AMEN.

DOMINICA II. ADVENT.

LUC. XXI. ψ. 31.

Οὕτω καὶ ὑμεῖς, ὅταν ἴδητε ταῦτα γινόμενα, γινώσκετε, ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.

Ita & vos, cùm videritis hæc fieri, scitote quòd instet regnum DEI.

NOn infeliciter quondam collegerunt sinceri Ministri Davidis Regnum Solomonis esse instans ex indiciis, quæ ab ipso Davide submi-nistrata & introductioni in Urbem Hierosolymorum præmissa, de quo *1. Reg. 1. vers. 38, 39, 40.* Non infeliciter collegerunt quidam instare Regnum Solomonis, quia illi noverant Voluntatem Domini & in aula coram Davide comparere audebant. Erant inter Ministros principes *Davidis Zadock* Sacerdos, *Nathan* Propheta, *Benaja* filius *Jojada*, quia itaq; hi faciem suam elevare audebant coram Rege ministrabant *Davidi*, ideoq; etiã de voluntate illius fiunt certiores tanquam Ministri *fideles*, quales ille *sibi selegit* juxta Effatum: *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecũ, ambulans in viâ immaculatâ ille mihi ministrabat. Ps. 101. v. 6.* Non infeliciter collegerunt quidam instare Regnum Solomonis, quia indicia sese exeruerunt varia,

Non

Non tantum enim *David* advocavit ſuos & mandavit quid exequendum, verùm etiam omnia cæperunt languere ex parte *Adoniæ*, ipſe cum ſuis metu mœrore & triſtitia corripi maxima, anxietate premi ita, ut *quæſiverit Cornua Altaris*, juxta illud Effatum *Sapientis*: [*Frequenter præoccupant peſſima, redarguente Conſcientiâ; cùm ſit enim timida nequitia, dat Teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæva perturbata Conſcientia. Sapient. cap. 17. verſ. 10. 11.* Non infeliciter denique collegerunt quidam inſtare Regnum Solomonis, quia revera erat præ foribus. Juraverat *David Bethſabeæ Solomonem* fore poſt ſeſe Regem, quem viſuri eſſent in Solio Majeſtatis ſubditi, ſub quo florentes acturi feliciter, quem deprædicaturi & celebraturi, quapropter ipſo Opere hæc omnia complentur, vident in Regno eum ſubditi, florent ſub illo, lætantur & tripudiant, atque acclamant: *Vivat Rex facie illius exhilarati*, juxta illud hujus *Regis Proverb. 16. verſ. 15. In hilaritate vultus Regis vita, & clementia ejus quaſi imber ſerotinus.* Non tam feliciter collegerunt quondam miniſtri *Davidis* & alii cum illis inſtare Regnum *Solomonis* illo tempore; longè felicius colligunt illi, de quibus Chriſtus in verbis prælectis, quæ expendenda σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

PRopoſuerat Chriſtus elegantem Similitudinem & dixerat in illius protaſi: *Ab arbore fici diſcite &c.* ſubjungit itaque Apodoſin & addit: *Ita & vos, cùm videritis hæc fieri, ſcitote quòd inſtet regnum DEI.* In quibus Verbis obſervandum, primò quod dicat: Ita & Vos, per ὑμεῖς intelligit non quosvis, ut in protaſi, qui ex ficu dijudicare poſſunt, ſed ſpeciatim pios, illos ſcil: qui capita attollere poſſunt, bono eſſe animo & gaudere mediis in ruinis Mundi, qui poſſunt ἀναχύπτειν cum *Jobo Caput cap. 10. verſ. 15.* qui poſſunt cum incurvatâ attollere & ἀναχύπτειν *Vultum & oculos Luc. 13. verſ. 11.* qui poſſunt ἀναχύπτειν cum Chriſto Salvatore ſe *animo*, atque *corpore* erigere *Joban. 8. verſ. 10.* Secundò quod dicat, ita & Vos cum videritis hæc fieri; nempe ſigna in *Cœlo*, qualia quoque deſcribuntur *Joel 2. verſ. 30, & 31.* ſigna in *Mari* reſonan-

tibus

tibus fluctibus quale quid DEO tributur *Esaiæ 11. vers. 15.* signa in *terra* & intra *hominum præcordia*, quale quid se exeruit in *Gadarenis Luc. 8. vers. 35.* Tertiò quod dicat: Ita & vos cùm videritis hæc fieri scitote, quòd instet Regnum DEI. *Matthæus* & *Marcus* habent quòd *prope sit in foribus*. Per *Regnum* DEI autem hîc non intelligitur *Regnum Gratiæ*, quod in foribus erat surgente *Johanne Baptista*; sed *Regnum Gloriæ*, in quo electi *videbunt* Regem suum *coram*, juxta illud *Davidis*: *Ego in justitia videbo faciem tuam, satiabor, cùm exortus fuero, imagine tuâ. Psalm. 17. v. 15.* æternùm in ætate perpetua *virebunt* & *vivent*, juxta illud *Davidis*: *Justus ut planta virebit & sicut Cedrus Libani crescet. Psalm. 92. vers. 13.* Laudabunt & deprædicabunt lumine lætitiæ DEUM & felicitate plenissima fruentur, juxta illud *Davidis*: *Replebitur risu os nostrum, & lingua nostra exultatione. Ps. 126. v. 2.*

L. D.

VIdemus, Quid Sustentet Ecclesiam Christi, in his terris, mediis quoque in Calamitatibus; nempe Spes æternitatis. Sustentat Ecclesiam Spes æternitatis, 1. ex status Conditione; sunt enim pij tales, qui audent caput attollere ad Cœlum à peccatis, & dicere: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata; beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in Spiritu ejus dolus. Psalm. 32. vers. 1. & 2.* sunt pii tales, qui audent attollere oculos in Cœlum ab ægritudine & miseria hujus Vitæ, & dicere: *Nostra civitas in cœlis est, unde etiam salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui transfigurabit corpus Humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, secundum quam etiam potest subjicere sibi omnia.* ex *Philip. 3. v. 20. & 21.* sunt pii tales, qui audent attollere Corpus & animam cum Christo à Terra, & dicere: *Novos Cœlos & novam terram expectamus, in quibus justitia habitat,* ex 2. *Petri cap. 3. v. 13.* Ut *Rebecca* sustulit oculos & in illa Elevatione vidit *Isaacum* Sponsum, de quo *Gen. 24. vers. 64.* ita quoque piæ mentes se sustentant Spe æternitatis attollendo oculos, & videndo illum, de quo

Sponſa: *Ego dilecti mei ſum, & ad me appetitus ejus. Cant. 7. v. 10.* Suſtentat Eccleſiam Spes æternitatis, II. ex Signorum Contemplatione. Vident enim ſignum ſigno ſuccedere & unum alteri quaſi manum porrigere. vident accedente Judicii die fieri Signa in *Cælo* & compleri illud: *Et tabeſcet omnis militia Cœlorum, & complicabuntur ſicut liber Cæli, & omnis militia eorum defluet ſicut folium de vineâ & de ficu. Eſaiæ 34 v. 4.* vident fieri ſigna in *Mari*, atque compleri illud: *Dedit mare mortuos ſuos, qui in eo erant. Apoc. 20. v. 13.* vident fieri Signa in *terrâ & Corde hominum*, atque compleri illud: *Et adſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti. Zachariæ 12. verſ. 10.* Ut quondam vidit Signa ſibi ſuccedere & unum comitari aliud *Saul* à DEO electus in Regem *1. Sam. 10. v. 9.* ita quoque piæ mentes ſe ſuſtentant Spe æternitatis, videndo ſignum poſt ſignum. atque deprehendunt, quàm verum illud *Johannis cap. 2. v. 18.* Suſtentat Eccleſiam Spes æternitatis, III. ex Regni Appropinquatione. Colligunt enim eſſe piæ foribus illud *Regnum*, in quo videbimus Salvatorem noſtrum, juxta illud: *Chariſſimi, nunc filii DEI ſumus, & nondum apparuit, quod erimus: Scimus autem, quoniam, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. 1. Johan. 3. verſ. 2.* colligunt piæ foribus eſſe illud *Regnum*, in quo æternum vivemus & florebimus in corpore glorioſo, juxta illud: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum, ſtella enim differt à ſtellâ in claritate: Sic & reſurrectio mortuorum: Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloriâ, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute; Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. 1. Cor. 15. v. 42, 43, 44.* colligunt piæ foribus eſſe illud *Regnum* in quo decantabimus Laudes DEI & lætabimur, juxta illud: *Canticum erit vobis ſicut nox ſanctificatæ ſolennitatis, & lætitiæ cordis, ſicut qui pergit cum Tibiâ ut intret in montem Domini ad petram Iſraël. Eſaiæ 30. v. 29.* Ut *Eſther* collegit ex indiciis præviis adeſſe *Gloriæ Regnum* in quod intromittenda *Eſth. 2. verſ. 16. & ſeq.* ita quoque piæ mentes ſe ſuſtentant Spe æternitatis & colligunt appropinquare *Regnum* illud, de quo *Pſalm. Juſti in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces illorum & cogitatio illorum apud Altiſſimum, ideò accipient regnum Decoris, & diadema ſpecioſi de*

manu

manu Domini; quoniam dextera sua teget, & in brachio sancto defendet illos. Sapientiæ 5. v. 16, 17.

USUS I. DEHORT.

SI sustentat Ecclesiam Spes æternitatis ex dictis, non gaudebunt Spe beatæ æternitatis illi, qui non audent oculos attollere ad cœlum, sed demittunt in terram cum illis, *quorum finis interitus, quorum Deus venter est, Phil. 3. v. 19.* nam sequetur illos *projectio in profundum*, de quo *Apoc. cap. 19. v. 20.* Non gaudebunt Spe beatæ æternitatis illi, qui Signa illa non attendunt, similes *Pharisæis*, de quibus *Christus, Matth. 16. vers. 3. Faciem cæli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire.* nam post signa illa completa sequetur illos *summa anxietas*, ut dicturi sint *Montibus & petris: cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super Thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsius, & quis poterit stare?* ex *Apoc. 6. vers. 16, & 17.* Non gaudebunt Spe beatæ æternitatis illi, qui non desiderant adventum Regni hujus, sed horrent cum Epicuræis illis dicentes: *Comedamus & bibamus, cras enim morieamur.* ex *Esaiæ 22. vers. 13.* non gaudebunt illi Regno Gloriæ, sed in *locum Ignominiæ ablegabuntur æternum subjecti*, de quo *Matth. 25. v. 41.*

USUS II. ADHORT.

SI sustentat Ecclesiam Spes æternitatis, ex dictis nos quoque oculos elevemus & cum *Davide* dicamus: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis; Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum nostrum, donec misereatur nostri. Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione, quia multum repleta est anima nostra subsannatione opulentorum, & despectione superborum. ex Psalm. 123. vers. 1, 2, 3, 4.* nos quoque ad signa attendamus, & præparemus animum, *suum* [illegible] *& in*

contaminati. ex 2. *Petr. 3. verſ. 14.* nos denique ad illud Regnum adſpiremus & appropinquationem illius cum gaudio attendamus, & dicamus: *Dicit, qui Teſtimonium perhibet iſtorum, Etiam venio citò. Amen; etiam veni Domine Jeſu.* ex *Apoc. 22. v. 20.*

USUS III. CONSOL.

SI ſuſtentat Eccleſiam Spes æternitatis, bono ſint animo, qui *digni futuro ſeculo Lucæ 20. verſ. 35.* Si *peccata* noſtra quandoque nobis intercipiant Spem æternitatis & jubeant cum *publicano oculos demittere Lucæ 18. v. 13.* novimus ſi fide inſtructi in Chriſtum, poſſe nos quoque oculos in Cœlum attollere & dicere: *Spe ſalvi facti ſumus, Spes autem, quæ videtur non eſt Spes, nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem, quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus.* ex *Rom. 8. verſ. 24, 25.* & cum *Stephano* etiam dicere moribundos: *Ecce video cœlos apertos, & filium Hominis ſtantem à dextris virtutis DEI.* ex *Actor. 7. verſ. 56.* Si *Mundus* per ſigna prodat cottidie, ſe eſſe infenſum nobis, Spem æternitatis intercidere intendat & dicat: *Si eſt verus filius DEI, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum: contumelia & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus & probemus patientiam illius, morte turpiſſimâ condemnemus eum, erit enim reſpectus ex ſermonibus.* ex *Sapientiæ 2. v. 18, 19, 20.* novimus ſi fide inſtructi poſſe nos vincere lætos: *quoniam omne, quod natum eſt ex DEO, vincit Mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit Mundum, fides noſtra. 1. Johan. 5. verſ. 4.* præſignificaſſe hoc Salvatorem noſtrum & dixiſſe: *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, Ego vici Mundum. Joh. 16. v. 33.* Si deniq; *Diabolus* nobis intercipere geſtiat Spem æternitatis, Regno excludere tentet ac *magna ira ejus ultimis* hiſce temporibus nobis *inſtet Apoc. 12. v. 12.* novimus ſi fide in Chriſtum inſtructi *neminem* nos *divulſurum* ab illo & dicturos: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate DEI, quæ eſt in Chriſto Jeſu, Domino noſtro.* ex *Rom. 8. v. 38. 39.* *vitatos* nos in Regno gloriæ Salvatorem noſtrum *à facie ad faciem*

cim, juxta illud *Pauli*: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem de facie ad faciem; nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. 1. Corinth. 13. verſ. 12.* & æternùm vegetos lætosque decanaturos, illud abjectis coram Salvatore Coronis, *Dignus es Domine accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & per voluntatem tuam ſunt & creata ſunt.* ex *Apoc. 4. v. 11.* AMEN.

DOMINICA III. ADVENT.
MATTH. XI. verſ. 5.

Ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδοὺ οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες, ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν.

Age, quid exiſtis ut videretis? Num hominem mollibus veſtimentis amictum? Ecce, qui mollia geſtant, in domibus regum ſunt.

COgnitu facilis quondam fuit Elias Propheta Domini, cùm enim redirent legati Ahaſiæ, dicerent ſibi obvium factum aliquem hirſuti pallii & coriaceæ Zonæ, confeſtim agnovit eundem Ochozias, & dixit: *Ipſe eſt Elias Thisbites*, de quo *2. Reg. 1. v. 8.* Cognitu facilis fuit hic Propheta Domini, quia ſibi legit locum inſuetum & ſingularem. Erat hic *Elias* vir mœſtus, qui cum cordolio vidit miſeriam & ſtatum *Iſraelis*, quapropter deſertum quæſivit, in illo ſibi legit ſedem montem *Carmelum*, ad quem eo ipſo tempore poſt prædictionem completam ſe denuò contulit, imo in quo antea DEUM ſolicitans obtinuit, ut *loſtar palmæ ſurgeret, Nubecula, pluvia cœlum circumdaret, & aqua cuncta labora ſicca terra rigaretur, reficeretur, & ad frugiferandum aptaretur*, de quo *1. Reg. 18. v. 44, 45, 46.* Cognitu facilis fuit hic Propheta Domini, quia ſingulari habitu fuit uſus. Erat hic *Elias* Vir zelo igneo armatus & incenſus, qui deteſtatus idololatriam & dolvit ob cultum collapſum, quapropter ge-

nus vestimenti hispidum & incomptum induit, Zonâ se cinxit coriacea, ut indicaret non esse tempus lætitiæ & voluptatum, sed pœnitentiæ & doloris, cùm Israelitæ & Judæi, si quando peccatorum mensura excreverat, solebant incedere sacco induti, jejunare & *terram injicere Capitibus*, ut constat ex *Nehemiæ 9. v. 1.* Cognitu facilis fuit hic Propheta Domini, quia se totum Samariæ & Aulæ ibidem subduxit. Erat *Elias* Vir candidi animi, qui omnem vulpinam astutiam, sesamum & papaver aulicum aversabatur; quapropter non vult esse ibi, ubi *Achab* Luxum vestium cum *Jezabele* ex *Sidone* introduxerat, mensam regalem instruxerat & parùm verbum DEI curârat, quem secutus *Ochozias*, qui quamvis *Moabitæ* defecissent, & ipse morti proximus, tamen per capitaneos, aulicos & milites *Eliam* sarcasticè Virum DEI compellare jubet, similis patri, qui ita allocutus illum: *Tune es ille, qui conturbas Israël? 1. Reg. 18. v. 17.* Talis Vir quondam fuit *Elias*: consimilis Antitypus illius *Johannes*, qui non tantùm Angelo teste incessit in virtute Spiritus Eliæ, sed & à Christo obtinuit Testimonium dicente: *Quid existis, ut videretis? Num hominem mollibus vestimentis amictum? Ecce, qui mollia gestant, in domibus regum sunt*, de quo οὐν Θεῷ.

EXEGESIS.

NOn tantùm Christus commendavit *Johannem* tanquam *Columnam*, sed & dixit: *Num vultis videre hominem mollibus vestimentis amictum? Ecce, qui mollia gestant, in domibus regum sunt.* In quibus verbis observandum I. ad quos loquatur Christus. Loquitur autem ad populum, ad illos homines, qui quondam exiverunt in desertum, in quo *Johannes* prædicabat, vocem extollebat, pœnitentiam inculcabat, ut constat ex *Matth. 3. v. 1.* qui quondam exiverat versus *Hebronem* montana saltus, in quibus illa sita & ex quibus *Johannes* prodibat *Luc. 1. v. 39.* qui quondam exiverunt ad regionem *Jordanis* vicinam *Enon* & *Salim*, in quâ *Johannes* baptizabat, ut constat ex *Joh. 3. v. 23.* II. De quo locutus fuerit, locutus autem fuit de *Johanne*, atque testatus fuit illum non fuisse hominem ἐν μαλακοῖς ἱματίοις mollibus & splendidis vestimentis, sed pro temporis illius qualitate indutum veste contextâ ex pilis Camelorum

lorum *Matth. 3. v. 4.* nec abundantem cibo delicato & potu generoso, sed procul omni luxu, ut *Lucas* loquitur *cap. 7. v. 25.* qui non cinctus splendidè, sed *Zona coriacea* circa lumbos suos cinctus *Marc. 1. vers. 6.* III. Observandum, quos alienos ab illo producat & de quibus aliis loquatur. Dicit autem: *Ecce, qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt*, non in deserto, sectantur domos Regũ, qui vestibus mollibus induti, ut *Josephus* serico in regno *Ægypti*, de quo *Gen. 41. v. 42.* sectantur aulas, qui Voluptates Luxum cibum & potum abundantem appetunt, ut illi Præfecti principes & ministri *Ahasueri*, quibus *Convivium paravit*, de quo *Esther. 1. v. 3. & seq.* sectantur Domos Regum, qui probè cincti & zonis aureis illusi gaudent ut *Jonathan*, qui fuit in domo Patris Regis, de quo *1. Sam. 18. v. 4.*

L. D.

Videmus, vivam Imaginem veri & genuini Pœnitentiæ Præconis, qui tempore collapsi Cultus & instantis Reformationis, oculos, aures & corda movet, excitat & eò contendit, ut *Christus effigietur in illis Galat. 4. v. 19.* Viva Imago veri Pœnitentiæ Præconis relucet ex Johanne I. in Loci Selectione, quia sibi singularem legit locum prædicationis suæ, attraxit populum in desertum, ut indicaret se *esse vocem clamantis in deserto, parate viam Domini, rectos facite in solitudine semitas DEI nostri. Esaiæ 40. v. 3.* attraxit ad montana Judæ, ut indicaret se esse *Sponsi amicum*, qui diceret de illo: *Ecce, iste venit saliens in montibus, transiliens colles* ex *Cant. 2. v. 8.* attraxit ad regionem *Jordanensem*, ut indicaret se esse limitem V. & N. T. qui profiteri posset: *Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare. Matth. 3. v. 11.* Ut quondam *Moses* habitavit in deserto, ivit ad montem DEI *Horeb*, ad quem postea primores populi se contulerunt, & duxit populum per mare rubrum *baptizans in Nube & Mari Exod. 14. v. 21. & 22.* Ita *Johannes* Præco pœnitentiæ prædicavit in deserto, attraxit versus montana populum & tandem baptizavit, & quidem illo

illo Baptismo, qui secundùm *Christum de Cœlo Matth. 21. vers. 25.* Viva Imago veri pœnitentiæ Præconis relucet ex Johanne II. in Vitæ Conditione, quia singulari habitu incessit; apparuit ille in Veste pilosa, tanquam austerus scelerum Vindex, qui dicere ausus fuit: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à venturâ irâ. Matth. 3. v. 7.* contentus ille fuit *locustis* & aqua tanquam *Naziræus* insignis, de quo ipse Angelus: *Erit magnus coram Domino, vinum & siceram non bibet, & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, & multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. Luc. 1. v. 15.* cinctus ille fuit coriacea Zona tanquam paratus ad pœnitentiam Martyr, qui non tantum vinciendus in Carcerem *Macheruntinum* deducendus, sed & *decapitandus*, de quo *Matth. 14. v. 10.* Ut quondam *Esaias* sacco indutus incessit, temperanter vixit & ad modum orientalium sese succinxit *Esaiæ 20. v. 2.* ita Johannes *Præco* pœnitentiæ veste pilosa induit sese, parcè vixit & se cinxit Zonâ coriacea, verèque dicere potuit: *Ego non subterfugi officium pastoris post te, & diem Hominis non desideravi, tu scis; quod egressum est è labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit.* ex *Jerem. cap. 17. v. 16.* Viva Imago veræ pœnitentiæ Præconis reluxit ex *Johanne* III. in Aulæ Oppositione, quia singularem Antipathiam habuit adversus Aulam. Longè abfuit ille animo ab aulicis mollium vestimentorum, *qui induti sunt veste peregrinâ*, de quibus *Zeph. 1. v. 8. & 9.* Longè abfuit animo ab aulicis, Luxus & Voluptatum studiosis, *vino incalescentibus.* de quibus *Osee 7. v. 5.* Longè abfuit ille animo ab aulicis Zonarum aurearum, de quibus *1. Maccab. 11. v. 57. 58.* Ut quondam *Amos* longè alio fuit animo, atque *Amazia* splendidus, pinguis & dives sacerdos, qui in Regiâ, ita, ut dixerit ad illum: *Hens tu videns abi, fuge in Terram Juda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi, & in Bethel non adjicies ultra, ut prophetes, quia sanctuarium regium est & domus regni est. Amos 7. v. 12. & 13.* Ita longè abfuit animo *Johannes* Præco pœnitentiæ ab aulicis sectantibus mollia vestimenta, delicias & cingula aurea, passus quippe ab aulicis, quæ ipsi *voluerunt* juxta ipsum Christum *Matth. 17. v. 12.*

usus

USUS I. DEHORT.

SI Johannes veri Pœnitentiæ Præconis Imaginem refert, graviter peccant illi, qui non attrahunt populum ad Desertum, montana & aquas *Jordanis*, sed *relictâ vivæ aquæ scaturigine ad Cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* quales describuntur *Jeremiæ 2. v. 13.* quid illis aliquando expectandum? præter id, quod legitur: *Apprehensa est bestia, & cum illâ Pseudo-Propheta, qui fecit signa coram ipsâ, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adoraverunt Imaginem ejus, vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. Apoc. 19. v. 20.* Graviter peccant illi, qui non veræ pœnitentiæ vestem induunt, sed hypocriticam, austeros se simulant, nec dextrè cingunt: *dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias suas.* quales describuntur *Matth. 23. v. 5.* quid illis expectandum nisi confusio? juxta illud: *Et erit in die illâ confundentur Prophetæ, unusquisque in visione sua, cum prophetaverit, nec operientur pallio piloso, ut mentiantur. sed dicet: Non sum Propheta, Homo agricola ego sum, quoniam hominum mancipium fui ab adolescentiâ meâ. Zachar. 13. v. 4. & 5.* Graviter peccant illi, qui non aulæ oppositi, sed illam impenè sectantur, cum *Baalitis* mensæ *Jezabel* assident & cum Pseudo-Prophetis Luci, atque cum *Zedechia placentia* dicunt *Achabo 1. Reg. 22. v. 11.* quid illis aliquando expectandum? nisi illud Epulonis *purpurati Luc. 16. v. 24.*

USUS II. ADHORT.

SI Johannes veri Pœnitentiæ Præconis Imaginem refert, quotquot Johannitæ ad instinctum divinum in desertum huius mundi prodeant, observantes illud Christi: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine P. F. & Spiritus S. docentes eos servare omnia quæ mandavi vobis. Matth. 28. v. 19.* quotquot Johannitæ vestem pœnitentiæ ament, observantes illud Christi: *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei; Beati servi*

illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Luc. 12. 35, 36, 37. quotquot Johannitæ aulam non affectent, sed aversentur, observantes illud Christi: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Matth. 10. v. 9. & 10.*

USUS III. CONSOL.

SI Johannes veri pœnitentiæ Præconis Imaginem refert, bono sint animo, qui vestigia hujus præcursoris premunt tanquam *Angeli præmissi Malach. 3. v. 1.* Si cum *Johanne* in Deserto *Mundi* agendum & Exilio, *in solitudinibus errandum, in montibus & speluncis, & in cavernis Terræ, Ebræor. 11. v. 38.* sciunt sese fore cum *Johanne* ducendos à deserto horridiore ad Ecclesiam N. T. & gratiæ, de quo *Esaias: Lætabitur deserta & siticulosa, & exultabit solitudo & florebit quasi lilium. c. 35. v. 1.* à montanis *Juda* ad Montem *Thabor*, in quo Christus se transfiguravit *Matth. 17. v. 1, 2, 4.* à *Jordanis* flumine ad illum *fluvium, qui purus, splendidus, tanquam christallus, procedens de sede agni & DEI.* de quo *Apoc. 22. vers. 1.* Si cum *Johanne* vilis vestis, atque cingendi sint *contra voluntatem suam Ioan. 21. v. 18.* norunt sese sub villosâ indutos *vestibus justitiæ Esaiæ 61. v. 10.* se *torrente voluptatis inebriandos Psalm. 36. v. 9.* se cingendos honore, gaudio & gloria, atque dicturos, ex *Psalm. 30. v. 12. & 13. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, exuisti me sacco, & circumdedisti me lætitiâ.* Si denique cum *Johanne* ab aulicis persecutionem pati necesse & dicendum: *Adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus. Actor. 4. v. 26.* sciunt sese inimicis malè vestitis *coronandos Psalm. 132. v. 18.* sese experturos illud: *Ecce servi mei comedent & vos esurietis, Ecce servi mei bibent, & vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, vos autem confundemini &c. Esaiæ 65. v. 13.* sese tandem privatis altis cingulo, *cingulum honoris consecuturos* cum *Eliakimo Esai 22. v 21.* Imò dicturum Messiam: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni ideò sunt ante thronum DEI & serviunt ei die ac nocte in templo ejus, & qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esu-*

rient,

vient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque ullus æstus, quoniam agnus, qui in medio throni est, pascet illos, & deducet eos ad vivos fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. ex *Apoc. 7. v. 14, 15, 16, 17.* AMEN, AMEN.

DOMINICA IV. ADVENT.
JOH. I. ℣. 26.

Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰωάννης λέγων, Ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι· μέσος ὑμῶν ἕστηκεν, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε.

Respondit eis Johannes, dicens: Ego baptizo aqua: sed in medio vestrum stat, quem vos nescitis.

INsigne quondam Documentum Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis divinæ fuit, quòd DEUS inter alia germina produxerit, & è terra emergere jusserit Arborem vitæ in medio paradisi, cujus fructus non protoplastis cessit in vitæ conservationem, ad quam ordinatus, de quo *Gen. 2. v. 9.* Insigne Documentum fuit divinæ Majestatis, quòd Arborem produxit vitæ. Creaverat DEUS jam aliqua primo & secundo die, quapropter cùm tertio congregaret aquas & appareret arida, cum illa non tantum apparere fecit flores & gramina, arbores & arbusta, sed etiam inter alias omnes præstantissimam *arborem vitæ*, cujus nomen tribuitur *Messiæ Apoc. 22. v. 1. & 2.* Insigne Documentum fuit divinæ Majestatis, quòd DEUS illam collocavit in medio paradisi. Erat quidem tota terra à DEO benedicta; virebant passim omnia & fructus ferebant, verum hæc *arbor* medium obtinuit locum non quidem mathematicè, sed physicè in *Paradisi* horto *Eden*, loco amœnissimo, ut propterea ipse Moses dicat, *Abrahamum* adhibuisse hanc ab hoc loco loquendi rationem, cùm vellet Regionem pulcherrimam circa *Iordanem* describere *Gen 13. v. 10.* Insigne Documentum fuit divinæ Majestatis, quòd Ar-

borem produxit hominis bono. Erat hæc *Arbor* eo fine condita, ut vitam hominis fructu præstantissimo conservaret, verum protoplasti ad *Arborem scientiæ boni & mali* se convertentes exciderunt Usu illius fructus vitæ, dereliquerunt illam *arborem expulsi*, & non potuerunt nosse & participes fieri ulterius virtutis insitæ, juxta illud *Genes. 3. v. 19.* Hîc Arbor vitæ in medio, quam ostendit *Iohannes*, de quo σὺν Θιῷ.

EXEGESIS.

Dixerat *Iohannes se baptizare aquâ*; ut itaque legatos manuduceret ad *Messiam*, pergit dicendo, *medius autem vestrum stat, quem vos nescitis.* In quibus verbis observandum I. Quis steterit, fuit autem ille *Christus* Salvator noster, cui *Iohannes* præluit prædicando pœnitentiam *Matth. 3. vers.* 2. Ille, quem *digito* demonstravit, ardenter amavit, & de quo dixit: *Ecce Agnus DEI, qui tollit peccata Mundi. Johann. 1. vers. 29.* Ille, cujusjussu & authoritate ipse baptizavit, tanquam Minister & propterea dixit: *Ego baptizo aqua* scil. prope *Iordanem*, de quo *Ioban. 3. v. 23.* II. Observandum, Quomodo steterit, dicit *Iohannes medium stetisse*, palam, in græco habetur vox ἕστηκε in præterito, unde quidam referunt ad Historiam, cùm medius inter Doctores egit, de quo *Luc. 2. v. 46.* verùm non opus est, ut illuc referatur, nec insolens præteritum & præsens commutari, & quidem *medium* μέσον, ut est in textu originario, ἀνὰ μέσον autem usurpatur de *medio decapoleos*, in quo & *Iudæi & Gentiles mixtim habitabant Marc. 7. v. 31.* ἐν μέσῳ usurpatur de *medio Templi*, in quo Doctores & plebei audiebant Verbum *Luc. 2. v. 46.* & tandem μέσος usurpatur de *medio* inter *crucis & latrones*, quorum *unus ad dextram, alter ad sinistram Ioban. 19. v. 18.* III. Observandum, Qui ipsum neglexerint, dicit *Iohannes*, quamvis *Messias* steterit in *medio illorum*, in Terrâ eorum, tamen non cognovisse eos illum, noluisse *agnoscere* illum esse *Messiam*, utpote venientem pauperem & *aliorum ex sub alia strata viventem Luc 8. v. 3.* utpote venientem vilem & humilem, qui *publicanorum socius & peccatorum Matth. 9. vers. 11.* utpote venientem difficilem sacro ordini Pharisæorum & Scribarum, quos sæpè increpavit, reprehendérit, & *genimina viperarum & hypocritas appellarit Luc. 12 v. 56.*

L. D.

VIdemus, Quàm egregiè suo tempore Johannes insinuarit Præsentiam Messiæ, qui tam diu desideratus à Patriarchis, Prophetis & tota Ecclesia Judaica. Egregiè insinuavit Præsentiam Messiæ Johannes Baptista I. Gloriam illi deferendo, removit enim non tantùm à se quod esset *Messias*, sed & præcursorem se esse indicavit & illum, *qui sit vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite in solitudine vias Domini Dei nostri.* de quo *Isaias cap. 40. v. 3.* removit non tantum à se, quòd esset caput Ecclesiæ, sed & *paranymphum* se esse indicavit dicendo: *qui habet Sponsam Sponsus est, amicus autem Sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi, hoc ergo gaudium meum impletum est. Ioh. 3. v. 29, 30.* removit non tantum à se, quòd esset Baptismi Author, sed & ministrum in hoc Sacramento N. T. se esse indicavit: *Ego quidem baptizo vos aqua &c. Matth. 3. vers. 11.* Ut quondam *Elisa Eliæ* honorem tribuit & exhibuit tanquam Magistro. & illi ministravit 2. *Reg. 3. v. 11.* ita *Johannes* quoque *Messiæ Christo* gloriam tribuit & remisit ad illum etiam *in carcere existens suos Matthæi 11. v 2.* Egregiè insinuavit præsentiam Messiæ Johannes Baptista II. Officium describendo, fuit ille in medio Judæorum & Gentium. ut colligeremus ipsum esse *pacem nostram*, qui *Judæos & Gentes adunavit, & fecerit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitiam in carne, legem mandatorum decretis evacuando, ut conderet duos in semetipso in unum novum Hominem, faciens pacem, ut reconciliaret ambos, in uno corpore, DEO, per crucem interficiens inimicitiam in semetipso.* de quo *Eph. 2. v 14, 15, 16, 17, 18.* fuit ille in medio Templi inter doctores & auditores, ut colligeremus, ipsum esse Doctorem illum & Prophetam N. T. eminentissimum, qui de se ipso: *Dominus mihi dedit linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est Verbo: erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quasi Magistrum. Esaiæ 50. vers. 4.* fuit ille in medio inter latrones affixus cruci, medius inter Cœlum & Terram, ut colligeremus ipsum esse *Mediatorem, inter DEUM & homines, qui*

dedit precium redemptionis semetipsum pro omnibus. de quo *Paulus 1. Timoth. 2. v. 5. & 6.* Ut quondam *Aaron* medius fuit inter viventes & moribundos & DEUM ex officio placavit offensum *Numer. 16. v. 48.* ita *Christus* indice *Johanne*, stetit medius inter Judæos & gentiles Doctores & Auditores Cœlum & Terram, & venit tanquam *Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus structuræ, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel, in sancta æternâ redemtione inventâ. Ebræor. 9. vers. 11. & 12.* Egregiè insinuavit præsentiam Messiæ Johannes, III. Ignorantes reprehendo, reprehendit Judæos, quòd paupertate illius offensi non agnoverint ipsum Messiam, qui tamen dixit: *Vulpes foveat habent, & volucres Cœli nidos; filius autem Hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Matth. 8. v. 20.* reprehendit Judæos, quòd Humilitate illius offensi, non agnoverint ipsum Messiam, qui tamen ipse dixit: *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Matth. 11. v. 29.* reprehendit Judæos, quòd parrhesia illius offensi non agnoverint ipsum Messiam, qui tamen dixit: *Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram; Non veni pacem mittere, sed gladium; Veni enim separare Hominem adversus Patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam. Matth. 10. vers. 34, 35.* Ut quondam reprehendit *Caleb Israelitas*, quòd non attenderint *Mosi*, & agnoscere voluerint *Prophetam Domini Numer. 13. v. 31.* ita *Johannes* quoque reprehendit Judæos, quòd noluerant illum agnoscere Messiam, sed offensi fuerint in illo & non observarint, quod ipse dicit: *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Matth. 11. vers. 6.*

USUS I. DEHORT.

SI tàm egregiè insinuavit præsentiam Messiæ Johannes, peccant graviter, qui gloriam Messiæ competentem soli aliis quoque tribuere volunt & *fodiunt sibi cisternas Jeremiæ 2. v. 13.* memores illi sunto illius: *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Esaiæ 42. vers. 8.*

Peccant

Peccant graviter, qui Messiam medium oculo fidei, non respiciunt & amplexantur, sed cum *Gergesæis finibus suis interducunt, expellunt: Matth. 8. v. 34.* memores illi sunto illius: *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Matth. 10. v. 40.* Peccant graviter, qui offensi externis Messiam ignorant volentes & dicunt: *Nos scimus, quòd Mosi locutus sit Deus, hunc autem nescimus unde sit.* ex *Johan. 9. v. 29.* memores illi sunto illius: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Joh. 15. v. 22.*

USUS II. ADHORT.

SI tam egregiè insinuavit præsentiam Messiæ Johannes, huic Messiæ quoq; cum *Johanne* gloriâ tribuamus, dicentes *hic est, qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Reges & sacerdotes Deo & patri suo. Apoc. 1. v. 5, & 6.* hunc Mediatorem vera fiducia apprehendamus dicentes: *vivo autem jam non ego; vivit verò in me Christus, quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* ex *Gal. 2. v. 20.* huic denique Messiæ inquirendi omne studium consecremus dicentes: *volumus Jesum videre. Johann. 12. v. 21.*

USUS III. CONSOL.

SI tàm egregiè insinuavit præsentiam Messiæ Johannes, bono sint animo, qui attendunt illi, de quo Angelus: *Ipse præcedet ante illum, in Spiritu Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam Luc. 1. vers. 17.* Si videatur Christus nobis mutatus in crudelem & proponere illud: *Nescitis, quid petatis: potestis calicem bibere, quem bibiturus sum, & baptizari baptismo, quo Ego baptizor. Matth. 20 vers. 22.* novimus ipsum esse & mancre illum, de quo *Esaiæ cap. 61. vers. 1. 2. 3. Spiritus Domini super me, etenim unxit Dominus me, ad Evangelizandum afflictis misit me, ad alligandum contritos corde, ad prædicandum captivis liberationem, & vinctis apertionem carceris, ut prædicarem annum placabilem Domino,*

& diem

& diem ultionis DEI nostri, ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem fortitudinem lugentibus Zion, & darem eis ornatum pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro Spiritu mœroris, & vocabuntur in eâ arbores justitiæ, plantatio Domini, ut glorificetur. esse illum, qui dicit: *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in justitiâ & judicio, & in misericordiâ & in miserationibus. Hoseæ 2. v. 19. & 20.* esse illum, de quo *Paulus: Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundaret eam lavacro aquæ in Verbo, ut exhiberet eam sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi sed ut sit sancta & irreprehensibilis. Eph. 5. v. 26. 27.* Si videatur nobis Messias, non medius sed remotus *quasi peregrinus in terrâ, & quasi viator declinans ad pernoctandum. Jerem. 14. v. 8, 9.* novimus illum esse medium inter Judæos & gentes, ut possimus dicere: *An Judæorum Deus tantùm? Nonne & gentium? imò & gentium, quoniam quidem unus est Deus, qui justificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Rom. 3. v. 29. 30.* esse medium in Templo & Ecclesia suâ, atque dicere: *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum.* ex *Matth. 18. v. 20.* esse medium inter DEUM & nos, ut possimus dicere: *Quis accusabit adversus electos DEI? DEUS est, qui justificat quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est; imò qui resurrexit, qui & est ad dextram DEI, qui etiam interpellat pro nobis.* ex *Rom. 8. v. 33. & 34.* Si denique videatur nobis Messias nullo splendore coruscus *abjectissimus*, ut *Judæis, ut quodammodo facies coram eo absconderint. Esaiæ 53. v. 3.* novimus illum esse Messiam, illum, qui paupertate nos ditarit *2. Corinth. 8. v. 9.* qui servi forma & contemptu nos exaltarit, & per *crucis* ignominiosam *mortem attraxerit Joh. 12. v. 32.* qui denique parrhesia suâ nobis parrhesiam pararit & *Spiritum illum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater. Roman. 8. vers. 15.* faciturumque aliquando, *ut repleatur risu os nostrum, & lingua nostra exultatione.* ex *Psalm. 126. vers. 4.*

AMEN.

IN FE-

IN FESTO NATIVITATIS, LUC. XXI. ℣. 9.

Καὶ ἰδοὺ ἄγγελος Κυρίου ἐπέστη αὐτοῖς, καὶ δόξα Κυρίου περιέλαμψεν αὐτούς· καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν.

Et ecce angelus Domini astitit illis, & claritas Domini circumfulsit illos: & timuerunt timore magno.

ILlustris quondam fuit Apparitio, quæ post primam facta est Manoe Danitico principi: vidit enim Angelum Domini illustrem, deprehendit eundem in flamma glorioſum & timuit valdè, ut constat ex *Judic. 13. v. 18, 19. & seq.* Illustris fuit hæc apparitio; Venit enim Angelus Domini, qui ipse *Jehovah* cujus *nomen mirabile* & occultum, qui divinâ gaudet claritate, cujus aliquod Apospasmation quandoque Angelis indulget, qui describuntur *ut Ministri quos Deus facit in ignem fulgentem. Psalmo 104. v. 4.* Illustris fuit hæc Apparitio; vidit enim non tantum hunc Angelum Manoah & Uxor sed & flammam quandam singularem. Obtulerat Danitícus hic Princeps; quapropter cùm arderet Holocaustum, Angelus ille Lucem & flammam diffundit, in illa ascendit & omnia illustrat, promissionemque confirmat de *Simsone* filio Solis, Typo Messiæ, quòd scil. ille serenitatem & felicitatem populo suo acquisiturus, eundem liberaturus, atque ita præluſurus illi, quem grandævus Senex *Simeon* excipiens, dixit: *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parâsti ante faciem omnium populorum, Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Luc. 2. vers. 30, 31, 32.* Illustris fuit hæc Apparitio; timuit enim ex illa Manoah. Communis fuit opinio homines morti esse obnoxios, si viderint DEUM, quapropter cùm novisset *Manoah* sese esse mortalem & fragilis corporis, Majestate visâ territus putat se moriturum & eâ de causa Uxorem compellat, fide tamen divinitus animatus iterum animum Spiritusque resumit, & de promissione divina securus lætatur in DEO, atque agnoscit post tenebras tot calamitatum & oppres-

sionis ab hostibus rursum apparere *lucem, refulgere serenitatem*, ut quidem *Tobias* loquitur *cap. 3. v. 23.* Ut quondam Angelus Domini illustri Apparitione sese insinuavit *Danitæ*, ita Angelus Domini in Claritate, quadam divinâ & extraordinariâ affulsit agentibus in Campo, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

QUum Angeli lætentur ministrare DEO, ideoque dicitur: *Non tantum Angelum Domini supervenisse pastoribus, sed & gloriam Domini circumfulsisse illos, & timuisse timore magno.* In quibus Verbis observandum I. Quid circumfulserit, *Lucas* dicit: *Gloriam Domini.* In græco habetur δόξα κυρίου Vulgatus vertit *claritas:* Arabs *gloria Domini*: alii *fulgor* vel *splendor*; & quidem notanter dicitur *κυρίου Claritas Domini*, ut intelligeretur illum esse missum à Domino & propterea divino lumine amictum, atque usurpatur hæc vox de *gloria & splendore Solomonis Matth. 6. vers. 29. de gloria & splendore Mosis & Eliæ apparentium Lucæ 9. v. 30. & 31.* de *gloria* denique & *splendore* ipsius Messiæ adventuri ad Judicium *Marci cap. 13. v. 26.* II. Observandus ipse actus; dicit autem *Lucas* hanc *gloriam & Lucem circumfulsisse illos*, illustrasse noctem, circumfudisse & circumfulsisse illos, ut viderent clarè & dilucidè, ut *Israelitæ* sub *columna Ignis*, *Exod. 13. v. 21.* ut per viam planam deducerentur *Bethlehemum*, domum panis, ubi quondam, habitavit *Boas* & agros habuit, de quo *Ruth. 2. v 1, & 2.* ut denique; invenirent illum, in præsepio, quem expectarunt patres V. T. desiderarunt Reges & Prophetæ tanquam Lumen quoddam splendidissimum orbi inf rendum *Psal. 19. v. 5, & 6.* III. Observandum, quid consecutum fuerit ad illam circumfulgentiam. *Lucas* dicit: *timuisse illos timore magno*, timore magno utpote peccatores, quorum est *timere & fugere* cum protoplastis *Gen. 3. v. 8. & 10.* timore sacro utpote credentes & membra Ecclesiæ, atque reverentiâ quadam demissos, credentium enim timere & reverenter habere Angelos, apparentes cum *Jacobo Gen. 32. v. 2.* timore denique propenso in Inquisitionem & cultum DEI, utpote simplices & sinceros, quorum est timere DEUM, & ad illius voluntatem cum *Abrahamo ambulare Gen. 17. v. 1.*

L. D.

L. D.

VIdemus, Quàm luculenter hoc Angelo designata Nativitas & præsentia Salvatoris nostri. Luculenter designata fuit Nativitas Christi hoc Angelo I. Claritatis Conditione, non enim communi, sed divinâ claritate apparuit Angelus, apparuit illa divina Claritate, quæ designavit *Solomonem* cœlestem, præsentem Regem nostrum, qui ipse dixit postea: *Ecce, plusquàm Solomon hic. Matth. 12. v. 42.* illâ divinâ Claritate, quæ designavit *Mosè* superiorem Prophetam præsentem, de quo ille: *Prophetam de medio tui, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit Dominus Deus tuus, ipsum audies, Deuter. 18. v. 15.* illa Claritate divinâ, quæ designavit *Judicem* extremi dici, majestate divinâ inclutum, qui ipse dixit: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso; & potestatem dedit ei judicium facere, quia filius Hominis est. Ioh. 5. v 26, 27.* Ut quondam noctu præsentia Domini designata fuit per *flammam illustrem* & ardentem *Abramo Genes. 15. v. 17.* Ita designata fuit claritate divinâ Angeli præsentia Domini in terra, ut dici potuerit ex *Ioh. 1. v. 14. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Luculenter designata fuit Nativitas Christi hoc Angelo II. Luminis diffusione, diffusum quippe fuit Lumen insolitum in illo tempore & loco. Diffusa fuit Lux illustrans oculos in Nocte, atque cœpit impleri illud: *Per viscera oris misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris & in umbrâ mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Luc. 1 v. 78. & 79.* diffusa fuit Lux ducens ad viam & per illam ad Ecclesiam, atque cœpit impleri illud: *Et tu Bethlehem Juda, parum es, ut sis in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis. Michæ 5. v 2.* diffusa fuit Lux in diem N. T. proficiens, atque cœpit impleri illud: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus. Malach. 4. vers. 2.* Ut quondam præsentia Domini designata fuit per *Rubum lucentem*, flammantem & lumina diffundentem *Mosi* in deserto *Arabiæ Exod. 3. v. 2.* ita designata fuit Luminis diffusione præsentia Domini in de-

ſerto hujus ſeculi, ut dici potuerit ab ipſo: *Ego ſum Lux Mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris ſed habebit lumen vitæ. Ioban. 8. v. 12.* Luculenter deſignata fuit Nativitas Chriſti hoc Angelo III. Paſtorum Submiſſione; timuerunt enim non exiguo, ſed magno & ſacro timore attendentes. timuerunt præſentes ut peccatores, quibus dicendum: *Exi à me, quia Homo peccator ſum,* ex *Luc. 5. v. 8.* timuerunt ut credentes, quibus dicendum: *Quis poterit ſuſtinere diem adventus ejus, & quis ſtabit, cum apparuerit? ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi ſapo fullonum. Mal. 3. v. 2.* timuerunt ut in obſequium propendentes, quibus dicendum: *Apparuit gratia DEI ſalutifera omnibus Hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, modeſtè, & juſtè & piè vivamus in hoc ſeculo &c.* ex *Titum cap. 7. v. 11. & 12.* Ut quondam præſentia Domini deſignata fuit per flammam & lucem illuſtrem *Aaroni & populo, procidenti in genua Levit. 9. v. 24.* ita deſignata fuit veneratione & timore excitato per lumen præſentia Domini in terra, ut verè dici potuerit: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem Hominem venientem in hunc Mundum.* ex *Ioh. 1. v. 9.*

USUS I. DEHORT.

SI tam luculenter deſignata eſt hoc Angelo Nativitas & præſentia Meſſiæ in his terris, malè agunt, qui exili præſepio illius offenduntur, & cum Judæis dicunt: *Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum & non erat aſpectus, ita ut ipſo delectari potuerimus.* ex *Eſaiæ 53. v. 2.* memores eſſe deberent illius: *Beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Matth. 11. v. 6.* malè agunt, qui Lumen illud diffuſum non attendunt aut excipiunt, & illis ſe confirmant de quibus *Johannes: In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit in propria venit, & ſui eum non receperunt. cap. 1. v. 10, 11.* memores eſſe deberent illius: *Adhuc modicum tempus lumen vobiſcum eſt: ambulate, dum lucem habetis, ut tenebræ vos non comprehendant; & qui ambulat in tenebris, neſcit quò eundat Ioban 12. v. 35.* malè agunt, qui non devotè timent utut peccatores, ſed in peccatis pergunt atque *præferunt tenebras Lucis*

Joh. 3.

Joh. 3. v. 19. memores esse deberent illius: *Filii regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Matth. 8. v. 12.*

USUS II. ADMORT.

SI tam luculenter designata est hoc Angelo Nativitas & præsentia Messiæ in his terris, studeamus, ut hunc *Regem, Prophetam & Judicem* magnificiamus, qui dicere potuit: *Ego te Pater clarificavi super Terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui priùs quam Mundus fieret apud Te. Joan. 17. v. 4 & 5.* Studeamus, ut in hunc Solem respiciamus fidei oculo, qui dicere potuit: *Ego sum radix & genus David, stella splendida & matutina.* ex *Apoc. 22. v. 16.* Studeamus, ut in hunc amicum peccatorum, fidei fundamentum, & omnis honestatis exemplar inclinemus, reverenter appropinquemus, qui dicere potuit: *Respicite ad me, & salvi eritis omnes fines terræ, quia ego DEUS, & non est alius in memetipso juravi, & egredietur de ore meo justitiæ verbum, & non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua. Ergò in Domino dicet, meæ sunt justitiæ & robur, ad eum venient: & confundentur omnes, qui repugnant ei.* ex *Esaiæ 45. v. 22, 23, 24.*

USUS III. CONSOL.

SI tam luculenter designata est hoc Angelo Nativitas & præsentia Messiæ in his terris, bono sint animo, qui confidenter dicunt: *Puerulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super Humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater æternus, princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis, super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in justitiâ & judicio à modo, & usque in sempiternum, zelus Domini exercituum faciet hoc.* ex *Esaiæ 9. v. 6. & 7.* Si urgeat *Vilitas* rerum, *obscuritas generis, Intellectus, & reatus*, atque conquerendum: *Cogitationes mortalium infirmæ, & incertæ providentiæ nostræ: corpus enim*

quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. ex *Sap. 9. v. 14, 15.* novimus divina claritate designatum nobis esse illum *Solomonem*, qui evehat suos ad Regnum, *& faciat Reges & Sacerdotes* DEO *Patri suo.* de quo *Apoc. 1. v. 5. & 6.* illum Prophetam, qui mentem informet atque illustret, de quo ipse populus: *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum. Iob. 6. v. 14.* illum Judicem, qui *humile corpus transformabit configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem virtutis suæ, quâ etiam potest subjicere sibi omnia.* de quo *Phil. 3. v. 21.* Si urgeat *tenebrarum* in hoc mundo magnitudo, Ignorantia congenita, atque dicendum: *Domine nescimus, quò vadis, & quomodo possumus viam scire.* ex *Ioan. 14. v. 5.* novimus Angelum luminis diffusione oculos illustrare, ut Angeli præcones Verbi validè apprecentur *oculos illuminatos cordis, ut sciamus, quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis ejus.* ex *Eph. 1. v. 18, 19.* viam in *Bethlehëmum* serenasse, ut agnoscamus quod ipse dicit: *Ego sum via, veritas, & vita; nemo venit ad patrem nisi per me. Joh. 14. v. 6.* duxisse ad Solem in Nocte in diem culminantem, ut confirmemur in effato DEI: *Ecce dedi Te in lucem gentium, ut sis salus mea, usque ad extremum terræ. Esaiæ 49. v. 6.* Si denique urgeat *peccatorum* moles, Indignitas timorem concitet in Conscientia, atque etiam quandoque dicendum: *Horripilavit à timore tuo caro mea, à judiciis enim tuis timui.* ex *Ps. 119. vers. 120.* novimus effulsisse illum, qui ipse dicit: *Non est opus Medico valentibus, sed malè habentibus; non enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Matth. 9. v. 12. & 13.* illum, qui credentibus subvenit, solatia adspirat ipse dici: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Joan. 7. v. 38.* illum tandem, qui timentibus & in æterna pronis æternitatem assignat, ipse dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Joh. 10. v. 27. & 28.* AMEN.

DOMI-

DOMINICA POST NATIVITATIS, LUC. II. ℣s. 38.

Καὶ αὐτὴ αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἐπιστᾶσα, ἀνθωμολογεῖτο τῷ Κυρίῳ, καὶ ἐλάλει περὶ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ.

Et hæc eâdem horâ superveniens, vicissim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemtionem Hierosolymis.

EGregiè quondam se gessit Miriam, dum ad Mosen respexit, in cætu Mulierum se lætam exhibuit & corripiens organum unâ decantavit carmen Domino, de quo *Exodi 15. v. 20. & 21.* Egregiè se gessit Miriam, dum ad Mosen se recepit & respexit. Erat *Moses* Vir plenus Spiritu, qui DEUM suum potentissimum celebrare intendit, quicquid præstitisset Messias Lumen illud in Columna Ignis probè noverat, qui corde totus in illum propensus tanquam in Rupem & petram suam, quapropter cùm ille inciperet deprædicare Nomen hujus Domini ad illum respicit *Miriam* tanquam ad *Ducem & Principem populi*, ut describitur *Deuter. 33. v. 5.* Egregiè se gessit Miriam, dum in cœtu sese exhibuit lætam. Congregatus erat totus *Israel* post transitum per *Mare rubrum*, constituerant ingentem Numerum viri & fœminæ, atque Ecclesiam Domini in terris repræsentabant, quapropter in illo Cœtu ecclesiastico lætatur *Miriam* tanquam fœmina quædam animata Spiritu, qui postea communicatus septuaginta Senioribus *fecit illos prophetare Num. 11. v. 15.* Egregiè se gessit Miriam, dum cecinit cum Mose. Vidit illa & audivit *Mosen* præcinentem cum viris, ideoque noluit illis cedere, sed arripiens tympanum quoddam instar cribri tintinnabulis cinctum, & pulsat manu, voce, simul modulante, quam secutæ seorsim à viris fœminæ cum tympanis, ut duplex chorus fuerit conspiciendus virorum alter, mulierum alter. & si *Philoni* fides, alternos versus cecinit *Miriam* cum suis quasi *respondens viris*, ferè ut postea totus *Israel*, *Numer.*

21. v.

21. v. 17 & 18. Ut quondam *Miriam* sese egregiè gessit, ita quoque *Hanna*, de quâ σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

DEscripserat *Lucas Hannæ* pietatem; progreditur itaque ad id, quod evenerit & acciderit, dicens: *Et hæc ipsâ horâ superveniens, vicissim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemtionem Hierosolymis.* In quibus verbis observandum I. Quando venerit. *Lucas* dicit ἀυτῇ τῇ ὥρᾳ *ipsâ horâ*, *Beza* reddidit *eo ipso momento*, scil. *quo Simeon* grandævus in brachia suscipiebat Infantem JESUM, & ostendebat tanquam Delicium oculorum, quem *Patriarchæ & Prophetæ tot desiderarunt videre*, teste ipso *Christo Luc. 10. v. 24.* quo eundem commendabat tanquam *Lumen gentium*, qui *illustraturus totum Orbem*, ut ipse *Johannes* loquitur *Joh. 1. v. 9.* quo de ipso prophetabat *tanquam Lapide in Sione* in quem quidam *figendi*, & *ad quem quidam impacturi*, ut *David* loquitur *Psalm. 118. v. 22.* II. Quomodo venerit. *Lucas* dicit ἐπιστᾶσα superveniens opportunè, providentiâ DEI gubernante ex improvisо, non compositо; superveniens autem ad Templum Hierosolymitanum, in quo DEUS habebat *ignem focumque suum Esaiæ 31. vers. 9.* in quo Sacrificia offerebantur cottidie secundum Legem & Præceptum divinum, nec non ad exemplum primæ dedicationis, de quo *1. Reg. 8. v. 5.* in quo denique Cultus divinus vigebat & orationes fundebantur *Lucæ 18. v. 10.* III. Observandum, ad quid venerit, dicit: *Lucas confessam fuisse Domino*, in græco habetur vox ἀνθωμολογεῖτο, quam *Vulgatus* reddidit, *confitebatur fide*, profitebatur fiduciam, quam in corde fovebat erga DEUM, qualis confessio deprædicatur *Rom. 10. v. 9.* alii reddiderunt *gratias egit* pro accepto beneficio, quâ ratione vox ἐξομολογέομαι à quibusdam exposita *Matth. 11. v. 25.* & tandem rectè vertit *Lutherus* per vocem preisen/ hoc est, concinebat *Simeoni* in laudando DEO, & alternabat strophis cum illo, ut quidem hæc vox usurpatur hoc in sensu, *1. Esdræ 3. v. 1.*

L. D.

L. D.

Videmus, Quid deceat hoc tempore, in quo differitur de Adventu Salvatoris nostri salutari non tantum viros, sed & fœminas, nempe insequi Hannam & illius legere vestigia. Insequi debent *Hannam* I. Simeonem adeundo, adeoque illi appropinquare Doctori, qui JESUM exhibet Delicium oculorum, de quo *David: Longè formosissimus es filiorum Hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Psalm. 45. v. 3.* appropinquare illi Doctori, qui JESUM commendat Lucem Cœli, *Solem justitiæ, in cujus pennis sanitas.* de quo *Malachiæ 4. v. 2.* appropinquare illi Doctori, qui JESUM describit Lapidem Sionæum, de quo *Esaias: Ecce ego pono lapidem in Sion, lapidem probatum, angularem, pretiosum, bene fundatum. cap. 28. v. 16.* Ut *Israelitæ* accesserunt *Samuelem*, qui illos ad lapidem *EbenEzer* duxit, & dixit: *Hucusque nobis auxiliatus est Dominus. 1. Sam. 7. v. 12.* ita non tantùm viri sed & fœminæ sequi debent, & accedere illum Doctorem, qui ipsis exhibet Delicium oculorum, Lucem gentium & Lapidem Salutis *super quem ædificata Ecclesia*, de quo *Paulus: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus. 1. Cor. 3. v. 11.* Insequi debent *Hannam piæ Animæ* II. Templum frequentando, adeoque requiem quærere in illo Loco, ubi DEUS habitat & assistet, dixit & promisit: *In omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad Te. Exod. 20. v. 24.* requiem quærere in illo loco, ubi de Sacrificio N. T. prædicatur & dicitur: *Christus una pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet, inde exinde DEI, de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus ad scabellum pedum ejus; unâ enim oblatione consummavit in sempiternum eos, qui sanctificantur. ex Ebræor. 10. v. 12, 13, 14.* requiem quærere in illo loco, ubi orationes fiunt ut & Exercitia sacra vigent, *ad quo David: Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas; cujus participatio ejus in idipsum, ut illuc adscendant tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini. Psalm. 122. v. 3. & 4.* Ut *Israelitæ* confluxerunt ad Tabernaculum, ubi DEUS igne respondit hostias

offerebantur & preces *Levit. 9. v. 23, 24.* Ita non tantum Viri sed & fœminæ conferre se debent ad Templum Domini, in quo sacra vigent, & dicere ex *Psalm. 26. v. 8. Diligo habitaculum Domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Insequi debent *Hannam* III. DEUM Concelebrando; adeoq; confiteri JESUM, ex verâ cordis fiduciâ dicere: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus; quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii* DEI, *qui dilexit me, & semetipsum tradidit pro me. Gal. 2. v. 20.* gratias agere pro Beneficiis Incarnationis, Passionis & cæteris, dicere: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutis accipiam, & de nomine Domini prædicabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.* ex *Psalm. 116. v. 12, 13, 14.* alternis strophis certare & dicere: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus simul. Psalm. 34. v. 4.* Ut quondam *Israelitæ* confessi sunt DEUM, gratias egerunt pro Beneficio liberationis, & concertarunt, inprimis verò fœminæ & virgines debellato *Goliatho 1. Sam. 18. v. 6. & 7.* ita non tantùm viri, sed & fœminæ debent confiteri fidem, deprædicare Beneficia Domini & certatim contendere: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & psalmum dicam Domino. Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exsurgam diluculo; confitebor tibi in populis Domine, & psalmum tibi dicam in gentibus; quoniam magnificata est usque ad nubes veritas tua. Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.* ex *Psalm 57. v. 8, 9, 10, 11, 12.*

USUS I. DEHORT.

SI decet inprimis hoc tempore non tantùm viros, sed & fœminas insequi Hannam, graviter peccant illæ, quæ non *Simeonem* accedunt Senem Christum monstrantem, sed *Juvenem stolidum* cum illâ *fœminâ: Qui transit per plateas juxta angulum & lentè per viam, quæ ducebat ad domum illius, incedebat, in obscuro advesperascente die, in noctis tenebris & caligine.* de qua *Proverb. 7. v. 8, 9. & seq.* hoc enim non est imitari *Hannam*, hæc non est via illius, sed illa via, *quâ pedes incedentis descendunt in mortem, & ad inferos gressus ejus penetrant. Proverb. 5. v. 5.* Peccant graviter, illæ

illæ, quæ non Templum Domini frequentant, sed Templum *Baalis* cum *Jezabele* amant, & illius sacra, de quo *1. Reg. 16. v. 31, 32.* hoc enim non est imitari *Hannam*, hoc iter non est ad Cœlum, sed igneum lacum, *stagnum ignis ardentis sulphure.* de quo *Apocal. 19. v. 20.* Peccant graviter, illæ, quæ non confitentur, gratias agunt & hymnis concertant, sed *relabuntur à fide* cum illis, *quæ primam fidem irritam fecerunt.* de quibus *1. Timoth. 5. v. 12.* hoc non est imitari *Hannam*, hoc non ducit ad lætitiam & cantica æternitatis, sed *tristitiam & lamentum loci exterioris: Ubi erit fletus & stridor dentium.* de quo *Matth. 8. v. 12.*

USUS II. ADHORT.

SI decet inprimis hoc tempore non tantùm viros sed & fœminas insequi Hannam, benè agunt, quicunque in Christum respiciunt & tanquam *lapides vivi* sese eidem *inædificant*, juxta monitum illud *Petri: Ad Christum accedentes lapidem vivum, ab Hominibus quidem reprobatum, à DEO autem electum, ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, in sacerdotium sanctum, offerentes Spirituales hostias, acceptabiles DEO per Jesum Christum. 1. Ep. 2. v. 4. & 5.* Benè agunt, qui cum *Hanna* ad Templum respiciunt & dicunt: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus, stantes erunt pedes nostri in tuis portis Jerusalem.* ex *Psalm. 122. v. 1, & 2.* Benè agunt, quicunque fidem confitentur, DEO gratias agunt & alternatim Hymnos decantant & dicunt: *Qui tribulant me exultabunt, si motus fuero, ego autem in misericordiâ tuâ speravi. Exultabit cor meum in salute tuâ, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini Altissimi.* ex *Psalm. 13. v. 6, & 7.*

USUS III. CONSOL.

SI decet inprimis hoc tempore non tantùm Viros sed & fœminas insequi Hannam, benè agunt observantes monitum *Syracidis: Qui timetis Dominum diligite illum, &c. Syrac. 2. v. 10.* Si videatur *Christus* nostris oculis subductus vel *transfor-*

formatus in *crudelem*, *& durâ manu ostendentem*, *se esse inimicum nostrum.* ex *Jobi* 30. *v.* 21. novimus in brachiis Simeonum & Doctorum adhuc illum exhiberi nobis, tanquam Delicium oculorum *candidum & rubicundum*, *electum ex millis millibus.* ex *Cant.* 5. *v.* 10. tanquam *Lucem gentium* ex *Esaiæ* 49. *v.* 6. tanquam *Petram Ecclesiæ Matth.* 16. *v.* 18. ut possimus dicere: *Nos superædificati sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari Lapide Jesu Christo: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* ex *Ephes.* 2. *v.* 20, & 21. Si videatur *Exilium* esse præ foribus, & conquerendum: *Effudi in me animam meam, quia transibo cum caterva, & ambulare ad domum DEI.* ex *Psalm.* 42. *vers.* 5. novimus DEUM ducere nos per providentiam suam usque in seram ætatem ad Templum, in quo habitat, imò dicere de corde nostro: *Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & illi erunt mihi populus.* 2. *Corinth.* 6. *v.* 16. ad Templum, in quo sacrificium illud consummatum *Filii*, imò cordi nostro appropriatum, de quo *Paulus*: *Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Eph.* 5. *v.* 2. ad Templum, in quo orationes ipsi fiunt & in quo dicere possimus: *Domine clamavi ad Te, festina ad me, intende voci meæ, cùm clamavero ad Te; dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sicut sacrificium matutinum.* ex *Psalm.* 141. *v.* 1. & 2. Si denique videatur nobis *silendum* & lamentandum dicendumque: *Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis, & dolor meus renovatus est: concaluit cor meum intra me, & in meditatione meâ exardescet ignis.* ex *Psalm.* 39. *v.* 3, & 4. novimus si cum *Hanna* hîc confiteamur, gratias agamus, & concertemus hymnis confessionum, retaliaturum Christum: *Omnis enim qui confitebitur illum coram Hominibus, ego quoque confitebitur coram Patre meo, qui in cœlis est. Matth.* 10. *vers.* 32. gratiarum actionem pro beneficiis aucturum & novis beneficiis cumulaturum: *Quoniam qui eum desiderat, liberabit eum, protegit eum, quia cognovit nomen ejus, est cum ipso in tribulatione, glorificabit eum, longitudine dierum replebit eum, & ostendit illi salutare suum. Ps.* 91. *v.* 14, 15, 16. & tandem ducturum illuc ubi Seraphim alternatim canunt, atque impleturum illud: *Canticum erit vobis, sicut nox sanctificatæ*

cata solennitatis, & lætitia Cordis, sicut qui pergit cum tibiâ, ut intret in montem Domini ad petram Israël. Esaiæ 30. v. 29. AMEN.

DOMINICA CIRCUMCISIONIS, LUC. II. ℣. 21.

Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν τὸ παιδίον, καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦς, τὸ κληθὲν ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου πρὸ τοῦ συλλημφθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ κοιλίᾳ.

Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum erat ab Angelo, priusquam in utero concipieretur.

ILlustris quondam fuit Abraham suo tempore, utpote singulariter à DEO illuminatus, eidem sacrificans & magni æstimatus inter populos, de quo *Syrach: Abraham magnus Pater multitudinis gentium, & non est inventus similis illi in gloriâ, qui conservavit Legem Excelsi, & fuit in Testamento cum illo. cap. 44. v. 20.* Illustris fuit Abraham suo tempore, utpote Propheta domini. Erat ille quidem in *Ur Chaldæorum* devius à vera Religione & Idololatra: verùm eductus illustratur singulariter, & ab ipso DEO *Propheta* vocatur coram *Abimelecho*, plantat arbores in *Bersaba* & prædicat de Nomine Domini, obtinetque Testimonium à DEO quòd posteris sit *expecturus verbum, mandaturus ut servient & faciant bonum Gen. 18. v. 19.* Illustris fuit Abraham suo tempore, utpote Sacerdos Domini. Dedit quidem decimas *Melchisedeko*, qui Sacerdos in *Salem*, de omnibus: verùm & ipse fuit Sacerdos, qui nunc hîc nunc alibi Altare erexit ad Exemplum Majorum sacrificavit, & vivum quali Exemplar vidit sacrificii consummati in *Isaaco* ducto in montem *Moryah Gen. 22. v. 9.* Illustris fuit Abraham suo tempore, utpote Princeps suorum. Erat quidem ipse absque territorio, nec vestigium pedis habuit in terra *Canaan*, nunc

in *Mambre*, nunc in *Geràr*, nunc in *Berſeba* habitacula figens, verùm ſuæ familiæ præfuit ampliſſimæ, vernas potuit armare 300 & ſubvenire *Lotho*, nec non promiſſionem accepit, quòd Reges ex illo prodituri, unde etiam *Ephron* ipſum ſalutavit *Principem* DEI *Geneſ. 23. v. 11.* longè illuſtrior ille, qui Semen *Abrahæ*, in quo *omnes benedicendæ gentes*, de cujus Nomine proprio σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

QUanquam multa ſint Nomina in Scripturis, quibus *Meſſias* inſignitur; eminet tamen illud, quod illi impoſitum in Circumciſione, nempe Nomen JESU, quod notat Salvatorem, qui *populum ſuum* expoſitore Angelo ſit *ſalvaturus à peccatis Matth. 1. v. 21.* Salvaturus *primò* à peccatis, reducendo à via Iniquitatis, & oſtendendo illam, quæ ducit ad Beatitudinem æternam, ita ut *Legem repurgaturus, ſeſſurus & filios Levi purificaturus tanquam Aurum & Argentum Malach. 3. v. 3.* ut Evangelium *contritis annunciaturus labiis gratioſis Pſalm. 45. v. 3.* conſtituturus, qui utrumq; proponant ſalutariterque jungant, dicturusq; : *Ecce, Ego do Sioni prædicatores Eſaiæ 41. v. 27.* Salvaturus *ſecundò*, à peccatis, ſatisfaciendo & patiendo pro illis, ita ut obedientiam præſtiturus noſtro loco & dicturus: *In volumine libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam Deus meus, delectatus ſum, & legem tuam in medio cordis mei.* ex *Pſalm. 40. v. 9.* ita ut paſſurus & in mortem ſe obl turus, ſuſcepturus noſtra peccata ut victima, *ut illius livore ſanemur. Eſaiæ 53. v. 5.* interceſſurus pro nobis tanquam *Sacerdos* in *æternum ſecundùm ordinem Melchiſedek, Pſalm. 110. v. 4.* Salvaturus *tertiò* à peccatis, paſcendo, tuendo & conſervando ad æternam vitam, ita ut ſuos *paſturus tanquam Paſtor gregem Ezech. 34. v. 23.* ut ab hoſtibus tum ſpiritualibus, tum corporalibus defenſurus, & *in medio inimicorum dominaturus Pſalm. 110. v. 3.* ut tandem è mortuis revocaturus ſuos, Regno Gloriæ beaturus u agnituri ſint *ipſum eſſe dominum, qui ponet Spiritum ſuum in illis, & vivent. Ezech. 37. v. 14.*

L. D.

L. D.

Videmus, Quòd Nomen JESU, cui toties in V. T. præluſum, quod Meſſiæ datum in Circumciſione, quodque ſignat primum diem in Anno hoc, ſit Summa, Epitome & Compendium omnium Beneficiorum illius, qui Mediator inter Deum & homines. *1. Timoth. 2. v. 5.* Compendium omnium Beneficiorum Mediatoris eſt Nomen JESU I. in Muneris prophetici Qualitate, quia comprehendit Beneficia omnia Magni *Prophetæ* N. T. ſiſtit enim illum, qui Legem perfectè repurgavit & explicavit, dicens: *Nolite putare, quoniam veni ſolvere Legem aut prophetas; non veni ſolvere, ſed adimplere. Matth. 5. v. 18.* illum, qui *Evangelium pauperibus prædicavit Lucæ 4. verſ. 18.* illum, qui Miniſterium Legis & Evangelii conſtituit & quosdam *poſuit Apoſtolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem paſtores & Doctores, ad præparationem Sanctorum in opus Miniſterii in ædificationem corporis Chriſti Eph. 4. v. 11.* & 12. Inſignitus quidem fuit quondam *Oſeas* nomine ſignificationis comparis, qui Legem & Evangelium *Iſraelitis* prædicavit *Propheta*, ad quem *factum verbum Domini. Oſeæ 1. v. 1.* At quis *Oſeas* ad *Meſſiam*, qui Legē repurgavit, Evangelium prædicavit, Miniſterium conſtituit, atque ipſo facto ſeſe oſtendit illum, de quo *Moſes: Prophetam de medio tui, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus DEUS tuus, ipſum audies. Deut. cap. 18. verſ. 15.* Compendium omnium Beneficiorum Mediatoris eſt Nomen JESU, II. in Muneris Sacerdotalis Ubertate, quia comprehendit omnia illa Beneficia magni *Pontificis N. T.* deſignat illum Sacerdotem, qui obedientiâ perfectiſſimâ inclytus ipſe dixit: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus. Johan. 4. v. 34.* deſignat illum Sacerdotem, qui victima corporis ſui ſatisfaciens *peccata nostra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* de quo *Petrus 1 Epiſt. cap. 2. v. 24.* deſignat illum Sacerdotem, qui *jugiter* pro nobis *intercedit 1. Joh. 2. v. 1.* Inſignitus quidem fuit quondam *Joſua* nomine ſignificationis ejusdem Sacerdos poſt Babylonicam captivitatem,

qui

qui DEO obsequens, *vestibus immundis* fuit indutus & *pro populo intercessit*, ornandus & exaltandus *Zach. 3. v. 1. & seqq.* At quis *Josua* Pontifex ad *Messiam*, qui obedivit Patri ex asse, passus fuit pro nobis & intercedit adhuc, de quo *Paulus: Accedens summus pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus structuræ, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventâ. Ebr. 9. v. 11. & 12.* Compendium Beneficiorum omnium Mediatoris est Nomen JESU, III. in Regii Muneris Sublimitate, quia comprehendit Beneficia omnia Magni *Regis* N. T. Sistit enim illum, qui nos *pascit & novit Joh. 10. v. 14.* illum, qui nos tuetur & *defendit* adversus hostes *gladio exserto & virgâ ferreâ Apoc. 19. v. 15, 16.* qui denique nos ducit ad Regum Gloriæ & *ovibus dat vitam æternam Johan. 10. v. 28.* Insignitus quidem fuit quondam *Josua* nomine significationis compatris, qui tanquam Pastor pavit populum, defendit, & introduxit in Terram *Canaan Numer. 27. v. 17.* At quis *Iosua* Princeps ad *Messiam*, qui pascit & regit, tuetur & defendit, atque ducit ad vitam æternam, dum *extollit suos usque in æternum. Psalm. 28, v. 9.*

USUS I. DEHORT.

SI Compendium omnium Beneficiorum Nomen JESU, Caveamus ne huic Prophetæ *corda obturemus Psalm. 95. v. 8.* ne exscindamur juxta illud: *Qui verba Prophetæ, quæ loquetur in in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Deut. 18. vers. 14.* Caveamus ne hunc Sacerdotem contemnamus, dicentes: *Alios fecit salvos, seipsum non potest salvum facere.* ex *Matth. 27. v. 42.* ne *nulla supersit Hostia Ebr. 10. v. 26.* Caveamus ne rebellemus adversus hunc Regem & dicamus: *Nolumus hunc regnare super nos.* ex *Lucæ 19. vers. 14.* ne *sceptro ferreo in irâ confringat Psalm. 2. vers. 9.*

USUS II. ADHORT.

SI Compendium omnium Beneficiorum Nomen JESU, studeamus, ut hunc Propheram, qui *habet verba vitæ æternæ,*

Joh.

Joh. 6. v. 68. audiamus. Suscipiamus hunc Sacerdotem, qui *purificat conscientias nostras ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi Ebr. 4. v. 14.* Subjiciamus nos huic *Regi cujus jugum suave Matth. 11. vers. 30.*

USUS III. CONSOL.

SI Compendium omnium Beneficiorum Nomen JESU, bono sint animo, qui dicunt cum *Petro: Non est in aliquo alio salus; nec enim aliud nomen sub cœlo datum Hominibus, in quo oporteat salvos nos fieri. Act. 4. v. 12.* Si urgeat Infirmitas Intellectus, & dicendum: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem; & difficile æstimamus, quæ in terrâ sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore, quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?* ex *Sap. 9. v. 15. & 16.* en JESUM Prophetam N. T. qui *legem dedit* ex *Sinai Actor. 7. vers. 38.* qui *Evangelium prædicat contritis Matth. 11. v. 28.* qui *Ministros constituit erudientes juxtà cor ipsius, qui nos pascent scientiâ & doctrinâ. Jeremiæ 3. v. 15.* Si urgeat *peccatum, Maledictio legis, Conscientia accusans*, atque conquerendum: *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, in acuto adamante, exaratum super tabulam Cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.* ex *Jeremiæ 17. v. 1.* En JESUM Sacerdotem, qui *finis legis in Justitiam omni credenti Rom. 10. v. 4.* qui *una oblatione consummavit in sempiternum eos qui sanctificantur. Ebræor. 10. v. 12, 13, 14.* qui *interpellat pro nobis Ebr. 7. v. 25.* Si denique urgeat *Diabolus*, per hostes Ecclesiam destruere intendat, & Regnum Messiæ evertere, ut conquerendum: *Consultarunt unanimiter, simul adversum te fœdus inierunt, tabernacula Idumæorum & Ismelitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon, & Amalec, Philistiæ cum habitantibus Tyrum.* ex *Psalm 82. v. 6, 7, 8. &c.* En Jesum Regem, qui *pascit & in pascuis herbosis cubare facit. Psalm. 23. vers. 2.* qui defendit & tuetur: *Quia ignis ante ipsum præcedit & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Psalm. 97. v. 3.* qui denique ducit suos ad Regnum Gloriæ & *facit sedere in Throno suo Apoc. 3. v. 21.* FINIO & à DEO Omnipotente toti cœtui huic apprecor felicem, pacificum & benedictum,

&tum Annum ex imò pectoris. Coronet DEUS etiam hunc Annum benignitate suâ; pacem finibus nostris indulgeat, ut radicemus & crescamus; conserva Sereniss. Patriæ patrem sanum & incolumem Domum Illustrissimam, Celsissima germina ut floreant: *ut sint sicut paradisus in benedictionibus, Syracidis 40. v. 17, 18.* Gratiæ Tibi maximè Propheta magne, N. T. quòd in præterito proposuisti tuam legem, quæ *Judex cogitationum cordis & sensuum Ebr. 4. v. 12.* quòd Evangelium insinuasti, quod *potentia DEI ad Salutem Rom. 1. v. 16.* quòd Ministerium nostrum conservasti, quod *Ministerium Spiritus 2. Corinth. 3. v. 6.* fac quæso, ut porò in hoc anno alluceat tua Lex, quæ *dilectionem DEI & proximi urget Matth. 22. v. 37.* diffunde Evangelium illud, quod *odor vitæ ad vitam 2. Cor. 2, v. 16.* da porrò Doctores Justitiæ *pluviam matutinam & serotinam Joel. 2. v. 23.* ut ex lege agnoscamus peccatum, *humiliter & justè*, atque *temperanter vivamus in hoc seculo Tit. 2. v. 12.* ut Evangelii *fructus labiorum* excipiamus in Conscientiis *pacem pacem Esaiæ 57. v. 19.* ut porrò congregemur ad fontem Israelis, ubi *regnat Benjamin adolescentulus, principes Juda cum extuscio, principes Zabulon, principes Naphthali. Psalm. 68. vers. 28.* Gratiæ Tibi Magne Sacerdos N. Testamenti, quòd obedientiam præstitisti, atque exhibuistite *Sacerdotem pium & incontaminatũ Eb. 7. v. 26.* quòd te ipsum *exhibuisti victimam propeccatũ Odorem suavitatis, Eph. 5. v. 2.* quod *interpellasti* pro nobis, qui quondam in cruce intercessisti *Luc. 23. vers. 34 reconciliasti Rom. 5. v. 10.* fac ut hoc in Anno tua Obedientia sit nostra & *Justitia Legis in nobis impleatur Rom. 8. v. 4.* ut mors tua sacrificialis sit nostra & *sanguis emundet à peccatis 1. Joh. 1. v. 7.* ut tua interpellatio nobis conducat ad vitam æternam *Rom. 5. v. 10.* ut simus per hunc Annum *Arbores Justitiæ Esa. 61. v. 3. corpora nostra hostia viva Rom. 12. v. 1.* & certi de intercessione *Joban. 17. v. 14.* Gratiæ tibi magne Rex N. T. quòd hactenus nos pavisti *in pascuis Verbi*, quod *cibus animæ*, ex *quo vivimus Esa. 38. v. 16.* quòd defendisti ab hostibus, *dissipásti consilia gentium, reprobâsti cogitationes populorum. Psalm. 33. v. 10.* quod duxisti per *artam viam & Regiam nos fecisti*, qui dominari possint affectibus *Apocal. 5. v. 10.* fac ut nobis pascua Verbi conserventur, *quod est gaudium & lætitia cordis nostri. Jeremiæ 15. v. 16. induere robur, consurge brachium Domini, consurge sicut in diebus antiquis, in ge-*

nera-

nerationibus seculorum, nunquid non tu excidisti superbum, interfeciste Draconem? Esaiæ 51. v. 9. & duc ad Regnum Gloriæ ad *hæreditatem, quæ servatur in cœlis 1. Pet. 1. v. 4.* ut *anima nostra pinguescat Verbo. Esa. 55. v. 2.* sub tua defensione agamus pacificè, *ut vir vocet amicum suum subter vineam, & subter ficum. Zach. 3. v. 10.* & tandem *accipiamus Regnum & coronam Sap. 5. v. 17.* AMEN, AMEN.

DOMINICA I. POST CIRCUMCISIONIS, MATTH. II. vſ. 14.

ὁ δὲ ἐγερθεὶς παρέλαβε τὸ παιδίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ νυκτὸς καὶ ἀνεχώρησεν εἰς Αἴγυπτον.

Qui consurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum.

COnformiter Voluntati divinæ se quondam gessit Jacobus Patriarcha, dum terram Canaan assumptis suis reliquit tempore famis, fuit peregrinatus & concessit in terram Ægypti, ibidemque per tempus aliquod habitavit, de quo *Gen. 46. vers. 1, 2, 3, 4.* Conformiter se gessit voluntati divinæ Jacob dum terram Canaan, & in illa Hebronem reliquit assumptis suis. Habitarat ille hactenus in *Hebron*, habebarque filios complures, qui ipsi nati partim ex *Lea* Conjuge partim ex *Rachele*: cùm itaque providentiæ divinæ digitum observat, movet ex terrâ *Canaan*, & quidem, ut unà assumat filios suos, inter quos etiam *Juda*, ex quo descendit *Messias*, ut ipse *Patriarcha* agnovit & deprædicavit moribundus, dicens: *Non auferetur Sceptrum de Juda & Legislator de pedibus ejus, donec veniat Siloh, &c. Gen. 49. v. 10.* Conformiter voluntati divinæ se gessit Jacob, dum peregrinatus est tempore famis. Erat quidem terra *Canaan* ferax frugum, sed per annos aliquot defecerat, quapropter urgente necessitate & fame, non ulterius cunctatur nec respicit supellectilem, & cùm DEUS Verbo suo allucet in Via, pergit, atque agnoscit

vitam ſuam nihil nihil aliud eſſe quam peregrinationem ſub Umbra DEI, dicens Regi: *Dies Peregrinationis vitæ meæ ſunt centum triginta annorum parvi & mali. Gen. 47. verſ. 9.* Conformiter Voluntati divinæ ſe geſſit Jacobus, dum ſe contulit in Ægyptum. Erat hæc terra ſpatioſa & ampla quæ multos comprehendere poterat, quapropter illã adit Jacobus, utut in illa fuerint Harioli & Magi, collocatur in terram *Raemſes*, quæ fructifera valde, & comedit medullam cum ſuis, invenit etiam faventes ob *Joſephum*, qui quoque fratres poſtea *conſolatus fuit & blandè allocutus Gen. 50. v. 21.* Ut quondam conformiter Voluntati divinæ ſegeſſit *Jacobus;* ita *Joſephus* in præſenti Evangelio de quo *οὐν Θεῷ.* adſit via veritas & vita.

EXEGESIS.

QUod Angelus dixit in ſomno *Joſepho*, id fideliter fuit quoque executus. Hinc *Matthæus* dicit: *Qui conſurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.* In quibus Verbis obſervanda I. Perſona quæ fuit aſſumpta, illa autem fuit *Puer* cum *Matre ſua*, quem *Magi* ex oriente ſtellã duce adiverunt tanquam *Radicem David & ſtellam matutinam*, de quâ *Apoc. 22. verſ. 16.* quem *Magi* proni in terram adorarunt, tanquam illum, qui accepit *nomen ſuper omne Nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus eſt in gloriã DEI Patris. Philip 2. v. 9. 10, 11.* quem denique *Magi* honorarunt *aperientes theſauros* ſuos tanquam *Regem Judæorum*, qui *regnaturus ſuper domum Jacob in æternum, & cujus regni non erit finis. Luc. 1. v. 32. 33.* II. Obſervandum eſt Tempus, quando fuerit aſſumpta; hæc autem fuit illa ipſa nox, in qua Angelus Domini apparuit in ſomno, quæque notanter à *Matthæo* ponitur, ut intelligatur *Joſephum* non tardaſſe, non diu contuliſſe cum Carne & ſanguine, ſed promptum & obſequentiſſimum ſeſe exhibuiſſe, præterea non multum ſuppellectilis illi fuiſſe & opum, denique periculum fuiſſe præſentibus; ambulare aliàs ſolebant noctu quidam, quia Luna affulgebat & vias oſtendebat, atque ita *Joſua* ſurgens noctu cum exercitu movit è *Gilgal* in *Gibeon*

in *Gibeon*, de quo *Josuæ 10. v. 9.* ambulare solebant noctu quidam, qui in silentio absque strepitu ita facile condere se potérant, atque ita *Simson* surgens noctu evasit & elusit insidias *Gasitarum*, de quo *Judicum 16. v. 3.* ambulare solebant noctu quidam, quia intepescere solebant dies & illa frigida & humida aura aliquantum reficere se poterât, atq; ita *Saul* cum Exercitu noctu progressus est cum Exercitu lasso, de quo *1. Sam. 14. v. 36.* III. Observandus est Locus, quorsum assumpta & ducta fuerit illa persona. Fuit autem ille *Ægyptus* ab anxietate ita dicta, ex *Asia* itaque se contulit cum puero *Joseph* in *Africam* itinere ad spatium 40. dierum usque sese porrigente in *Ægyptum*, in quâ multi Magi & Sapientes, ut etiam illorum scientia commendetur *1. Reg. 4. v. 30.* in qua multum frumenti ex Nilo & pinguedine terræ, ut cum *Paradiso* comparetur *Gen. 13. vers. 10.* in qua multæ munitiones & amici sive liberales & hospitales, ut etiam DEUS propterea commendet Ægyptios & reciproca humanitatis officia injungat *Deut. 23. v. 7.*

L. D.

Videmus, si juxta Voluntatem DEI etiam in Exilium eundum, quomodo ad Exemplum Josephi debitè decenter & convenienter nos geramus. Debitè nos gerimus, JESUM assumendo, ut scil. suscipianus cordis nostri Thesaurum Immanuelem, retineamus in Corde Stellam N. T. de quâ *Bileam: Procedet stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab & vastabit omnes filios Seth. Numer. 24. v. 17.* retineamus in corde DEUM in carne manifestatum & adorandum, qui ipse dixit: *Respicite ad me, & salvi eritis omnes fines terræ; quia ego DEUS & non est alius; in memetipso juravi, egredietur de ore meo justitia Verbum, & non revertetur omne genu, & jurabit omnis lingua. Ergò in Domino dicet, meæ sunt justitiæ, & robur, ad eum veniet, confundentur omnes, qui repugnant ei. Esaiæ 45. v. 22, 23, 24.* retineamus in corde Regem Regum, cui omnes thesauri aperiendi, de quo *David: Reges Maris & Insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent. Et dominabitur à mari usque ad mare, à flumine usque*

ad terminos orbis terrarum; coram illo incurvabuntur habitatores deserti, & inimici ejus terram lingent. Psalm. 82. v. 8, 9, 10. Ut debitè egit *Elimelech* assumendo cum *Noemi* filios *Mahlon & Chilion* progressus in *Moabitidem* terram *Ruth. 1. v. 1.* ita debitè & decenter se gerunt illi, qui si eundum in exilium, assumunt Filium Virginis, retinent in corde eundem & dicunt: *Quid enim mihi est in Cœlo? & à te quid volui supra terram? deficiat sanè caro mea, & cor meum, petra cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* ex *Psalm. 73. vers. 25, 26.* Debitè nos gerimus, II. Noctem seligendo, si scil. placeat nobis illud tempus, quod conveniens & DEO placet; Ambulemus confestim ad illius nutum in nocte illâ, in quâ lucet Luna Verbi & dicamus: *Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen semitis meis.* ex *Psalm. 119. v. 105.* Ambulemus in nocte illâ, in qua pompa seculi & strepitus opum, atque *φανταστίας* quiescit, & dicamus: *Profectò ad Deum est silentium animæ meæ, ab ipso enim salus mea, profectò est petra mea, & salus mea, est refugium meum, non movebor vehementer. Psalm. 62. v. 2, 3.* Ambulemus in nocte illâ, in quâ nos post æstum tribulationis teget gratiæ divinæ nubes & dicamus: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram; non dabit in commotionem pedem tuum, neque dormitabit, qui custodit te. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israelem, Dominus custodit Te, Dominus est umbra tua ad manum dextram tuam: per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem.* ex *Psalm. 121. v. 2, 3, 4, 5.* Ut debitè & convenienter egit *Nehemias*, quòd noctu surgens Lunâ allucente, in silentio & tepescente aurâ egressus fuit *Hierosolyma*, de quo *Nehemiæ 2. v. 12.* ita debitè & decenter se gerunt illi, qui ad nutum divinum noctu surgunt, confestim ambulant & dicunt: *In die tribulationis meæ Deum quæro, manus meæ nocte sunt extensæ, & non remittunt manus meæ; renuit consolari anima mea, recordor DEI & perturbor, meditor & affligit se Spiritus meus.* ex *Psalm. 77. v. 3, & 4.* Debitè nos gerimus, III. Terminum respiciendo; si scil. ad locum à DEO monstratum vel destinatum nos conferamus, cogitantes etiam *Ægyptum* habere Sapientes, qui informare possint aliquem quoque *Mosen omni sapientiâ. Actor. 7. v. 22.* cogitantes etiam *Ægyptum* habere frumentum panemque, qui satiare possit *Abrahamum*

migran-

migrantem Gen. 12. v. 10. cogitantes etiam *Ægyptum* habere faventes & patronos, qui totam familiam suscipere, & beneficiis auro & argento locupletare possint *Exodi 11. v. 2. & 3.* Ut debitè egit *Moses* assumendo Uxorem & filios, atque pergendo in *Ægyptum* ad Magos, terram fertilem & *fratres, quos in illa* habebat *Exodi 4. v. 20.* Ita debitè & decenter se gerunt illi, qui, si eundum in Exilium, se conferunt etiam in *Ægyptum*, terram quam DEUS ipsis monstrat & destinat & cogitant illud: *Intravit Israel in Ægyptum, & Jacob peregrinus fuit in terrâ Cham; & auxit populum suum vehementer & fortiorem fecit eum super omnes inimicos ejus.* ex *Psalm. 105. v. 23, & 24.*

USUS I. DEHORT.

SI juxta Voluntatem DEI ita debitè itur in Exilium, caveamus, ne discedentes relinquamus Filium DEI, similes *Capernaitis discedentibus*, de quibus *Joh. 6. v. 66.* ne *experiamur, quantum sit malum* esse absque Christo comite, juxta illud *Jerem. 2. v. 19.* Caveamus, ne suppellectile nostrâ & opibus nimium nos affici patiamur, ut nocte etiam excitati non pareamus, sed illis *adhæreamus*, similes illi *Juveni, qui audiens verbum à Christo tristis abiit. Matth. 19. v. 22.* ne experiamur vel tandem illud: *Aurum & argentum eorum non poterit eos liberare in die iræ Domini, in igne zeli ejus devorabitur omnis Terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus Terram. Zephan. 1. v. 18.* Caveamus, ne alium & quidem vicinum locum nobis & fugæ nostræ destinemus præter voluntatem divinam, similes *Lotho*, qui se contulit in *Zoar Gen. 19. v. 20.* ne experiamur invitum ductum in *Ægyptum*, de quo *Moses: Reducet te Dominus classibus in Ægyptum per viam, de qua tibi dixi, ut amplius eam non videres; ibi venderis inimicis tuis in servos & ancillas, & non erit qui emat. Deut. 28. v. 68.*

USUS II. ADHORT.

SI juxta Voluntatem DEI debitè ita itur in Exilium, illudeamus, si & nobis eundum, ut Christum *retineamus per fidem in cordibus nostris*, & dicere possimus: *Vivo jam non ego, vivit*

verò

verò in me Christus, quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Galat. 2. v. 20. Studeamus, si & nobis eundum in nocte, atque fu. gendum, attendamus ad Lumen Verbi, & dicamus: *Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui benè facimus attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus nostris.* ex 2. *Pet. 1. v. 19.* Studeamus, si & nobis eundum, ut in terrâ divinitus destinatâ ad illius voluntatem commoremur, & ad Ecclesiam desideria nostra protendamus in terra peregrina, & dicamus: *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transire cuperem cum catervâ & ambulare ad domum DEI.* ex *Psalm. 42. v. 5.*

USUS III. CONSOL.

SI juxta Voluntatem DEI debitè ita itur in Exilium, bono sint animo, qui propter Exilium etiam dicunt: *Cessa à me, ut refrigerer prius, quàm abeam, & amplius non ero. Psal. 39. v. 14.* Si videatur *Christus* non ulterius nobiscum ambulaturus, sed *discessurus*, ut *Luc. 24. v. 28.* novimus, si precemur: *Domine, mane nobiscum, quia vesperascit*, fore nobis præsentem, tanquam *Lumen gentium Luc 2. v. 32.* tanquam DEUM, quem veneramur *in nobis habitaturum & ambulaturum 2. Cor. 6. 16.* denique tanquam *Regem* præcessurum *Michæ 2. v. 13.* Si videatur durum noctu surgere, relinquere omnia, conqueramur cum Sione: *Memor esto Domine, quid acciderit nobis, intuere & respice opprobrium nostrum: Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos.* ex *Thren. cap. 5. v. 1.* & 2 novimus, si dicamus *serva cor nostrum in unico*, habere nos Verbum tanquam Lunare Lumen, post quod Sol æternitatis sit affulturus. *1. Cor. 13. v. 12.* posse nos per gratiam Spiritus jacturam pati temporalium *Ebr. 10. v. 34.* Certos nos esse ducturum aliquando *Agnum* nos *post perductionem vallis umbræ mortis Psalm. 23. v. 4. ad vivos fontes aquarum, ubi non esuriemus amplius, nec sitiemus, nec cadet super nos Sol, neque ullus æstus; Apoc. 7. v. 26, 27.* Si in *Ægypto* videatur esse commorandum, & in *terrâ peregrinâ suspendenda nablia, Psalm. 137. v. 2.* novimus, si anhelemus & dicamus: *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea*, ex *v. 5.* ut DEUS vo-

rit hunc filium suum ex Ægypto, ita terram Sapientum, inter quos sedit Doctor, ita nos vocaturum in terram illam Sapientum & Seniorum, qui *Coronas suas projiciunt coram Throno Apocal* 4. *v.* 10. in terram frumenti & vini feracem, ita nos vocaturum in terram illam, ubi *panis vitæ Manna absconditum Apoc.* 2. *v.* 17. ut in terram Nazarethanam à surculis dictam, ubi illius consanguinei, ita in *Nazarethana* vitæ æternæ, ubi tanquam palmæ florituri, *& sicut Cedri Libani creturi simus. Psalm.* 92. *v.* 13. AMEN.

IN FESTO EPIPHANIÆ, MATTH. II. ℣. 7.

Τότε Ἡρῴδης λάθρᾳ καλέσας τοὺς Μάγους, ἠκρίβωσε παρ' αὐτῶν τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος.

Tum Herodes clàm accersitis Magis, accuratè perquisivit ab illis, quo tempore stella apparuisset.

Illaudabiliter quondam egit Saul, dum curiosè ex Jonathane quæsivit de Davide, quem destinarat neci, ut constat ex *1. Sam. 20. vers.* 27. Illaudabiliter egit Saul, quia animi erat truculenti & exulcerati. Præluserat promotioni suæ *David* in cædendo *Goliatho*, & propterea applausum reportarat insignem, quapropter *Saul* metuens sibi & Regno, irâ accenditur, exæstuat & truculentum sese exhibet, & quamvis Regem deceat clementia; tamen indecenter se gerit, exacerbatus procul dubio ab illo *Spiritu*, qui aliâs etiam ipsum *turbabat*, de quo *1. Sam. 16. v.* 14. Illaudabiliter egit Saul, quia sese ita gessit coram Jonathane. Erat *Jonathan* Princeps Juventutis, Vir prudens & generosus, magnæ auctoritatis in populo, qui Spiritu divino quondam animatus cum armigero ad castra *Philistæorum* se contulerat & feliciter egerat, quique propterea non negligendus; verum non attendit *Saul* ipsius virtutem & statum, sed furit, cùm tamen ille longè melior, qui jam

pridem agnoverat *Davidis* virtutes, merita & gra iam apud DEUM, & propterea dixerat: *Ne pecces Rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valdè. 1. Sam. 19. v. 4. & 5.* Illaudabiliter quondam egit Saul, quia quæsivit ex illo insidiosè. Erat *Saul* totus intentus in necem *Davidis*, nihil magis desiderabat, quàm ut tollere posset innocentem, quapropter curiosè quærit, ubi sit, ubi hæreat, quid agat, cur non accesserit, quorsum se contulerit, uni è eum in finem, ut deprehensum & indicatum circumveniat & occidat, nec desiltit, sed etiam sequentibus temporibus ipsum persequitur, ut conqueratur *David: Egressus est Rex Israel, ut quærat pulicem unum, sicut persequitur perdicem unum. 1. Sam. 26. v. 20.* Ut quondam *Saul* curiosè quæsivit ex *Jonathane de Davide*, ita Herodes de *Messiâ* nostro ex *Magis*, de quo σὺν θεῷ.

EXEGESIS.

EXposito vaticinio è Prophetâ *Micha Matthæus* dicit: *Tunc Herodes clam vocatis Magis, accuratè perquisivit ab illis, quo tempore stella apparuisset.* In quibus verbis observandum I. Quis vocarit. *Matthæus* dicit, *Herodem vocasse*, qui origine *Idumæus*, filius *Antipatris* ex *Cypride* fœmina Arabica, *Ascalonita* dictus vel ab *Antipatro*, vel quia ibi natus, aut educatus, quæ Urbs dicta est quasi Ignis Infamiæ & *Judæ Maccabæo* cesserat quondam *1. Maccab. 10. v. 86.* qui Officio Rex constitutus super *Judæam* jam pridem occupatam à *Pompeio* (ô sensu Senatus Romani & *Augusti* Imperatoris, qui tunc temporis imperitabat, ut constat ex *Luc. 2. v. 1.* qui denique Ingenio truculentus, profanus, impius, sanguinem sitiens, qui etiam suis non pepercit & Exemplum reliquit violentiæ successori *Antipæ*, qui *Johannem gladio interfici curavit Matth. 14. v. 10.* II. Observandum, Quos vocarit, vocavit autem *Magos* Viros deditos studiis & Sapientes, quales habuit *Abasuerus Esther 1. v. 14.* Viros illustres & inter Persas magiti nominis, atque honoratos *pingues*, quales describuntur *Psalm. 68. v. 23.* Viros divinitus excitatos, ductos & illuminatos, qui norunt illud *Danielis* de *Messiâ cap. 9. v. 24. Septuaginta hebdomades determinatæ sunt super populum tuum, & super urbem*

urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & obsignetur peccatum, & expietur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & obsignetur visio & prophetia, & ungatur sanctus sanctorum. III. Observandum, Quomodo vocarit. *Matthæus* dicit *clam*, ne quisquam conscius esset, quid ex eis quæreret, atque sic insidiæ eo melius tegerentur, ut vox λάθρα de eo, quod occultè fit, usurpatur *Matth. 1. v. 19.* dicit exquisivisse ab eis, ἀκριβῶσε, exacta diligentia perquisivisse, rimatum & expilcatum fuisse, ut hæc vox eo in sensu quoque occurrit *versiculo decimo sexto hujus capitis*, dicit exquisivisse, *quo tempore stella apparuisset*, illud Sydus, φαινόμενον extraordinarium, quod de apparitione illustri usurpatur *Matth. 1. v. 20.*

L. D.

VIdemus, Quàm malè se gerant Filii seculi Christo in Salutem omnium hominum in orbem misso. Malè se gerunt filii seculi I. ex Animi profundâ Pravitate, sunt illi quandoque *Idumæi & peregrini alienati à republicâ Israël, hospites Testamentorum promissionis*, quales describuntur *Eph. 2. vers. 12.* sunt illi quandoque Reges & Principes superbi, *qui consultant simul adversus Dominum & adversus Christum ejus. Psalm. 2. v. 2.* sunt illi quandoque profani & truculenti, *quorum pedes ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem innocentem, cogitationes eorum iniquæ, vastitas & contritio in viis eorum. Esaiæ 59. vers. 7.* Ut *Esau* malè egit pater *Idumæorum*, profanumque se exhibuit, quia pravi animi & dicere ausus fuit: *Venient dies luctus patris mei; nam occidam Jacob fratrem meum. Genes. 27. vers. 41.* ita istiusmodi filii seculi malè se gerunt, quia pravi animi, perversicordis, tales, *qui quasi fervens mare, quod quiescere non potest, & ejiciunt fluctus ejus in cœnum & lutum*, quales describuntur *Esaiæ 57. vers. 20.* Malè se gerunt filii seculi II. ex advocatorum illustri Dignitate. Non verentur advocare Sapientes, de quibus aliàs *Salomon: Labia sapientum disseminabunt scientiam Prov. 15. v. 7.* non verentur advocare honoratos, de quibus aliâs: *Corona dignitatis canities, quæ in viis justitiæ reperitur. Proverb. 16. v. 31.* non veren-

tur advocare illuminatos, de quibus aliâs dicitur: *Justorum semita quasi Lux splendens, & crescit usque ad perfectam diem. Prov. 4. v. 18.* Ut *Achab* malè egit non veritus advocare quoque *Michæam* Prophetam Domini, & divinitus illustratum *1. Reg. 22. v. 13.* ita malè se gerunt filii seculi, quia non verentur advocare Sapientes honoratos, illuminatos atque tentare illos, qui *ambulant in Luce & Lumine DEI Esaiæ 60. v 3.* Malè se gerunt filii seculi III. ex Inquisitionis dolosâ Qualitate, quicquid enim ferè agunt, occultè agunt & tenebris, ut insidias ponant: *subito sagittabunt pium, & non timebunt, confirmant se super re mala; narraverunt, ut absconderent laqueos, dixerunt quis videbit eos? scrutando excogitant fraudes, & abscondunt, quæ excogitarunt. Psalm. 64. v. 6. & 7.* quicquid agunt, exquisitè agunt, perscrutando omnia & expiscando, ut opprimant. *eorum oculi in pauperem speculantur, insidiatur in abscondito, quasi Leo in spelunca suâ; insidiantur, ut rapiunt pauperem, rapiuntque eum, dum attrahunt eum. Psalm. 10. v. 9.* quicquid agunt ex phænomenis agunt, & indiciis collectis: *Si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur Cor ejus, congregavit iniquitatem sibi; egrediebatur foras & loquebatur in idipsum: adversum me susurrabant omnes inimici mei; adversus me cogitabant mala. Psalm. 41. v. 7, 8, 9.* Ut quondam *Sanaballat* malè egit, exquirendo statum *Nehemiæ* & illum in campum evocando *Nehemiæ 6. v. 1. & 2.* ita istiusmodi filii seculi malè se gerunt, quia omnia exquirunt, & dolosè consultant, *& cogitant adversus sanctos DEI. Psalm. 83. v. 4.*

USUS I. DEHORT.

SI tam malè se gerunt filii seculi Christo in Orbem misso, caveamus, ne cum *Idumæis* intentemus necem fratribus, in illis ipsi *Christo* dicentes: *Destruite, destruite usque ad fundamentum in eâ Psalm. 137. v 7.* ne nobis obveniat illud: *Propter tria scelera Edom, & propter quatuor non parcam ei, eò quòd persecutus sit in gladio fratrem suum, & violaverit misericordiam ejus, & grassatus sit perpetuò furore suo, & indignationem suam servaverit usque in finem. Mittam ignem in Theman, & devorabit palatia Bosræa. Amos 1. v. 11. & 12.* Caveamus, ne Viros etiam Sapientes honoratos

noratos, & pios atque illuminatos non curemus, aut vereamur, dicentes: *Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec vereamur canos multi temporis. Sap. 2. v. 10.* ne nobis obveniat illud: *Væ tibi vastatori: nonne & tu vastaberis? & tibi, qui in alios impetum facis, nonne & in te impetus fiet, cùm vastationem compleveris, vastaberis, & cùm consummaveris impetum, in te impetus fiet. Esaiæ 33. v. 1.* Caveamus, ne dolosè & clandestinè, insidiosèque agamus, dicentes: *Justus quid faciat?* ex *Psalm. 11. v 3.* ne obveniat nobis illud: *Væ cogitantibus iniquitatem, & tractantibus mala super Cubilia sua, ut ea luce matutinâ perficiant, propterea quòd potens sit manus ipsorum Mich. 2. v. 1.*

USUS II. ADHORT.

SI tam malè se gerunt filii seculi, studeamus tanquam filii Lucis, ut cum *Jacobo* simus Viri *probi habitantes in tabernaculis Gen. 25. v. 27.* Studeamus, ut Viros honoratos, sapientes & divinitus illuminatos revereamur cum Davide *1. Sam. 22. vers. 23.* Studeamus, ut non curiosè aliena perscrutantes ipsi nobis & nostris intendamus, sed cum *Nathanaele simus absque dolo Joh. 1. v. 47.*

USUS III. CONSOL.

SI tam malè se gerunt filii seculi, bono sint animo, qui sub *Umbrâ Altissimi*, & dicere possunt: *Qui habitat in latibulo Altissimi, in umbrâ Omnipotentis commorabitur, dicet Domino, spes mea es tu, & refugium meum Deus meus, sperabo in eum. Ps. 91. v. 1. & 2.* Si *Herodes* regnet, atque conquerendum, regnare Viros *crudeles Esaiæ 19. v. 4.* novimus DEI praxin esse, *ut dispergat superbos mente cordis sui, deponat potentes de sede, & exaltet humiles. Luc. 1. v. 51. & 52.* ut gloriemur: *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. Esaiæ 14. v. 4. & 5.* Si *Herodes* etiam non vereatur sapientiâ, auctoritate & pietate graves, atque conquerendum *juvenem* ferocire adversus *Senem & Vivum nauci adversus bonoratum* ex *Esaiæ 3. v. 5.* novimus DEUM facilè posse scenam immutare praxin esse ejus, *ut sicut oves in inferno ponat*

quo mors depaſcet eos; robur illorum putreſcet, infernus erit habitaculum ipſorum. Pſalm. 49. verſ. 15. ut gloriemur: *Non eſt petra ſicut DEUS noſter; Ne ergò poſthac loquamini ſublimia, neque egrediatur verbum arrogans ex ore veſtro, quia* DEUS *ſcientiarum Jehova, & ipſi præparantur opera. 1. Sam. 2. v. 2, & 3.* Si denique *Herodes* fraudes conſuat, omnia expiſcari deſideret, ut laqueos ponat, *& cogitet ſupplantare greſſus piorum, & funes extendat in rete juxta laqueum.* ex *Pſalm. 140. verſ. 6.* novimus DEI praxin eſſe illos detegere: *Ecce enim impius parturit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit mendacium; puteum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit. Pſalm. 7. v. 15, 16, 17.* ut gloriemur: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in prædam dentibus eorum; anima noſtra ſicut avis erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus, adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit Cœlum & Terram. Pſalm. 124. v. 6, 7, 8.* AMEN.

DOMINICA I. POST EPIPHANIÆ, LUC. II. ℣ſ. 49.

Καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς Τί, ὅτι ἐζητεῖτέ με; οὐκ ᾔδειτε, ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με;

Et ait ad illos, quid eſt quod quærebatis me? An neſciebatis quòd in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?

SOlicitè quæſivit quondam Hanna filium & deſideravit, qui tamen in negotio patris occupatus aberat, ut conſtat ex *Tob. 11. verſ. 6.* Solicitam ſeſe exhibuit Hanna quærendo. Profectus erat filius, qui ex illa natus, Delicium oculorum, atque in quo omnem Spem poſuerat, quique Ingenii & Mentis ingenuæ, nec non aptus ad iter & peregrinationem. fruſtra itaque quærit illum & tam anxiè deſiderat, cùm ipſe ſibi ſuffecerit ad expediendum iter & reditum maturandum, ſtipatus

insuper Angelo, qui comes itineris & dixerat ad seniorem *Tobiam*: *Ego ducam filium tuum & reducam ad te. Tob. 5. v. 15.* Solicitam sese exhibuit Hanna negotiorum Gestionem non attendendo. Excurrerat ille ad Voluntatem patris, negotia illius acturus & curaturus; ad hoc non attendens *Hanna* potius desiderat præsentiam, quàm expeditionem negotii, atque conqueritur quanquam absque causa: *Heu, heu me fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ, omnia simul in te uno habentes te non debuimus dimittere &c. cap. 10 vers 5, & 6.* Solicitam denique se exhibuit Hanna Patrem hujus filii non audiendo. Noverat *Tobias* non sine nutu Numinis abiisse filium, curare ex mandato, quæ aliàs sibi essent curanda, quapropter benè sentit de filio illo suo & successu expeditionis, utut queritetur *Hanna*, & quamvis illa anxiè desideret illum; tamen iste interea salvus agit agenda, atque obtinet elegans Testimonium ingenuæ mentis & natalium dicente *Ragule de illo: Benedictio sit tibi mi fili, quia boni & optimi viri filius es. Tobiæ 7. v. 7.* Ut quondam frustra solicita fuit de filio suo juniore *Tobia Hanna*, ita frustra solicita fuit *Maria* quærendo filium, cùm ille ipse in negotiis patris sui fuisset occupatus & quidem ad Voluntatem illius, unde respondens queritanti dicit: *Quid est quod quærebatis me? An nescietis, quòd in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* de quo *vid. Osiq.*

EXEGESIS.

COnquesta erat *Maria* & dixerat: *Fili, cur fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* quapropter respondit & dixit, I. Quid est quod quærebatis me, & quidem tam anxii inter cognatos & inter notos & redeuntes in Urbem, cùm non opus fuerit, cùm noveritis me esse filium singularem, qui singulariter natus ex *superventu Spiritus Lucæ 1. v. 35.* qui singulariter *adoratus* & visitatus *à Magis Matth. 2. v. 1 & seq.* qui singulariter hactenus per providentiam divinam custoditus, in *Ægyptum*, missus & reductus, cui Angeli ministrant & subserviunt, comitantur & sequun-

tur, quiq; *carmen* confestim me nato *decantarunt Luc 2. v. 13. & 14.* Dixit II. An nescitis vel nesciebatis oportere me in iis esse, quæ patris mei sunt, oportere me esse in *Domo Patris mei ut Syrus* reddidit, cui patres quidam & recentiores Doctores accedunt, adeoque in Templo versari, quod *Domus patris* vocatur *Johan. 2 v. 16.* oportere me in negotiis Patris mei occupari, & perficere, quæ ab illo mihi demandata, etiam non habita ratione societatis, qualis phrasis occurrit *1. Timoth. 4. v. 15.* oportere me docere, informare, erudire, Salutis viam ostendere & promovere illa, quæ ad hominum faciunt æternam beatitudinem, utpote natum in hoc, ut de *veritate testificer Joh. 18. v. 37.* Dixit III. An nesciebatis oportere me esse in iis, quæ patris mei sunt, cœlestis scil. cujus Ego filius utpote ab æterno genitus *Psalm. 2. v. 7.* cujus Ego filius in mundum missus tanquam Lux illius *Joh. 1. v. 9.* cujus Ego Filius, audiendus scil. ab omnibus & excipiendus, *eruditæ linguæ Doctor Esaiæ 50. v. 4.*

L. D.

VIdemus, Cur Salvator noster sese manifestarit & venerit in hunc Mundum, nempe etiam hoc fine, ut viam ostenderet hominibus ad Salutem & Beatitudinem æternam. Venit ut ostenderet viam Salutis hominibus, I. vi admirandæ Nativitatis, natus est enim singulariter ex Spiritus S. superventione, ut ostenderetur illum esse, qui effundit Spiritum suum super nos, adimpleturus illud *Joëlis: Posthæc effundam Spiritum meum, super omnem carnem & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. cap. 2. v. 28.* natus est singulariter, & *adoratus à Magis* Doctoribus persarum, ut ostenderetur illum esse, qui *Sceptro Verbi imperet* etiam principibus, adimpleturus illud: *Incurvabuntur habitatores deserti, & inimici ejus terram lingent; Reges Maris & Insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes Reges Terræ, omnes gentes servient ei. Psalm. 72. v 9, 10, 11.* natus est singulariter & conservatus Angelis ministrantibus, ut ostenderetur

illum

illum esse cœlestem *Solomonem*, Sapientiæ Exemplar, adimpleturus, quod legitur *Cant. 3. v. 7, 8. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, uniuscuique ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Ut *Samuel* singulariter fuit natus, magni ab ipso *Eli* æstimatus, & DEUM habuit faventem, ejusque Exercitum sibi astantem, ut *ne verbum quidem illius dicatur incidisse in terram 1. Sam. 3. v. 19.* ita *Salvator noster* singulariter fuit natus & adoratus, & ab Angelis stipatus, ut intelligeretur ipsum venisse, ut Verbum prædicet Salutis & viam ostenderet hominibus ad beatitudinem, qui ipse professus: *Ego sum via Veritas & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Joh. 14. v. 6.* Venit Salvator ut ostenderet viam Salutis hominibus, II. vi officialis Dignitatis, fuit enim in Domo patris sive *Templo tanquam Gloria secundi Templi*, de quo *Haggai 2 v. 8. & 10.* fuit in negotiis Patris tanquam Legatus, qui ipse: *Meus cibus est, inquit, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. Joh. 4. v. 34.* fuit in officio docendi tanquam Propheta magnus, de quo *Moses*: *Prophetam de medio tui & de fratribus tuis sicut me Deus suscitabit, tu ipsum audies. Deut. 18. v. 15.* Ut destinatus fuit reformationi & Informationi singulariter *Elias*, de quo *Syrach*: *Surrexit Elias propheta, quasi ignis & verbum ipsius quasi facula ardebat. cap. 48. v. 1.* ita *Salvator noster* singulariter fuit destinatus reformando Templo, informando populo, de quo *Nicodemus*: *Rabbi scimus, quod à DEO veniſti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo Joban 3. v. 2.* Venit *Salvator noster*, ut ostenderet viam Salutis. III. vi summæ Deitatis, fuit enim filius illius Patris, qui ab æterno eundem genuit, de quo *Micha*: *Ejus egressus est ab initio, à diebus æternitatis. cap. 5. v. 2.* fuit filius illius patris, qui ipsum in tempore misit in Mundum sub servi habitu *Lumen gentium*, atque dixit: *Ecce dedite in lucem gentium, ut sis Salus mea, usq; ad extremum terræ. Esaiæ 49. v. 6.* fuit filius illius patris, qui voluit ut omnes homines ipsum *adirent & audirent*, atque eidem *adhærerent*, de quo *patriarcha Jacobus*: *Non auferetur Sceptrum de Judâ, & legislator de pedibus ejus, donec veniat SILOH, & ipsi erit aggregatio populorum. Gen. 49. v. 10.* Ut *Josephus* filius fuit *Jacobi*, qui missus in *Ægyptum*

ptum ei Idem Lumen intulit & quem etiam *ipsi sapientes audiverunt, quos erudivit in anima, & senes sapientiam docuit. Psalm.* 105. *v.* 21. 22. ita *Salvator noster* ille est Filius, qui ab æterno genitus, in tempore in hunc Mundum missus, & de quo ipse Pater contestatur: *Hic est filius meus dilectus, in quo complacui, ipsum audite. Matth.* 17, *vers.* 5.

USUS I. DEHORT.

SI Salvator venit, ut ostenderet viam Salutis hominibus, caveamus, ne cum *Bethlemitis* dormiamus præsente illo, aut oculis *videntibus illum non videamus & audientes non audiamus, & non intelligamus.* similes illis *Matth.* 13. *v.* 14. ne aliquando contra nos *surgant* Magi in *extremo judicio, Reginaque Austri*, juxta illud: *Regina Austri surget in Judicio cum generatione istâ, & condemnabit eam, quia venit à finibus Terræ audire Sapientiam Salomonis &c. Matth.* 12. *v.* 42. Caveamus, ne Domum illius negligentim habeamus, ipso præsente, similes illis, *qui deferunt, & festinant unusquisq; in domum suam. Haggai* 1 *v.* 9. ne aliquando compleatur in nobis, quod dictum: *Omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Actor.* 3. *v.* 23. Caveamus, ne hunc filium odio prosequamur. similes illis, *qui, cum vidissent filium patrisfamilias, cogitaverunt intra se dicentes: Hic est hæres: venite, occidamus illum. Lucæ* 20. *v.* 14. 15. ne aliquando compleat illud: *Qui spernit me, & non accepit verba mea, habet, qui judicet eum, Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in die novissimo. Joh.* 12. *v.* 48.

USUS II. ADHORT.

SI Salvator venit, ut ostenderet viam Salutis hominibus, audiamus hunc, qui per Verbum regenerat & Spiritum dispensat, memores illius: *Qui acceperit ejus testimonium, signavit, quia* DEUS *verax est, quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Joann.* 3. *v* 33. Excipiamus hunc Propheram, atque cum animi lætitiâ ad Templum illius nos conferamus, dicentes: *Lætatus sum in his, quæ dicta*

dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus; stantes erunt pedes nostri in tuis portis Jerusalem. ex *Psal. 122. v. 1, & 2.* & tandem Sequamur hunc filium, hanc Lucem, memores illius: *Ego sum Lux Mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit Lumen vitæ. Johan. 8. vers. 12.*

USUS III. CONSOL.

SI Salvator noster venit, ut ostenderet viam Salutis, bono sint animo, illi, quorum causâ venit *Apostolus ille & pontifex professionis nostræ Ebr. 3. v. 1.* Si nos *impura* angat *Nativitas*, quod ex *carne natum Caro sit Joh. 3. v. 6.* novimus natum esse *Christum*, ut nativitatem nostram sanctificaret: *Quod enim impossibile erat Legi, à quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum. Rom. 8. v. 3, & 4.* ut nos *Sceptro Verbi* regeret & pasceret, *ut nobis nihil desit, in pascuis herbosis cubare faceret nos. Psalm. 23. v. 1. & 2.* ut *Angelis suis mandaret super nos, ut custodirent nos in omnibus viis nostris. Psalm. 91. v. 11.* Si nos angat *nostra* in rebus spiritualibus *incapacitas*, juxta illud: *Animalis Homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus; stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicatur. 1. Corinth 2. v. 14.* novimus venisse ad suum Templum *Dominum Templi. Malachiæ 3. v. 1.* Venisse Legatum Patris & Voluntatem illius exposuisse, atque dixisse: *Ego sum, qui Testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. Johan. 8. v. 18.* præsentem se exhibuisse magnum illum Prophetam, de quo populus: *Hic est verè propheta, qui venturus est in Mundum. Joh. 6. v. 14.* Si denique angat nos *filiatio* nostra, quâ *Iræ sumus filii & tenebræ, quæ intellectum nostrum stipant, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in nobis, propter cæcitatem cordis nostri. Eph. 4. v. 18.* novimus Filium æternum è sinu patris venisse & informasse *Joh. 1. v. 18.* Lucem se exhibuisse, & *orientem ex alto visitasse, illuminare his, qui in tenebris & umbrâ mortis sedent, ad dirigendum pedes nostros in viam pacis. Lucæ 1. v. 78, 79.* tandem venisse ita, ut auditus & exceptus a suis, ut possimus

simus dicere: *Citra controversiam magnum est pietatis mysterium, Deus est manifestatus in Carne, justificatus est Spiritu, apparuit angelis, prædicatus est Gentibus creditus est in mundo, assumptus est in gloriâ.* ex *1. Timoth. 3. v. 16.* AMEN.

DOMINICA II. POST EPIPHANIÆ, JOH. II. vs. 10.

Καὶ λέγει αὐτῷ, πᾶς ἄνθρωπος πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθησι, καὶ ὅταν μεθυσθῶσι, τότε τὸν ἐλάσσω. σὺ τετήρηκας τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι.

Et dicit ei: Omnis homo primo loco bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu servasti bonum vinum usq; ad hoc tempus.

IMprudenter quondam egerunt Ephraimitæ, dum reprehenderunt Gideonem, qui feliciter egit, de quo *Judic. cap. 8. vers. 1.* Imprudenter egerunt Ephraimitæ, quia non attenderunt ad DEUM Israelis. Desertus videbatur populus & inprimis *Manassæus*, visus est DEUS ejusdem oblitus, nihilominus affulget tandem suâ Gratiâ, ostendit potentiam suam, Sapientiam & Misericordiam, quod propè sit illi etiam Tribui, & cum *Gideon* dicit: *Si Dominus nobiscum, cur ergò apprehenderunt nos hæc omnia? Ubi sunt omnia mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt: de Ægypto eduxit nos Dominus: nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manus Madian.* respondent *cap. 6. v. 14. Vade in fortitudine tuâ, & liberabis Israel de manu Madian: scito quòd miserim te.* Imprudenter egerunt Ephraimitæ, quia primi voluerunt esse, atque felicia nimis suo adscripserunt auxilio. Putarunt illi, si pli adfuissent, ut quidem gloria ipsis debebatur, omnia melius successura fu-

ra fuisse, non deberi inverti ordinem, neque *Manassæos* primo, sed ultimo debere esse loco, quapropter respondet *Gideon: Quid tale facere potui, quale vos feciſtis? Nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer. Jud. 8. v. 2.* & vult eos monere, quòd ipse agnoscat, regulariter deberi quidem *Ephraimitis* præstantiam, tanquam *generosæ viti*, partes verò inferiores & secundas demum *Manassæ*, utut ex una stirpe, cui prædictum incrementum in ambabus *Gen. 49. v. 22.* Imprudenter denique egerunt Ephraimitæ, dum reprehenderunt Gideonem. Erat ille ex eadem cum illis origine, DEO charus & suffultus promissione divinâ, adeoque lætus & bono animo, quique speravit ab illo, qui eidem pollicitus erat assistentiam, felicem rerum Exitum, quapropter non prudenter agunt inclamando, reprehendendo, turbando, planè ut illi reprehendendo *Joasum* alloquentes: *Quis hoc fecit? Produc filium tuum huc, ut moriatur, quia destruxit aram Baal, & succidit nemus. Judic. 6. v. 29, & 30.* Ut quondam imprudenter egerunt *Ephraimitæ*, ita quoque *Architriclinus*, de quo τὸν Θεῖον.

EXEGESIS.

GUstaverat Architriclinus Vinum miraculosè productum, quapropter dicit: *Omnis primo loco bonum vinum apponunt, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu servasti bonum vinum usque ad hoc tempus.* In quibus verbis observandum I. Quis hoc dixerit. Dixit autem Architriclinus, qui non scivit, unde hoc vinum esset, non cognovit ex aqua illud mutatum, vel unde venisset, nondum noverat esse ab illo, qui potenti manu *omnia* producit & *sustentat Verbo Ebr. 1. v. 3*, esse ab illo, qui novit necessitates nostras, & intimè *perspicit oculis Sole clarioribus Syrach. 23. v. 27.* qui denique misericors benignus animo & pronus in auxilium paratus, ut subveniat & *consoletur instar matris Esaiæ 66. vers. 13.* II. Observandum, Quid dixerit, dixit autem: *Omnis homo primum bonum vinum ponit*, initio scil. mensæ, cum palati Integritas adhuc sinceræ de generositate & suavitate vini judicare potest, τὸν καλὸν, bonum, quod opponitur minus bono, adeoque melius colore, *sanguinem*

nem scil. *Uvæ*, ut appellatur *Deut 32. v. 14. Odore* quod deprædicatur *Cant. 7. v. 9. Sapore dulcem liquorem* scil., ut appellatur *Act. 2. v. 13.* III. Observandum, Cui hoc dixerit. Dixit autem Sponso, quem advocavit, qui nuptias celebrabat & ad Voluntatem divinam Conjugalem statum aptabat, de quo *Gen. 2. v. 18.* qui *invitarat* ad Convivium *familiares & amicos* more solito ut *Laban*, de quo *Gen. 29. v. 32.* qui anxius & mœstus in die lætitiæ ob defectum Vini, benè tamen sperabat, & hoc ipso verbo Architriclini reficiebatur, ut quondam *fratres Josephi*, de quibus *Gen. 43. v. 23.*

L. D.

Videmus, Quomodo Ratio sibi relicta erroneè sæpius ratiocinetur, hoc docent Verba explicata. Erroneè ratiocinatur Ratio I. Præsentiam salutarem ignorando, quia scil. nesciunt tam prope esse illum Dominum potentem, quem *David* compellat: *Magnus est Dominus, & DEUS noster præ omnibus Diis. Psalm. 135. v. 5. & 6.* illum DominumSapientem, quem *Petrus* alloqui ur: *Domine, tu omnia nosti, Joh. 21. v. 17.* illum Dominum benignum, quem deprædicat *Moses; Dominator, Domine Deus misericors, & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verus, qui custodis misericordiam in millia. Exod. 34. v. 6.* Ut quondam Ratio *Equitis Samaritani* malè ratiocinata fuit, quia noluit agnoscere prope esse DEUM potentissimum, sapientissimum & misericordissimum 2. *Reg. 7. v. 2.* ita *Ratio* adhucdum erroneè ratiocinatur, quia non attendit ad præsentiam DEI & dicit: *Nonne Deus in altitudine est cœlorum, & capita stellarum vides, quando exaltantur? & dicis: quid novit DEUS, num, quod est in caligine judicat? Job 22. v. 12, 13, 14.* Erroneè ratiocinatur Ratio II. humanam Consuetudinem prætendendo, putat quippe illa DEUM debere primùm bonum vinum ponere, conferre ubertim bona, *vinum* illud, quod *splendens rubore*, de quo *Salomon Proverb. 23. v. 31. Vinum* illud, quod *gratum* odore, *quod lætificat DEUM & homines.* de quo *Jothan Jud. 9. v. 13. Vinum* illud, quod dulce sapore, de quo *Joel. 3. v. 18.* Ut quondam

dam *Ratio Israelitarum* malè fuit ratiocinata, quia more solito in deserto non habuit Mensam apparatam, cibo vinoque refertam *Num. 11. v 5.* ita *Ratio* adhucdum erroneè ratiocinatur, quia putat DEUM debere semper Mensam parare, ad morem & consuetudinem optima primum exhibere, & dicit, *desideramus gaudia: Comedamus & bibamus.* ex *Esaiæ 22. v. 13.* Erroneè ratiocinatur Ratio III. Piorum Simplicitatem percellendo, adoritur illa etiam proximum, qui in statu DEO placente atque verè dicere potest: *Domine tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen tuum in secula seculorum Tob. 8 v. 9.* proximum, qui lætitiam intendit per Convivium atq; illud expendit *Eccl. Deprehendi nihil esse melius, quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius; cap. 3. v. 22.* proximum, qui sperat, DEUM subventurum, bona aucturum atq; dicit: *Junior fui, & senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. Psalm. 37. v. 25.* Ut quondam *Ratio Amicorum Jobi* malè fuit ratiocinata, quia turbavit *Jobum DEO placentem Job. cap. 5. v. 1.* ita *Ratio* adhucdum erroneè ratiocinatur, quia adoritur illum, qui in statu DEO placente, hilaritatem honestam intendit, & sperat in DEUM, dicitque eidem: *Ubi est spes tua, pro quâ eleemosynas & sepulturas faciebas? Tob 2. v. 15.*

USUS I. DEHORT.

SI Ratio sibi relicta tam perversè ratiocinatur, caveamus, ne rationi nostræ nimium tribuamus, atque similes nos exhibeamus illi principi *sapientior qui, videbatur esse Danielæ, omne secretum non esse absconditum à se.* de quo *Ezech. 28. v. 3.* memores illius: *Cogitationes mortalium infirmæ, & incertæ providentiæ nostræ; corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem Sapient. 9. v. 14, 15.* Caveamus, ne ex modo humano loquamur, & consilia DEI examinemus, similes illi! *Elihu*, qui dixit: *Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus ventris mei, En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod utres*

novos

novos disrumpit; loquar & respirationem faciam mihi, aperiam labia mea & respondebo. Job. 32 v. 18,19,20. memores illius *Esaiæ: Non sunt cogitationes meæ cogitationes vestræ; neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus. cap. 55. v. 8,9.* Caveamus denique, ne proximum in simplicitate turbemus, similes illi *Nabali, qui respondit servis Davidis: quis est David, & quis est filius Isai? hodiè increverunt servi, qui fugiunt Dominos suos. 1. Sam. 25. vers. 10.* memores illius *Jacobi: Judicium sine misericordiâ illi, qui non fecit misericordiam. Epist. cap. 2. v. 13.*

USUS II. ADHORT.

SI Ratio sibi relicta tam perversè ratiocinatur, studeamus, ut ad DEUM Omnipotentem, Omniscium & Benignum in Verbo revelatum reflectamus, dicentes: *Infirmitas est hæc mea, mutatio dexteræ Excelsi. Psalm. 77. v. 11.* Studeamus, ut DEI actiones & vias sincerè veneremur, observantes illud: *Custodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam postremum homini pax. Psalm. 37. v. 37.* Studeamus tandem, ut proximum blandè compellamus, omnia illius in bonum interpretemur, atque dicamus: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc elimino, eum, qui oculis superbis est, & lato corde non possum ferre. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum; ambulans in viâ immaculatâ, hic mihi ministrabat. Psalm. 101. v. 5. & 6.*

USUS III. CONSOL.

SI Ratio sibi relicta tam perversè ratiocinatur, bono sine animo, qui illam *captivant sub obsequium fidei*, juxta monitum *Pauli 2. Cor. 10. v. 5.* Si Ratio queritetur, putet DEUM esse absentem, & dicat: *Num finis erit omninò misericordiæ ipsius? abolita est promissio in omnem posteritatem.* ex *Psalm. 77. v. 9.* novimus illum ipsum potentissimum DEUM dicere: *Nunquid abbreviata est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? ecce in increpatione meâ desertum faciam mare, ponam flumina in siccum, computrescent pisces sine aquâ, & morientur in siti.* ex *Esaiæ 50. v. 2.*

verſ. 2. eſſe illum omniſcium, qui à *Jeremia* deſcribitur ut *Magnus conſilii & magnus Operibus. cap. 32. v. 19.* benignitate ſua nos fovere & conſervare, ut dicendum: *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes ejus; Novæ diluculo, multa eſt fides tua.* ex *Thren. 3. v. 22, & 23.* ſi Ratio dicet, incongruum eſſe non primo loco exhilarari, poni Vinum optimum, quereretur, & dicat: *Cibas nos pane lachrymarum, & potas nos lacrymis copioſe.* ex *Pſalm. 80. v. 6.* novimus Meſſiam reſervare optimum in finem, eſſe illum Meſſiam, qui propterea *lavarit in vinoſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Gen. 49. v. 11.* eſſe qui nos odore reficiat *vini lætitiæ, & paret in conſpectu noſtro menſam adverſus eos, qui tribulant. Pſalm. 23. v. 5.* eſſe qui ſapidum poſt inſipidum ponat, ut dicamus: *Quàm preciosa eſt miſericordia tua Deus, filii Hominum in tegimine alarum tuarum ſperabunt; inebriabuntur à pinguedine domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos. Pſalm. 36. verſ. 8, & 9.* Si deniq; Ratio dicet, proximum eſſe reprehendendum, turbandum, dicendum illi cur hoc vel illud facis? ita vel aliter diſponis, aut non diſponis? vel etiam illud: *Adhuc permanes in ſimplicitate tuâ, benedic DEO & morere.* ex *Jobi 2. v. 9.* novimus Spiritum DEI aliud dictare, nempe benedicendū conjugibus: *Beati enim omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus; labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es & benè tibi erit. Uxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.* ex *Pſalm. 128. v. 1, 2, 3.* lætitiæ Candidatum, læto alloquio eſſe proſequendū: *Gaudendum cum gaudentibus, ſicut flendum cum flentibus. Rom. 12. v. 15.* & tandem reficiendum, atque dicendum ſperantibus: *Qui confidunt in Domino, ſunt ut mons Sion, qui non commovetur, ſed permanet in æternum: benefac Domine bonis & rectis corde, declinantes autem in perverſitates ſuas ambulare faciet Jehova cum operantibus iniquitatem, pax erit ſuper Iſrael.*

ex *Pſalmo 125. verſ. 1, & 4, 5.*

AMEN.

DOMINICA III. POST EPIPHANIÆ, MATTH. VIII. ℣. 8.

Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἑκατόνταρχος, ἔφη· Κύριε, οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς, ἵνα μου ὑπὸ τὴν στέγην εἰσέλθῃς, ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγον, καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου.

Et respondens Centurio, dixit: Domine non sum idoneus, ut tectum meum subeas: imò tantum dic verbum, & sanabitur famulus meus.

HOnorificum quondam se exhibuit Abraham, Pater credentium; cùm enim videret Dominum accedere, accurrit extra ostium Tabernaculi sui, & eidem se incurvavit, de quo *Gen. 18. v. 1, 2.* Blandum & ad honorem deferendum promptum se exhibuit illo tempore Abraham, quia vidit Dominum accedentem. Assumpserat filius DEI ad tempus formam hominis, præludens incarnationi, stipatus duobus Angelis, incedebat more viatorum, quapropter sublatis oculis dispiciens videt illum, qui postea nomine JEHOVAH insignitur, qui se præsentem sistit, Cor & Risum *Saræ* cognoscit ad illa penetrans, & Ipse disertè dicit: *num quidquam impossibile Domino*, ut verè ipse *Messias* dixerit de eo: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem & vidit eum, & gavisus est. Joan. 8. v. 56.* Blandum & ad honorem deferendum promptum se exhibuit illo tempore Abraham, quia se incurvavit præsenti. Consuetum erat Orientalibus coram illis, qui alicujus authoritatis erant, se incurvare, & in terram demittere, quapropter etiam ita se gerit *Abraham* sensim plus se demittendo, ut sensim profecit in notitia illius Domini, utpote, qui Illum cùm adhuc etiam tenebris involutus, eduxit ex *Ur Chaldæorum*, ubi quondam cum patre *Thara peregrinis serviit Diis*, ut constet ex *Josuæ 24.* [illegible]. Blandum & ad honorem deferendum pronum se exhibuit illo tempore Abraham, quia tugurium suum, utut exiguum, obtulit illi. Habitarat ille in convalle prope Quer-

cetum

cetum sive Nemus in loco *Mambre*, vel ita dicto ab Urbe vicinâ *Hebron*, vel à Viro quodam ipsi fœderato, quapropter ibi constructit tugurium quoddam sive tabernaculum, quod utut tanto hospite indignum, agnovit tamen, ex eo currens illud obtulit, tanquam peregrinus in terrâ illâ *repromissionis*. de quo *Ebr. 11. v. 9. 10.* Ut quondam se gessit & exhibuit *Abraham* Pater credentium, ita ferè Centurio, de quo in Verbis prælectis σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

POstquam per Seniores & Amicos supplicarat hic Centurio, dixit: *Domine non sum dignus, ut tectum meum subeas: imò tantum dic verbum, & sanabitur famulus meus.* Dixit I. Domine; in græco occurrit vox κύριε. adeoque allocutus est, tanquam informatus jam ex *Mose*, & prophetis de *Messia*, fama adjiciente stimulum, *Christum* tanquam Dominum, qui nulli sit alligatus loco & juvare etiam possit Verbo, ut constat ex *Johan. 4. v. 50.* qui probè norit tùm amaritudinem Cordis, quâ laboret, tùm Morbi gravitatem, quâ servus prematur, & discernere possit, unde hoc malum an à Sathanâ vel naturali causâ, ut constat ex *Luc. 4. v. 36.* qui denique par omnibus morbis & infirmitatibus depellendis, omnis generis curare possit, ut constat ex *Matth. 4. v. 23.* Dixit II. Domine non sum dignus; in græco habetur vox ἱκανὸς, quæ hic idem ac ἄξιος, ut rectè vertit *B. Lutherus*; dixerant *Judæorum* Seniores: *dignus est, ut ei subvenias, diligit enim nos & Scholam nobis extruxit*; at ille: *non sum dignus*, cogitans scil. se ex *gentilibus* ortum, ex illis prognatum, qui *præputium* dicebantur *Eph. 2. v. 11.* cogitans se etiam Romanis *Idolis* aliquandiu *adhæsisse* & *servisse* illis, *qui natura non sunt Dij Gal. 4. v. 8.* cogitans, se etiam hactenus sæpius deliquisse vel transgrediendo vel connivendo militibus, qui *concutere* solebant, non *contenti stipendiis Luc. 3. v 14.* Dixit III. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. In græco occurrit vox στέγη quæ notat quandoque *exiguum tectum*, atque ita usurpatur *Syrach. 14. v. 24* descendit à Verbo στέγω, quod notat *tegere, obumbrare*, quo tecta domus obscurant, atque ita usurpatur *1. Corinth. 13. v. 7.* quæ de-

nique notat *tectum fragile* & quod *disrumpi potest* vi adhibitâ, atque ita usurpatur *Marc. 2. v. 4.*

I. D.

VIdemus, Quomodo nos gerere debeamus, si in Angustiâ Crucis adire desideramus DEUM, quærere opem & auxilium. Nempe uno Verbo humiliter, juxta illud: *Indicabo tibi Homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; utique facere judicium, & diligere misericordiam, & humiliter ambulare cum DEO tuo. Michæ 6. v. 8.* Humiliter nos gerere debemus accedentes DEUM I. intuitu Majestatis, quia ipse *Dominus Dominantium*, comparemus coram illo, qui Dominus omnipræsens, de quo *Solomon: Cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt. 1. Reg. 8. v. 27.* comparemus coram illo, qui Dominus omniscius, de quo *David: Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum. Psal. 34. v. 16.* comparemus coram illo, qui Dominus omnipotens, de quo *Esaias: Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat. cap 59. v. 1.* Si quondam *Seniores Israelis* humiliter se gesserunt coram *Davide* intuitu Majestatis, quam DEUS illi contulerat, ex unctione *Samuelis 2. Samuel. 5. v. 1. & seq.* quanto magis nostri erit officii humiles nos exhibere intuitu Majestatis divinæ per Unctionem Spiritus Carni collatam, atque agnoscere illud: *Magnus consilio & magnus operibus, cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Hominum. Jer. 32. v. 19.* Humiliter nos gerere debemus accedentes DEUM, II. intuitu Indignitatis, quia nos indigni, quanti quanti sumus. An non enim etiam sumus origine Gentiles, qui *alienati à republicâ Israel, fuimus, & hospites Testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine DEO in hoc Mundo. Eph. 2. v. 12.* annon etiam colimus *peregrinos Deos* in majoribus nostris, *euntes ad simulacra muta prout ducebamur. 1. Corinth. 12. v. 2.* annon etiam *deviamus cottidie, & in multis offendimus omnes. Jacob. 3. v. 2.* Si quondam *Simei* humiliter se gessit coram *Davide* intuitu suæ indignitatis peccaminosæ & dixit: *Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem, neque reminiscaris*

minerù injuriarum servi tui, in die, quâ egressus es, Domine mi Rex, de Jerusalem neque ponas in corde tuo. 2. Sam. 19. v. 19. quanto magis nostri erit officii humiles nos exhibere intuitu peccaminosæ nostræ indignitatis, & agnoscere illud *Pauli: Omnes peccavêrunt, & egent gloriâ Dei, &c. Rom. 3. v. 23.* Humiliter nos gerere debemus accedentes DEUM, III. intuitu Difformitatis, quia tantum ipse & tectum Cordis nostri distant. Est ille omnipræsens Dominus, Cor verò nostrum tectum exiguum, *& arctum ut tugurium*, illud *in quo pernoctatur in cucumerariis hortis. Esaiæ 1. v. 8.* est ille omniscius Dominus, Cor verò nostrum tectum obscurum & tenebricosum, ut illa *Ægyptiorum Exodi 10. v. 22.* est ille omnipotens Dominus, Cor verò nostrum tectum fragile & facile rumpendum, ut illud tugurium, *& tabernaculum pastorum. Esaiæ 38. v. 12.* Si quondam *Mephibosethh* humiliter se gessit intuitu difformitatis inter se & *Davidem*, quòd ille haberet Domum exiguam in *Lodabar*, *David* verò splendide regnaret, & dixit: *Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei? 2 Sam. 9. v. 8.* quanto magis nostri erit officii humiles nos exhibere intuitu difformitatis nostri Cordis & DEI, & agnoscere illud: *Ecce inter servos ejus non manserunt fideles, & in Angelis suis deprehensa est stultitia, quantò magis hi, qui habitant domos luteas, quæ terrenum habent fundamentum, confumentur. Job. 4, v. 19.*

USUS I. DEHORT.

SI tam humiliter nos gerere decet accedentes ad DEUM, peccant graviter, qui non demisso ore dicunt: *Domine;* sed elato animo cum *Pharaone: Quis dominus ille ut audiam vocem illius & dimittam Israël? ex Exodi 5. v. 2.* quid illis expectandum quàm experimentalis notitia illius Domini deprimentis, *terribilis, facientis mirabilia? Exod. 15. v. 11, & 12.* Peccant graviter, qui non indignos, sed dignos se dicunt cum *Ephraimo*, ita intumescentes & dicentes: *Profectò dives sum, paravi mihi vires, in omnibus laboribus meis non invenietur iniquitas, quæ sit peccatum. Oseæ 12. v. 8.* quid illis expectandum præter experimentalem notitiam indignitatis coram DEO,

& illud? *ero eis quasi Leæna, sicut pardus in viâ Assyriorum: occurram eis quasi ursa raptis catulis, & dirumpam occlusum Cor eorum, & consumam eos ibi, quasi Leo, bestia agri scindet eos. Oseæ 13. vers. 7, & 8.* Peccant graviter, qui non habere volunt tectum Cordis exiguum, sed superbum cum principe *Tyri*, dicentis: *Deus ego sum, & in cathedrâ DEI sedi, in corde maris. Ezechiel. 28. v. 2, & 3.* quid illis expectandum, quàm experimentalis notitia cordis fragilis & tenebricosi, juxta illud? *Ecce ego adducam super te alienos, Tyrannos gentium, & nudabunt gladios suos, super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum. Ezech. 28. v. 7.*

USUS II. ADHORT.

SI tam humiliter gerere nos decet accedentes ad DEUM, benè agunt, qui vestigiis hujus Centurionis insistunt & cum *Abrahamo* intuitu Majestatis divinæ dicunt: *Ecce quæso ausus sum loqui ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis.* ex *Gen. 18. v. 27.* cum *Jacobo* intuitu indignitatis, dicunt: *Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tuâ, quam expleviſti servo tuo. Gen. 32. vers. 10.* cum *Davide* intuitu exigui tecti originarii, dicunt: *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc usque.* ex 2. *Sam. 7. vers. 18.*

USUS III. CONSOL.

SI tàm humiliter gerere nos decet accedentes ad DEUM, bono sint animo, qui hoc ad Exemplum se componunt, observantes illud *Petri: Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. 1. Epistola 5. vers. 6.* si DEUS Majestate splendidus & *habitat Lucem inaccessam 1. Timoth. 6. vers. 16.* novimus illum esse eum omnipræsentem Dominum, qui *habitat in excelsis & humiles corde vivificet. Esaiæ 57. vers. 15.* esse illum omniscium Dominum, *qui in Cor nostrum respicit*, de quo *David: Ecce oculi Domini super metuentes eum & in eis, qui sperant super misericordiâ ejus. Psalm. 33. v. 18.* esse illum omnipotentem, qui *superabon-*

dantes

danter facere potest Eph. 3. v. 20. Si omnes & singuli peccaminosi, indigni, *simus tanquam immundus, omnes nos, & pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ. Esaiæ 64. v. 6.* novimus indignissimos esse dignissimos, DEUM esse non tantùm *Judæorum* sed & *gentium DEUM Rom. 3. v. 30.* esse DEUM, qui advocarit *Japhitas* ad tabernacula *Semi* & compleverit illud: *In die illâ projiciet homo idola argenti sui & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret in foramina talparum & vespertilionum. Esaiæ 2. v. 20.* esse *peccatorum & publicanorum socium*, qui ipse dixerit: *Non est opus Medico valentibus, sed malè habentibus: non enim veni justos vocare sed peccatores ad pœnitentiam. Matth. 9. v. 12, & 13.* Si denique tectum & tugurium Cordis nostri exiguum, obscurum & fragile, *corpus, quod corrumpitur, aggravet animam, & terrena inhabitatio deprimat sensum multa cogitantem. Sap. 9. v. 15.* novimus DEUM in carne, tanquam scena, habitantem, fecisse illud Templum sibi, in quo hic & *ibi habitaturus & ambulaturus 2. Cor. 6. v. 16.* legisse sibi sedem, in quâ hic & illic *Lucem diffusurus, & civitatem, quæ non eget sole, neque luna ut luceant in eâ. Nam claritas DEI illuminabit eam, & lucerna ejus erit Agnus. Apoc. 21. v. 23* statuisse sibi locum, quem perpetuùm etiam post fragilitatem hanc conservet: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus tabernaculi dissolvatur, quòd ædificationem ex DEO habemus, domum non manu factam, sed æternam in Cœlis. 2. Corinth. 5. vers. 1.* AMEN.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIÆ, MATTH. VIII. ℣s. 27.

Οἱ δὲ ἄνθρωποι ἐθαύμασαν, λέγοντες ποταπός ἐστιν οὗτος; ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι, καὶ ἡ θάλασσα, ὑπακούουσιν αὐτῷ.

Homines verò admirabantur, dicentes: Qualis est hic? quia venti quoque & mare obediunt illi.

Olennis quondam fuit deprædicatio Numinis, quam instituit Moses cum toto populo, dum scil. post transitum Maris rubri inter alia can-

tavit

tavit tum ipse, tum cæteri. *Quis tibi similis in Diis Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia. Exodi 15. vers. 11.* Solennis fuit hæc deprædicatio, directa quippe ad Messiam. Præcesserat ille *Israelitas in Columna nubis & Ignis*, ita Incarnationi suæ præludens, ambulabat cum ipsis &, cùm nox ingrueret, medium se interponebat inter *Israelitas* & populum *Ægyptiorum*, ad illos tutandos hos verò arcendos; quapropter sese componunt ad gratiarum actionem præcentore *Mose*, atque carmen decantant cum admiratione illius, qui adstiterit ipsis, *Mosique* quondam in *Rubo* apparuerat, prædicens illam miraculosam eductionem & conservationem, de quo *Exodi 3. v. 2, & 10.* Solennis fuit hæc deprædicatio; conjuncta enim fuit cum agnitione inmensæ Majestatis. Ostenderat se ductor hujus populi, sese esse verum DEUM; quapropter populus agnoscit illum talem, deprædicat eum & *dicit: quis similis tui in Diis Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia*, adeoque commendat illius Eminentiam, potentiam, atque opponit eundem omnibus *Ægyptiorum* præsidiis, omnibus Idolis *gentilium*, utpote talem & tantum, qui comparem non habeat, qui *faciat mirabilia solus Ps. 72. v. 18.* Solennis fuit hæc deprædicatio; laudavit enim populus Mose præcentore factum divinum. Respexerat DEUS ex *columna* in *Ægyptiorum* Exercitum, manum extenderat ita ut absorpserit illos terra, Verbo potenti illos prostaverat, ut *cecederint in profundum*; quapropter vocem elevat populus *Israel*, deprædicat magnum illud Beneficium, atque ipso opere & sensu deprehendit, quàm verum illud quod paulò ante DEUS *Mosi*, dixerat: *Indurabo cor ejus, ac persequetur vos, & glorificabor in pharaone & omni exercitu ejus, scientque Ægyptii, quòd ego sim Dominus. Exod. 14. v. 4.* Ut quondam populus hic deprædicavit *Messiam* circa *mare Rubrum*, ita quoque, qui in Mari *Galilææ* adfuerunt Christo serenitatem reducente, dum dixerunt: *Qualis est iste*, de quo οὗτος

EXE-

EXEGESIS.

Mirati fuerunt præsentes præsens miraculum; quapropter dicunt: *Qualis est iste.* In quibus Verbis I. observandum de quo loquantur. Dicunt autem: *Qualis iste!* ὁ Θ, nempe ille, qui Homo & cæteris aliâs hominibus compar in Natura, qui in flore ætatis & *habitus pro filio Josephi Luc. 3. v. 23.* qui ambulavit hactenus in terrâ & tandem navim conscendit, obambulans & *prædicans* circa mare *Galilææ Matth. 4. v. 13, & 17.* qui lassus obdormivit, ut aliâs fessus de viâ quoque *consedit ad fontem Joan. 4. v. 6.* II. Observandum, quid dicant, dicunt: *Qualis iste* ποταπός ἐστιν, quidam reddiderunt: *qualis*, commodiùs redditur *quantus*, quam potens adversus tumultus Ventorum & maris, quod sæviit concitatum à Diabolo, *qui fervescere facit quasi ollam, profundum; mare ponit, quasi cum unguenta bulliunt. Jobi cap. 41. vers. 22.* quàm sapiens, qui opportuno tempore subvenit, cum omnia venissent ad summum, & navis videbatur operienda, & dicendum: *Circumdederunt me aquæ usq; ad animam, abyssus vallavit me, juncus operuit caput meum. Jonæ 2. v. 6.* quàm clemens & benignus scil. suis, qui cum ipso intrarunt vel eundem secuti sunt, qui ad ipsum *clamarunt de profundis Psalm. 130. v. 1, & 2.* III. Observandum quomodo dicant. Dicunt autem: *Quantus est iste!* utpote animadvertentes modum operandi, quod ita expergefactus prospiciat & ostendat providentiam illam, *quæ gubernat, quoniam dedit & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam.* de quo *Sapient. cap. 14. v. 4.* quod ita manu vel digito comminationis indice exerto compescat, ut aliâs gestu juvit dictionem, *& digito reflexo proprium designavit Corpus Joan. 2. v. 19.* quòd ita unico verbo tantam serenitatem induxit, ut de DEO dicitur: *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt, Psalm. 33. vers. 9.*

L. D.

VIdemus, quanti æstimandus sit Salvator noster. Hoc docet illud de ipso Dicterium. Magni æstimandus est Salvator

noſter I. ex naturæ Conditione. Eſt enim is ille Homo, de quo *Eſaias: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Immanuel. cap. 7. v. 14.* eſt is ille propheta, de quo *Moſes: Prophetam de medio tui & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies. Deut. 18. v. 15.* eſt is ille *Meſſias & Pontifex, qui nobis ſimilis factus in infirmitatibus excepto peccato Ebræor. 4. v. 15.* Ut quondam magni fuit æſtimatus inter *Ninivitas Jonas*, qui homo ex gente *Ebræâ*, Propheta, quique obdomivit in Navi *Jonæ 1. v. 5.* ita multò magis *Chriſtus Salvator* noſter magni erit æſtimandus tanquã homo noſtri cauſa factus, propheta & pontifex, de quo *Petrus: Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus. Actor. 10. v. 13.* Magni æſtimandus eſt Salvator noſter II. ex Majeſtatis oſtenſione, oſtendit enim Majeſtatem potentiæ, & ſe eſſe illum, qui dicere potuit: *Data eſt mihi poteſtas in Cœlo & in terrâ. Matth. 28. verſ. 18.* oſtendit Majeſtatem Sapientiæ, quòd ſcil. ſit ille, de quo *Petrus: Domine tu omnia noſti. Johan. 21. v, 17.* oſtendit Majeſtatem Clementiæ, & ſe eſſe illum, qui dicere poſſit: *Noli timere puſille grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum. Lucæ 12. v. 32.* Ut quondam magni fuit æſtimatus *David*, qui Majeſtatem potentiæ, Sapientiæ, & clementiæ oſtendit, victorioſus ad *Jordanem*, de quo *2. Sam. 19. v. 18.* ita multò magis æſtimandus erit *Chriſtus* Salvator noſter, tanquam ille, de quo *David: Magnus eſt Dominus Deus noſter præ omnibus diis, omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terrâ, in mari & in omnibus abyſſis. Pſalm. 135. v. 5, & 6.* Magni æſtimandus eſt Salvator noſter, III. ex Effectus Conſecutione, *oculos* ille *aperit* ſuper *juſtos Pſalm. 34. v. 16.* Manum ille exſerit potentem & dicit: *Ecce non eſt abbreviata manus mea, ut ſalvare nequeat, neque aggravata eſt auris mea, ut non audiat. Eſaiæ 59. v. 1.* Verbo ille omnia compeſcit, & dicit: *Usque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos. Jobi 38. v. 11.* Ut quondã magni æſtimatus fuit *Semeja*, quia ad Verbum unius prophetæ conquievit tota aula *Rechabeami* utpote ad Verbum Domini *1. Reg. 12. verſ. 24.* ita multò magis æſtimandus *Chriſtus Salvator* noſter, quia ad illius experfactionem, digitum vel manum, & Verbum comminationis omnia

conquiescere debent, *qui confirmat montes in virtute, suâ accinctus potentiâ, qui compescit sonitum maris, sonitum fluctuum. Ps. 65. v. 8.*

USUS I. DEHORT.

SI tanti æstimandus Salvator noster, caveamus, ne contemnentes illius humanitatem, dicamus: *Unde huic hæc omnia? & quæ est Sapientia, quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur? Nonne hic est faber, filius Mariæ, & frater Jacobi, & Joſe, & Judæ, & Simonis? nonne & sorores ejus hîc nobiscum sunt?* ex *Marc. 6. v. 2. & 3.* memores illius: *Quiescite ab Homine, cujus spiritus in naribus ejus est, quanti enim æstimandus est? Esaiæ 2. v. 22.* Caveamus, ne ignorantes illius Majestatem, dicamus: *Nos scimus, quòd Mosi locutus sit Deus, hunc autem nescimus, unde sit. Joh. 9. v. 29.* memores illius: *Reges eos in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes eos. Psalm. 2. v. 8, & 9.* Caveamus, ne vilipendentes illius Verbi Efficaciam, dicamus: *Quis Dominus, ut audiam Vocem ejus?* ex *Exodi 5. v. 2.* memores illius: *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui judicet eum, sermo quem locutus sum, judicabit eum die novissimo. Joh. 12: v. 48.*

USUS II. ADHORT.

SI tanti æstimandus Salvator noster, studeamus, ut illum, qui est nostræ carnis & sanguinis, confidenter accedamus, dicentes: *Ecce nos os tuum, & caro tua sumus.* ex *2. Sam. 5. vers. 1.* Studeamus, ut illum, qui tantus est Majestate, reverenter adoremus, dicentes: *Dignus es Domine accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & per voluntatem tuam sunt & creata sunt.* ex *Apoc. 4. v. 11.* Studeamus deniq;, ut illum, qui manu, & verbo suo, omnia operatur & tranquillat, rogemus & oremus ardenter, dicentes: *Increpa feram arundinis, congregationes taurorum, cum vitulis populorum, conculcantem propter beneplacitum argenti.* ex *Ps. 68. vers. 31.*

USUS III. CONSOL.

Si tanti æstimandus Salvator noster, bono sint animo, qui *in ipso confidunt Psalm. 2. vers. 12.* Si *indignitas* nostra nos urgeat, q. òd scil. Caro peccaminosa & fragilis, atque agnoscendum illud: *Omnis caro fœnum & omnis gloria ejus, quasi flos agri. Esaiæ 40. vers. 6.* novimus *Verbum Carnem factum Joban. 1. vers. 14.* obambulasse tanquam propheram, ut nos informaret de Salute, & *prædicaret contritis & sanaret confractos. Luc. 4. v. 18.* dormiisse, ut nos excitaret è pulvere, juxta illud: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini & jubilate, qui habitatis in pulvere, quia ros herbarum virentium, ros tuus. Esaiæ 26. v. 19.* Si nos urgeat *nostra Infirmitas*, agnoscendum tantillos nos esse, *quasi stilla situlæ, & quasi pulvisculus statera, quasi pulvis exiguus. Esaiæ 40. v. 15.* novimus illum esse potentem, ut nos infirmos tueatur, atque defendat ut dicere possimus: *Dominus est illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* ex *Psalm. 27. v. 1.* esse illum Sapientem, ut nos respiciat, ut possimus dicere: *Ecce oculi Domini super metuentes eum & in eis, qui sperant super misericordiâ ejus.* ex *Psalm. 33. v. 18.* esse benignum & clementem suis, ut parcat, nec non dicere possimus: *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors; quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* ex *Psalm. 103. v. 8. & 13.* Si denique *Miseria & Calamitas, Tempestas* una & altera nos urgeat, atque agnoscendum quandoque illud: *Infixus sum in limo profundi, & non est statio: Veni in altitudinem aquarum, & tempestas inundatione circumvenit me. Ps. 69. v. 3.* novimus oculum illius vigilare: *Ecce enim non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. Psalm. 121. v. 4.* manum illius regere omnia: *In manu ejus sunt abscondita terræ, & fortitudines montium ipsius sunt; quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud; & siccam manus ejus formaverunt. Psalm. 95. v. 4, 5.* Verbum denique illius omnia posse compescere & tranquillare: *Ab increpatione tuâ Deus Jacob obdormiunt currus & Equus. Psalm. 76. v. 7.* ut possimus dicere: *Deus noster, refugium & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis; propterea non timebimus,*

mebimus, si Terra loco suo moveretur, & montes in medium mare precipitarentur. Sonent sanè & turbidæ fiant aquæ ejus, & tremant montes in sua altitudine suâ Selah; rivuli fluminis lætificant civitatem DEI, sanctas habitationes Altissimi. Deus in medio ejus: non commovebitur: adjuvabit eam Deus ante auroram. Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna; dedit vocem suam, diffluxit Terra Dominus exercituum nobiscum, insuperabilis munitio est nobis Deus Jacob, Selah. ex Psalm. 46. v. 2, 3, 4, 5, 5, 7, 8. AMEN.

DOMINICA V. POST EPIPHANIÆ, MATTH. XIII. ℣. 30.

Ἄφετε συναυξάνεσθαι ἀμφότερα μέχρι τοῦ θερισμοῦ, καὶ ἐν τῷ καιρῷ τοῦ θερισμοῦ ἐρῶ τοῖς θερισταῖς· συλλέξατε πρῶτον τὰ ζιζάνια, καὶ δήσατε αὐτὰ εἰς δεσμὰς πρὸς τὸ κατακαῦσαι αὐτά· τὸν δὲ σῖτον συναγάγετε εἰς τὴν ἀποθήκην μου.

Sinite pariter crescere utraque usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, & colligate ea in fasciculos ad comburendum ea; triticum verò congregate in horreum meum.

NOn sine singulari providentia divina Israelitæ ingressi sunt tempore Messis in terram Canaan, de quo *Josuæ 3. v. 25.* Non sine singulari providentiâ ingressi sunt Israelitæ tempore Messis in terram Canaan, quia hactenus fuerunt mirabiliter eousque perducti. Siverat DEUS illos crescere & multiplicari fecerat, ut & generarentur & augerentur & vestes, atque calcei non detererentur adeoq; se demonstravit illis *Aquilam fovente Deut. 32. v. 10, 11, 12.* Non sine singulari providentia ingressi sunt Israelitæ tempore Messis in terram Canaan, quia magno Numero ingressi. Erant non omnes ejusdem sensus & Ingenii, quidam pii, quidam, ut fieri solet in omni cœtu, improbi, imitantes

patrum suorum duritiem, qui tamen mixti fuerunt Cætui cum cæteris ingressi, utut *Psaltes* pronunciarit: *Quadraginta annis offensus fui generationi illi & dixi: populus est, qui errat corde jurarem in irâ meâ, non introibunt requiem meam. Psalm. 95. vers. 10. 11.* Non sine singulari providentiâ ingressi sunt Israelitæ tempore Messis in terram Canaan, quia hoc fuit tempus à DEO definitum & determinatum. Peregrinati fuerant per quadraginta annos in deserto, diu hæserant nunc in hoc nunc in illo loco, quapropter appropinquante tempore definito ingrediuntur terram *Canaan*, Messis tempore, cùm quidam & quidem permulti illâ digni non fuerint habiti, sed *prostrati à DEO justè judicante in deserto*, de quo *Paulus 1. Cor. 10. v. 5.* Ut quondam *DEUS* singulare edidit providentiæ Specimen circa *Israelitas*, & eorum Introductionem in terram *Canaan*, ita adhuc singulari providentiâ versatur circa cætum suum in his terris, quem intendit introducere in vitam æternam, dum dicit: *Sinite utraque crescere usque ad Messem.* de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

POstquam ad quæsitum servorum respondisset paterfamiliâs negativè addit: *Sinite utraque crescere usque ad Messem.* In quibus Verbis observandum I. quod dicat sinite crescere. Ego permitto, ut crescant, quapropter & vos sinite crescere. In græco est vox συναυξάνεσθαι, cujus simplex notat DEO & Cœlo favente crescere, quemadmodum usurpatur de *liliis Matth. 6. v. 28.* notat assurgere & augeri, quemadmodum usurpatur de *semine frumenti Marc. 4. v. 8.* notat denique excrescere in arborem & perfectionem suam acquirere, quemadmodum usurpatur de *Sinapi Luc. 13. v. 19.* II. Observandum quòd dicat sinite crescere utraque. In græco habetur vox ἀμφότερα, non tantùm indicat in primo Verbo compositio, quòd simul sinenda sint crescere, sed etiam explicatiùs hoc docet, dicendo ἀμφότερα, nempe unà cum semine bono Zizania, quæ non ex semine projecto nata, sed sponte emerserunt hominibus dormientibus, ut alias tribuli & spinæ, de quibus *Matth. 7. v. 16.* quæ non succo bono sed malo instructæ & vitiosæ, ut arbores illæ & fru-

ctus

ćus, de quibus *Matth. 12. v. 33.* quæ non præditæ virtute nutriendi, sed nullius sunt usus, *ut paleæ*, ut de quibus *Matth. 3. v. 12.* III. Observandum quòd dicat, finite crescere utraque simul usque ad messem, in græco est vox θερισμὸς, quæ notat *tempus æstivum*, Messem tempore debito & æstivo *Marc. 4. v. 29.* quæ notat Messem maturarum & albescentium frugum *Joan. 4. v. 39.* quæ denique notat Messem aridi temporis & fructus *Apoc. 14. v. 15.*

L. D.

VIdemus, Quòd permittendum sit malos & inprimis hæreticos versari in agro Domini, vel hoc Mundo, nec gladio illos violenter esse exscindendos. Permittendum est hæreticos versari in hoc Mundo citra violentam excisionem, I. ex divina dispositione, finit enim illos crescere Deus, cui nos ipsos tenemur conformare, & finere, ut crescant instar herbarum & florum, unde *David; Germinant impii sicut herba, & florent omnes, qui operantur iniquitatem. Psalm. 92. v. 8.* finere ut crescant, & augeantur instar frumenti, unde *Job: Cur impii vivunt, senescunt, etiam pollent opibus? Semen eorum stabile est, in conspectu eorum cum ipsis, & germina eorum cum oculis ipsorum: in domibus eorum non est pax à timore, nec est virga DEI super eos. cap. 21. v. 7, 8, 9.* finere ut crescant & persistantur, instar arborum, unde *Ezechiel: Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis & frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, & inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus. cap. 31. v. 3.* Ut quondam *Hirkias* permisit crescere, quod enatum in herba, se auxit & profecit in plenam spicam *Esaiæ 37. v. 30.* ita omnes & singuli tenentur finere crescere citra excisionem violentam, quod Deus finit crescere tempore N. T. quod est tempus illud, de quo *Paulus: Tempora quidem hujus ignorantiæ dissimulans Deus, nunc denunciat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, eò quòd statuit diem, in quo judicaturus est orbem in justitiâ per virum, per quem decrevit. Actor. 17. v. 30.* permittendum est hæreticos versari in hoc Mundo citra violentam excisionem II. ex utriusq; conjunctione, quia & Semen bonum & Zizania mixtim inveniuntur & cum zizaniis

era-

eradicari posset Semen bonum, quod quidem nunc non bonum, sed bonum fieri potest; adjungit enim sese zizanium bono Semini, illud, quod sponte sua oritur, de quo *Jeremias: Non mittebam prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. cap. 23. v. 21.* adjungit sese zizanium bono Semini, illud, quod vitioso abundat succo, de quo *Christus Matth. 12. vers. 33.* adjungit sese zizanium bono Semini illud, quod inutile & noxium, de quo *Paulus: Habent speciem pietatis, vim autem ejus abnegant. 2. Timoth. 3. vers. 5.* Ut quondam permisit *Salomon* crescere cum arboribus & seminibus bonis etiam *Hyssopum exiguam*, & *de diversis disseruit 1. Reg. 4. v. 33.* ita omnes & singuli tenentur sinere crescere citra excisionem violentam, quod conjunctum, cùm *Deus velit omnium Salutem, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2. v. 4.* permittendum est hæreticos versari in hoc Mundo citra violentam excisionem. III. ex Messis determinatione. Ipse quippe cœlestis Paterfamilias vult, ut crescere sinamus usque ad tempus Messis, cùm appetit tempus æstivum *Judicii*, de quo *Christus: Videte ficulneam & omnes arbores, cùm producunt jam gemmas, scitis quoniam propè est æstas; ita & vos, cùm videritis hoc fieri scitote, quòd propè instet regnum Dei. Luc. 21. v. 30, & 31.* ut crescere sinamus usque ad tempus Messis, cùm jam maturuerint pii ad vitam æternam, & continget illud: *Qui seminant in lachrymis, cum jubilatione metent, euntes ibant & flebant portantes pretiosum semen. Psalm. 126. v. 5, & 6.* ut crescere sinamus usq; ad tempus, cùm aridi ad judicium & Ignem infernalem *seminantes in Carne* reservantur *Gal. 6. v. 8.* Ut quondam *Boazus* permisit crescere sementem usq; ad tempus Messis, & dein demum mandavit *collectionem & separationem, exitiq; ad Messores Ruth. 2 v. 4.* ita omnes & singuli tenentur sinere crescere citra excisionem violentam, quod in Messe demum maturum ad discretionem, cùm *dabit Deus unicuique secundùm opera sua, his quidem secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus, vitam æternam; his autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Rom. 2. v. 6, 7, 8.*

usus

USUS I. DEHORT.

SI permittendum hæreticos versari in hoc Mundo citra violentam excisionem, peccant illi, qui nolunt permittere ut crescant, sed dicunt cum *Petro*, & Apostolis cæteris: *Domine, percutiemus ne gladio?* ex *Luc. 22. v. 49.* memores illi deberent esse illius *Christi*: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Matth. 26. v. 52.* Peccant illi, qui nolunt permittere, ut crescat zizanium cum frumento, sed dicunt cum *Abisai*: *Quare maledicit canis hic moriturus Domino meo regi? Vadam & amputabo illi caput.* ex *2. Sam. 16. v. 9.* memores illi deberent esse illius *Christi*: *Nescitis cujus Spiritus vos estis, filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Luc. 9 v. 55. & 56.* Peccant illi, qui nolunt permittere, ut crescat zizanium usque ad messem, sed tempus prævenire volunt & dicunt: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos populi mei? quis dabit in solitudine diversorium viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt & cœtus prævaricatorum.* ex *Jeremiæ cap. 9. v. 1, & 2.* memores illi deberent esse illius *Messiæ*: *Fuerunt mihi, ait Dominus Exercituum in die, quâ ego facio in peculium & parcam eis, sicut vir parcit filio suo servienti sibi, & convertimini & videbitis, quid sit inter justum & impium, & inter servientem DEO & non servientem. Malachiæ 3. v. 17, & 18.*

USUS II. ADHORT.

SI permittendum hæreticos versari in hoc Mundo citra violentam excisionem, studeamus, ut permittamus crescere, quod DEUS sinit crescere, de quo *Christus*: *Pater vester, qui in cœlis est, solem suum oriri facit super bonos & malos, pluit super justos & injustos. Matth. 5. vers. 45.* Sinamus crescere, quod conjunctum bono Semini & forsan in bonum semen transire potest, de quo *Paulus*: *Tu quis es, qui judicas alienorum servum? Domino suo stat, aut cadit, stabit autem, potens enim Deus est statuere illum.*

Rom. 14. v. 4. Sinamus crescere, quod Messis tempore demum discernendum, de quo *Paulus: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque ea, quæ fiunt per corpus, prout gessit sive bonum, sive malum. 2. Corinth, 5. v. 10.*

USUS III. CONSOL.

SI permittendum hæreticos versari in hoc Mundo citra excisionem violentam, bono sint animo, qui ad Exemplum *Christi mansueti Matth. 11. v. 29.* Si *Diabolus* nos animare gestiat ad diminutionem tanquam *homicida ab initio*, de quo *Joh. 8. v 44.* novimus Spiritum Christi aliud dictare, & fructus illius esse, *charitatem, longanimitatem, mansuetudinem. Gal. 5. v. 22.* Si *Mundus* animare gestiat nos ad impatientiam, tanquam omnia nihili faciens: *Præminet præ pinguedine oculus eorum, transierunt in affectum cordis; extenuant & locuti sunt nequitiam, iniquitatem de Excelso locuti sunt. Psalm. 73. v. 7. & 8.* novimus Spiritum *Christi* aliud dictare & Ministro etiam Ecclesiæ insinuare illud, *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. 2. Timoth 2. v. 24.* Si *Caro* propria animare nos gestiat ad præcocem excisionem tanquam obluctans Spiritui *Gal. 5. v. 17.* novimus Spiritum *Christi* aliud dictare, nempe, ut *eamus in Sanctuarium & consideremus finem: Profectò enim in lubrico* DEUS *posuit eos, dejicit in devastationem; quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, absumti sunt à terrore. Velut somnium surgentium Domine, imaginem ipsorum despectam reddis. Psalm. 73. vers. 17, 18, 19, 20.*

AMEN.

DOMI-

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ, MATTH. XX. ℣. 8.

Ὀψίας δὲ γενομένης λέγει ὁ Κύριος τῷ ἐπιτρόπῳ αὐτοῦ, κάλεσον τοὺς ἐργάτας, καὶ ἀπόδος αὐτοῖς τὸν μισθὸν, ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων.

Dum autem vespera facta esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à postremis usque ad primos.

Mirabiliter quondam DEUS egit cum Israelitis, constituto enim tempore illos eduxit ex Ægypto, plantavit in Monte Sion & donis variis ornavit, juxta prædictionem *Exodi. 3. vers. 21.* Mirabiliter DEUS egit cum Israelitis, dum constituto tempore illos eduxit. Sat diu miseri egerant in hac Regione, peregrini fuerant in terra *Ham*, & desiderarunt inter Spem & Metum positi liberationem à Benignitate divina, quapropter dum tempus à DEO constitutum præsens, ad vesperam illi juxta mandatum divinum comedunt pascha, & paulo post educuntur gloriosè ita, ut *David* dicat: *Quiescere fecit eos tutò & non timuerunt, & operuit eos mare Psalm. 78. v. 53.* Mirabiliter DEVS egit cum Israelitis, dum plantavit illos in terrâ Canaan. Hæserant per quadraginta annos in deserto, ubi nihil nisi caudices saxa, & sabulosum solum, quapropter cùm Dominus totius orbis introduxisset eos, plantat, ut radices agant in terra benedictâ, in monte *Sion*, oculo gratioso ipsis advigilat, propheras & ministros mittit adeo, ut *David* dicat: *Deus exercituum converte te ad nos, & illumina faciem tuam & salvi erimus, vitem de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes & plantâsti eam; expurgasti in conspectu ejus, & plantasti radices ejus, & implevit terram, operuit montes umbra ejus, & palmites ejus cedros DEI; extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus. Psalm. 80. v. 8 9, 10, 11, 12.* Mirabiliter denique DEUS egit cum Israelitis, dum ipsis assignavit Mercedem splendidam.

Sat diu illi servi erant in coquendis lateribus & stipulis conquirendis, *ut etiam vita ipsis fuerit tædio*, quapropter cum Mensura laborum esset abundanter completa, vocat illos DEUS per *Mosen*, assignat ipsis tanquam summus Judex mercedem pro labore, & vult ut à vicinis vasa argentea & aurea petant, nec non vestimenta, & imponant filiis & filiabus parvis & magnis, atque ita probe instructi discedant, ita ut *David* dicat: *Eduxit eos cum argento & auro. Psalm. 106. vers. 37.* Ut quondam DEUS mirabiliter egit cum Israelitis, ita adhucdum in Regno suo mirabilis est in suis operibus, ut verba proposita docent, de quibus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

POstquam *Christus* in hâc parabolâ ea exposuerat, quæ de die contigerunt, concludit & dicit: *Quum autem serum diei esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à postremis usque ad primos.* In quibus Verbis observandum 1. quando hoc opus fuerit susceptum. *Matthæus* dicit: *cùm serum diei esset*, tempore scil. à patrefamiliâs constituto, & aliâs consueto; in græco occurrit phrasis ὀψίας γενομένης, quæ usurpatur aliàs de tali tempore in quo miseris & ægris fuit subventum, atque ita occurrit *Matth. 8. v. 16.* quæ usurpatur de tali tempore, in quo populus commoratus in deserto, atq; ita occurrit *Matth. 14. v. 15.* quæ tandem usurpatur de tali tempore, in quo Spes de Serenitate futurâ, atque ita occurrit *Matth. 16. v. 2.* II. Observandum Quis sive à quo hoc opus fuerit Susceptum. *Matthæus* dicit: *cùm serum esset diei, dixit Dominus vineæ*, ille scil. cujus vinea propria, ut illa *Nabothi*, qui *patrium* dixit *fundum 1. Reg. 21. v. 2, & 3.* ille scil. cujus vigil erat oculus in hanc vineam, ut *Noachi* qui *plantavit suam Gen. 9. v. 20.* ille scil, qui misit in illam pro arbitrio, ut excolerent eam, ut *Sichemitæ*, qui tempore autumnali assumpserunt, qui excoluerant per annum *Judic 9. v 27.* III. Observandum, quomodo hoc opus susceptum sit. *Matthæus* dicit: *dixisse hunc Dominum* ἐπιτρόπῳ procuratori vel œconomo, *Voca operarios* scil. omnes, tum qui manè, tum qui serò, exierunt in

Vineam,

Vineam & laborarunt scil. in eâ *domum aliás redeuntes circa vesperam*, ut *David* loquitur *Psalm. 104. v. 23. redde eis mercedem*, nec detineas eam juxta regulam *Tobiæ: Quicunque aliquid tibi operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui apud te non remaneat. cap 4. 15.* & *incipe ab ultimis usque ad primos*, sine discrimine ordinis, ita tamen, ut nullus prætermittatur ab imo usque ad magnum & primum, prout hæc phrasis occurrit *Actor. 8. v. 9, & 10.*

L D.

VIdemus, quàm Sapienter, mirabiliter & liberè Dona Gratiæ distribui soleant in Ecclesiâ, quæ est in his terris. Sapienter, mirabiliter & liberè solent distribui Dona Gratiæ in Ecclesia, quæ in his terris, 1. ex temporis Determinatione, quia Cœlestis Paterfamiliás illa dispensat eo tempore, quo ipse voluit, quod ipse præfixit. Exhibet illa commodo tempore, cùm serum ingruit Miseriæ, & dicendum cum *Hiskia: Habitatio mea recessit, & migravit à me velut i tabernaculum pastoris: præcidi more textoris vitam meam, ægritudine Deus succidet me, à die usque ad noctem consummabis me; tunc putavi vitam meam usque ad mane, veluti Leo, sic contrivit omnia ossa mea, à die usque ad noctem consummabis me*, ex *Esaiæ 38. v. 12, & 13.* exhibet illa commodo tempore, cùm serum ingruit peregrinationis, in deserto hujus seculi, & conquerendum cum *Jobo: Militia est vita Hominis super terram, & sicut dies mercenarii dies ejus: sicut servus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui. Sic & ego habui menses vanitatis, & noctium molestissimarum mihi numerus factus est.* ex *cap. 7. v. 1, 2, 3.* exhibet illa commodo tempore, cùm serum ingruit Spei melioris, & dicendum cum *Davide: Momentum in indignatione ejus: & vita in voluntate ejus: ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum jubilatio.* ex *Psalm. 30, v. 6.* U DEUS constituto tempore, & quidem circa vesperam exhibuit panes & carnes *Eliæ* ad torrentem *Crith. 1. Reg. 17. v. 6.* ita DEUS adhuc dum dona sua dispensat tempore constituto & commodo, circa vesperam Miseriæ, peregrinationis & Spei, & complet etiam hac ratione illud *Zachariæ: Erit dies una, quæ nota est Do-*

mino, non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux. cap. 14. v. 7. Sapienter, mirabiliter & liberè solent distribui Dona Gratiæ in Ecclesiâ, quæ in his terris, III. ex Domini Declaratione, quia hic ad neminem adstrictus, est ille Dominus vineæ suæ in solidum, ita ut ipse dicatur agricola, *vitis* illius *Christus*, & *fideles* illius *palmites Joh. 15. v. 1. & seq.* est ille Curator suæ vineæ, qui oculum vigilem in illam habet quicquid alii faciant, ita ut *Esaias* dicat: *Vinea facta est dilecto meo, & in cornu filio olei. & sepivit eam, & lapidibus constrvxit eam, vitibus nobilissimis & præstantissimis, & ædificavit Turrim in medio ejus, & torcular extruxit in eâ. cap. 5. v. 2.* est ille Administrator vineæ, qui pro lubitu nunc hos nunc illos in eam vocat & conducit, ut colatur & ferat fructus, atque *floreat Osea 14. v. 8.* Ut DEUS Vineam in terra *Canaan* sibi appropriavit, in illam respexit, & quibus voluit, concessit *Josuæ 24. v. 13.* ita adhucdum Vineam suam possidet, curat pro arbitrio vel hos vel illos in eam mittit, & ipse dicit: *vinea mea coram me Cant. 8. v. 12.* Sapienter, mirabiliter & liberè solent distribui Dona Gratiæ, in his terris III. ex operariorum Designatione, quia Operarii sunt tales, qui citra respectum accipiunt, sunt operarii tales, qui omnes & indiscriminatim vocantur ad hæc *dona*, siquidem *DEUS singulis det Jacobi. 1. v. 5.* sunt operarii tales, qui mercedem accipiunt qualemcunque, siquidem, quod quis *seminaverit etiam metat, qui seminat in carne sua, de carne quoque metet corruptionem, qui seminat in spiritu, de spiritu habebit vitam æternam. Gal. 6. v. 5, & 8.* sunt Operarii tales, qui æquantur à Domino, siquidem, *qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 18. v. 14.* Ut DEUS voluit distribuere mercedem ex pecunia collecta Operariis in Domo Domini *2. Reg. 32. v. 5.* ita exhibet & dispensat adhucdum Dona sua Operariis omnibus indiscriminatim, maxime humilibus, & complet etiam hac ratione illud *Petri*: *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet DEUM, & operatur justitiam, acceptus est illi. Act. 10. v. 34. 35.*

USUS I. DEHORT.

SI tam sapienter, mirabiliter & liberè Dona Gratiæ distribui solent in Ecclesiâ, caveant omnes, & singuli ne

DEO

DEO figant tempus distributionis, auxilii & gratiæ, & ni ad arbitrium illorum hoc fiat, diem & noctem incusent, dicentes: *Pereat dies, in quâ natus sum, & nox in quâ dictum est: conceptus est Masculus. Jobi. 3. vers. 3.* memores illius: *Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est iste sermo, qui misericordiam provocet; sed potius qui iram excitet & furorem accendat. Judithæ 8. vers. 10, & 11.* Caveant omnes & singuli, ne putent DEUM esse adstrictum ad hunc vel illum conducendum, & dicant: *Templum Domini, templum Domini, templum Domini.* ex *Jeremiæ 7. vers. 4.* memores illius: *Malos malè perdet, & vineam suum locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Matth. 21. vers. 41.* Caveant denique omnes & singuli, ne de labore suo glorientur, mercedem sibi fingant ex debito, dicant: *Omnia hæc custodivi à juventute meâ, quid adhuc mihi deest?* ex *Matth. 19. v. 20.* memores illius *Christi*: *Vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Luc. 17. v. 10.*

USUS II. ADHORT.

SI tam sapienter, mirabiliter & liberè Dona Gratiæ distribui solent in Ecclesiâ, omnes & singuli DEO relinquamus determinationem temporis interea, dicentes: *Ego ad DEUM clamabo, & dominus salvabit me; vespere & mane & meridie orabo & ejulabo, & exaudiet vocem meam. Psalm. 55. vers. 17, 18.* Studeamus omnes & singuli, ut hunc Dominum vineæ reverenter habeamus agnoscentes illud: *Miserebor cujus miserebor, & misericordiam præstabo, cui miserebor. Rom. 9. v. 15.* Denique omne opus nostrum agnoscamus ex illius Gratiâ profectum, atque dicamus: *Gratia DEI sum id, quod sum, & gratia ejus, quæ est in me, vacua non fuit, &c.* ex *1. Cor. 15. v. 10.*

USUS III. CONSOL.

SI tam sapienter, mirabiliter & liberè Dona gratiæ distribui solent in Ecclesiâ, bono sint animo, qui cum *Paulo* dicunt:

dicunt: *ô profunditatem divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI! incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Rom. 11. vers. 33.* si videatur nobis tempus gratiæ nimis dilatum, ut conqueramur: *Si cubitum me conferebam, cogitabam, quando consurgam, & rursus metiebar vesperam, & replebar immunditiis usque ad tenebras* ex *Jobi 7. v. 4.* novimus si dicturi: *Domine mane nobiscum, quia advesperascit,* ex *Luc. 24. v. 29.* opportuno tempore distributurum Dona Gratiæ, ut post vesperam miseriæ dicamus cum *Hiskia: tu animæ meæ supervenisti,* ex *Esaiæ 38. v. 17.* ut post vesperam peregrinationis accipiamus cum *Jobo* duplicia *Job. 42. v. 10.* ut post vesperam Spei dicamus cum *David: Convertisti planctum meum in gaudium mihi, exuisti me sacco & cinxisti me lætitiâ; ut cantet tibi gloria mea & non silent, Dominus Deus meus, in æternum confitebor tibi.* ex *Psalm. 30. v. 12, & 11.* Si videatur nobis DEUM deserviisse vineam, nec pro arbitrio etiam in illam mittere, ut conqueramur: *Ut quid destruxisti maceriam vineæ tuæ, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? vastavit eam aper de Sylvâ, feræ sylvestres depascuntur eam. Psalm. 80. v. 14, 15.* novimus si dicamus: *Deus exercituum verte, respice de Cælo; & visita vineam istam.* ex eodem *versu 15.* Dominum Vineæ habiturum illam pro peculio *Exodi 19. v. 5.* oculum intuiturum *in gemmas vitium Cant. 2. v. 13.* denique pro arbitrio missurum, qui *plantent & rigent, incrementumque daturum. 1. Cor. 3 v. 6.* Si denique videatur & noster Labor irritus, atque conquerendum cum Messia: *frustrà laboravi, & vanè fortitudinem meam consumsi. Esaiæ 49. v. 4.* novimus si dicamus: *Opera manuum nostrarum dirige, super nos, & opus manuum nostrarum dirige Psalm. 90. v. 18.* vocaturum tanquam *fideles servos, & dicturum ad singulos: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. v. 21.* fore nostram *mercedem & Clypeum Gen. 15. v. 1.* incepturum ab ultimo ad primum, nec quicquam boni defuturum passurum piis: *Quoniam Sol & clypeus est Dominus, diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus. Psalm. 84. vers. 12.*

AMEN.

DOMI-

DOMINICA SEXAGESIMÆ, LUC. VIII. ℣. 10.

ὁ δὲ εἶπεν. Ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν.

At ille dixit: Vobis datum est nosse mysteria regni DEI, cæteris autem per parabolas, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.

ADmirabilis quondam fuit dispositio divina, dum in domibus Israelitarum lux fulsit, tenebræ verò spissæ involuerunt terram & Domos Ægypti, de quo *Exodi 10. v. 21, 22, 23.* Admirabilis fuit dispositio divina, dum Ægyptios pressit hoc malum. Miserat DEUS ipsis Mosen, proposuerat Verbum suum per illum, verùm illi non attendebant; quapropter DEUS signum notabile ponit inter *Israelitas & Ægyptios*, ut illi lumine gaudeant hi verò in tenebris teneantur, ut *Philo* dicat: *Omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum quæ superventura illis erant. ipsi ergò sibi erant graviores tenebris. Sapientiæ 17. v. 20. 21.* Admirabilis fuit dispositio divina, dum Ægyptiis etiam dies ipse factus fuit nox. Distinxit aliàs DEUS diem & noctem, ita ut alternent, & diversis vicibus, obtineant, unum alteri succedat; verùm ipse dies *Ægyptiis* quoque in noctem versus est, ut verè conqueri potuerint: *Palpavimus, sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectavimus; impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. Esaiæ 59. v. 10.* Admirabilis fuit dispositio divina, dum Ægyptii ita graviter sunt puniti. Habebant illi oculos quidem, sed non videbant, verum spissis circumfundebantur tenebris, & quanquam auribus & mente instructi, tamen silentium occupavit profundum illos, atque insimul terribilia occurrerunt, tum quoad visum, tum quoad

auditum, ut *Philo* dicat : *Unâ catenâ tenebrarum omnes erant colligati, sive Spiritus sibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos avium ſonus ſuavis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inviſus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus echo; deficientes faciebant illos præ timore Sap. 17. v. 18, 19.* Ut quondam admirabilis diſpoſitio tum fuit inter Iſraelitas & *Ægyptios* in terrâ *Cham*, ita quoque Oeconomia gratiæ variat, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

Dixerat *Chriſtus : Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni*, adeoque de unâ claſſe auditorum pronunciarat, jam itaque de alterâ quoque ſententiam fert, & dicit: *Cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* In quibus verbis obſervandum I. quid per cæteros hoſce intelligantur. Intelliguntur autem tales, qui oppoſiti Apoſtolis & cæteris fidelibus, qui *Chriſtum* ſecuti fuerunt, adeoque diſcedentes à *Chriſto*, ut Apoſtoli fuerunt accedentes *Matth. 13. v. 10.* oppoſiti Apoſtolis & fidelibus, qui ulterius inquiſiverunt, deſiderarunt informari, adeoque incurii negligentes, faſtidientes, ut Apoſtoli fuerunt inquirentes *Marc. 4. v. 10.* oppoſiti Apoſtolis & fidelibus, qui explicationem adjectam & ſubjunctam corde bono receperunt, adeoque vani & vacui, ut Apoſtoli fuerunt *habentes Matth. 13. v. 12.* II. Obſervandum, quomodo ad illos ſe habuerit Chriſtus loquens. Dicit autem: *Cæteris per parabolas*, ἐν παραβολαῖς ſcil, tantùm loquor, nudis ſcil. & abſque expoſitione; dicitur autem loqui in parabolis, quia quamvis ſimplex & familiare Orientalibus dicendi genus, tamen ipſis factum eſt in ſingulare & obſcurum genus dicendi, quo quidem ſenſu hæc vox occurrit *Matth. 15. v. 15.* quia quamvis amanum dicendi genus per figuras ſenſibiles alliciens, tamen ipſis factum eſt in amanus acceptum, atque ingratum, quo quidem ſenſu hæc vox occurrit *Matth. 12. v. 1, & 12.* quia quamvis utile dicendi genus & ad informationem maximè conducens, tamen ipſis factum eſt in corticem absque nucleo, quo quidem ſenſu hæc vox occurrit *Matth. 13. v.*

34. III. Obſervandum, quomodo tales deſcribat. dicit autem, *ut videntes non videant, & audientes non intelligant* ſive, quia, ut *Matthæus* exponit: *videntes non vident;* poterant hi auditores videre & audire per gratiam, verùm nec videbant nec audiebant, non videbant. quid reconditum in hac parabolâ, ſed ſponte ſibi attrahebant cæcitatẽ, & oculos claudebant & proinde in illâ fuerunt relicti, ut *Sodomitæ percuſſi* fuerunt *cæcitate Gen. 19. v. 11.* non audiebant, quid parabola ſonaret, ſed aures obturabant, quemadmodum *Iſraelitæ* noluerunt inter operas audire *Moſen Exodi 6. v. 9.* non intelligebant, quid parabola intenderit in radice ſenſus, ſed mentem obfirmabant, quemadmodum Apoſtoli non intellexerunt, quod dictum in ingreſſu *Joban. 12. verſ 16.*

L. D.

VIdemus, Quòd cauſa Verbi non ad Salutem auditi non ſit quærenda niſi in Auditore. Quærenda eſt in Auditore Cauſa Verbi non fructificantis I. ex vi oppoſitionis, ſunt enim tales auditores oppoſiti Apoſtolis, atque fidelibus, & proinde longè alterius animi; ſunt enim illi retrocedentes, *& non cum illo ambulantes.* quales deſcribuntur *Joh. 6. v. 66.* ſunt illi Verbum negligentes, *audientes verbum Chriſti, nec tamen facientes*, quales deſcribuntur *Matth. 7 v. 26.* ſunt illi gratiam ſufflaminantes *mittentes quidẽ manus ſuam ad aratrum, ſed retro reſpicientes.* quales deſcribuntur *Lucæ 9. v, 62.* Ut quondam quærenda fuit cauſa ſterilitatis in regione *Hierunchintæ* non in Cælo, ſed Solo, quia illud ad mala pronum *2. Reg. 2. v. 19.* ita quoque Cauſa non fructificantis Verbi non eſt quærenda in DEO, ſed auditorio, quia illi ſolum non diſpoſitum, cor habent ſpinis refertum, *& rebelle*, de quibus DEUS *Ezech. 2. v. 6.* Quærenda eſt in Auditore Cauſa Verbi non fructificantis II. ex vi propoſitionis, proponitur enim parabolicè in commodum hominis, vertuntque ipſimet auditores parabolam perſpicuam in genus dicendi obſcurum, ut fiant illa ipſis *Liber ſignatus quem, cum dederint ſcienti literas, & dicent: lege iſtum, reſpondebit: non poſſum, ſignatus eſt enim; & dabitur liber neſcienti literas, diceturque ei: lege,*

& respondebit, nescio literas. Esaiæ 29. v. 11, 12. vertunt ipsimet auditores parabolam amænam sibi in Absynthtium, ut fiat illa ipsis fastidium, & dicant: *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te. Jeremiæ 44. v. 16.* Vertunt ipsimet auditores parabolam utilem, & sensu fœcundam sibi in *odorem mortis*, ut fiat ipsis in damnationis argumentum: *Qui enim spernit Christum, & non accipit verba ejus, habet, qui judicat eum, sermo quem locutus est, ille judicabit eum in die novissimo. Joban. 12. v. 48.* Ut quondam quærenda fuit Causa sterilitatis in Regione *pentapolitana* non in Cœlo, sed solo, quia etiam pluvias dulces, Solisque influxum convertit in salsos succos & sterilitatis dispositiones, de quo *Sap. 10. v. 7.* ita quoque Causa non fructificantis Verbi non est quærēda in DEO sed auditorio, sive hominibus, quia illi etiam cælestem pluviam, & solis divini influxum convertunt sibi in nocumentum, ut quod est *odor vitæ in Vitam* illis fiat *odor mortis ad Mortem 2. Cor. 2. v. 16.* Quærenda est in Auditore Causa Verbi non fructificantis, III. ex vi Consecutionis, quia tales ad præsentiam Gratiæ sponte se non exhibent debitè; dat DEUS ipsis oculos nec tamen videre volunt, sed illis accedunt, *in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago DEI.* qui describuntur *2. Corinth. 4. v. 4.* dat DEUS ipsis aures ad audiendum, nec tamen audire volunt, sed illis accedunt, *quorum furor est secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* qui describuntur *Psal. 58. v. 5, & 6.* dat DEUS ipsis Lumen mentis, nec tamen intelligere volunt, sed illis accedunt, *qui terram intuentur, & ecce tribulatio, & tenebræ & obscuratio & ad caliginem impelluntur.* qui describuntur *Esaiæ 8. v. 22.* Ut quondam quærenda, fuit causa sterilitatis in Regione *Galilæâ* non in Cœlo sed Solo, quia arenosum, nec feliciter cultum, de quo *1. Reg. 9. v. 13.* ita quoque causa non fructificantis Verbi non est quærenda in DEO, sed auditorio, quia illi arenosi, & ad gratiæ divinæ præsentiam adhuc ex propria malitiâ indispositi, ut verificetur de illis illud: *Filii durâ facie & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te. Ezech. 2. v. 4.*

USUS

USUS I. DEHORT.

SI quærenda Causa Verbi ad Salutem non auditi in ipso auditore, maximè peccant, qui à *Christo* recedunt, non inquirunt, & gratiam sistunt dicentes: *Quis videre nos faciet bonum?* ex *Psalm. 4. v. 7.* quid mirum si dein Salvator dicat Apostolis? *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes disrumpant vos. Matth. 7. v. 6.* maximè peccant, qui parabolas *Christi* sibi vertunt in cortices absque nucleo, dicentes: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* ex *Numer. 21. v. 5.* quid mirum si dein Deus, dicat? *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini; & vagabuntur à mari usque ad mare, & ab aquilone usque ad orientem, circumibunt, quærentes Verbum Domini, & non invenient* ex *Amos 8. v. 11, 12.* maximè peccant, qui ad præsentiam gratiæ nec videre, nec audire volunt, dicentes: *Numquid & nos cæci sumus?* ex *Johan. 9. v. 40.* quid mirum si dein *Christus* dicat? *Audite audiendo & non intelligite: & videte videndo, & non cognoscite: incrassa cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus perstringe, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* ex *Esaiæ 6. v. 9, & 10.*

USUS II. ADHORT.

SI quærenda Causa Verbi ad Salutem non auditi in ipso Auditore, studeamus, ut ad Exemplum fidelium simus inquirentes, similes *Berrhoensibus*, de quibus *Actor. 17. vers. 11.* Studeamus, ut ad propositionem Verbi etiam in parabolis nucleum desideremus, similes *Timotheo*, qui *ab infantiâ sacros literas novit. 2. Timoth. 3. v. 15.* Studeamus, ut ad illuminationem divinam expectamus interioris luminis quoque gradus, similes *Davidi*, qui dixit: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia tua de lege tuâ. Psalm. 119. v. 18.*

USUS III. CONSOL.

SI quærenda Causa Verbi ad Salutem non auditi in ipso Auditorio, bono sint animo, qui audiunt debitè; & observant illud *Christi*: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam haberi & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Joh. 5. v. 39.* Si *caro* nostra suadeat discessum, neglectum informationis ulteriùs, & Gratiæ sufflamen, dictet illud: *Manda, remanda, manda, remanda, exspecta, reespecta, exspecta, reespecta, modicum ibi, modicum ibi. Esaiæ 28. vers. 10.* novimus si ex numero verè fidelium, nos cum *Petro* dicturos: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* ex *Johan. 6. vers. 68.* Si *Caro* nostra suadeat parabolarum contemptum, nobis sapientiam polliceatur longè superiorem illo dicendi genere, dictet dicendum esse illud: *Extenuant & locuti sunt nequitiam: iniquitatem de Excelso locuti sunt, posuerunt in cœlum os suum; lingua eorum transivit in terrâ. Psalm. 73. vers. 8, & 9.* novimus si ad parabolas accuratè respiciamus, nos agnituros *Christum*, Moschelem in illis, qui ipse dicit: *Aperiam in parabolis os meum; eructabo abscondita. Matth. 13. vers. 34.* Si *Caro* nostra suadeat inductionem Velaminis, obturationem aurium & Mentis renitentiam, dictet dicendum esse: *Quis est Dominus ut audiam vocem ejus? Exodi 5. vers. 2.* novimus si ad gratiæ præsentiam nos submittamus, Verbi semen effectum suum consecuturum, juxta illud: *Ultro terra fructificat, primò herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spicâ. Marc. 4. vers. 28.*

AMEN.

DOMI-

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ, LUC. XVIII. ℣. 38.

Καὶ ἐβόησε λέγων, Ἰησοῦ υἱὲ Δαβὶδ, ἐλέησόν με.

Et clamavit dicens: JESU fili David, miserere mei.

INclytus & insignis Princeps fuit quondam Serubabel, ad quem populus respexit post Babylonicam captivitatem, eidem sese aggregavit, & ex illo Lumina omnigenæ felicitatis expectavit, de quo *Esdræ 3. v. 1. & 2.* Inclytus fuit hic Princeps, descendit enim ex semine Davidis, adeoque regii fuit sanguinis; fuit filius *Sealthiel* nepos *Jechoniæ*, qui habuit circa se prophetas, *Haggæum Zachariam & Malachiam*, maxime verò *Josuam* Sacerdotem & ipse administravit Regis munus, quanquam non plena potestate & tanquam Princeps populi DEO charissimus, ut etiam ipse DEUS dicat: *Assumam te Zorobabel, fili Selathiel, serve meus, & ponam te, quasi annulum signatorium, quia te elegi, dicit Dominus Exercituum. Haggai 2. v. 24.* Inclytus fuit hic Princeps, misertus enim fuit populi sui. Fecerat *Cyrus* ipsis potestatem exeundi *Babele*, interim cùm in terram sanctam denuo essent deducti, erant instar ovium dispersarum, quapropter conferunt se *Hierosolymam*, accedunt *Serubabelem*, ejusque opem & auxilium desiderant, ut, quo pollet affectu, eos complectatur, protegat, qui etiam DEO confisus illos, & opus, quod desideratum hactenus, suscipit, atque peregrinos arcet, de quo *Esdræ 4. v. 2, & 3.* Inclytus denique fuit hic Princeps respexit enim Miseriam præsentem. Erant reduces peccatis contaminati ex regione *Babyloniorum*, inter quos habitarunt, pauperes & attenuati, non tantarum opum, ut quondam temporibus felicitatis & quietis, destituti Urim & Thummim Lumine & perfectionibus, quibus aliàs gavisi fuerunt antea, quapropter miseriam illam attendens desideria complere intendit, structuram Templi aggreditur solaturque miseros, ipse à DEO confirmatus per *Zachariam*, qui dixit: *Non in exercitu, nec in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus Exercituum:*

ercituum : quis tu mons magne coram Zorobabele? in planum : & educet lapidem primarium, cum acclamationibus, gratia gratia illi. cap. 4. v. 6, & 7. Non tam insignis fuit Princeps quondam *Serubabel*, longe illustrior ille, cui acclamat cæcus : *Jesu Fili David miserere mei*, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

POstquam cœco cum socio sedenti ad viam nunciatum esset præterire JESUM Nazarenum, oculatior hic cœcus cum socio turbâ imò *Pharisæis & pontificibus*, illius temporis toto cordis & linguæ nisu fertur in eũ; tunc, enim ut ait noster *Lucas vociferatus* est, clamavit clatâ voce quantum potuit dicens: *Jesu fili David miserere mei.* In quibus Verbis observandum, I. quòd non tantum vocarit præsentem JESUM, ut populus, reticuerit etiam appositum nomẽ *Nazarenus*, sed etiam nominarit illum *filium Davidis*, promissum scil. illum præ omnibus aliis, qui ex ipso descenderunt, filium Davidis illius celeberrimi, & secundùm nomen DEO dilectissimi, qui Spiritu DEI instructus prophetavit, locutus est Oracula, proin disertè Propheta dicitur *Actor. cap. 2. v. 30.* qui cultum divinum promovit, & DEO suo sacrificia obtulit, de quo *2. Sam. 6. v. 18, & 19.* qui denique Rex totius populi unctus per *Samuelem* & agnitus à Senioribus illum accedentibus, qui propterea *electus DEI* vocatur *Syrach. 47. v. 2,* II. Observandum, quòd dicat ἐλέησον miserere, quæ vox usurpatur de commiseratione intensi Affectus, quam demonstravit in remissione debiti ingentis *Rex* ille, de quo *Matth. 18. v. 33.* quæ usurpatur de cõmiseratione intensi affectus in erogatione alicujus solatii, quàm solicitavit *Epulo*, dicens: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, crucior enim in hâc flammâ. Luc. 16. v. 24.* quæ usurpatur de commiseratione intensi affectus, quam demonstravit *Christus* in redditione visus, de quo *Matth. 9. v. 27, & 29.* III. Obsevandum, quòd non tantùm dixerit *Miserere*, sed etiam addiderit: miserere mei, mei scil. tanquam miseri peccatoris, qui hanc pœnam commerui, qui ex immundo semine ortus & hactenus me pec-

me peccatis aliis quoq; contaminavî hauſiq; *iniquitatẽ tanquam aquam*, ut *Eliphas* loquitur *Job. 15. v. 16.* qui pauper & deſtitutus opibus in hâc viâ ſedere cogor, mẽdicare ſtipem, & aliunde accipere, un de miſeram hanc vitam tolerem, atq; experiri illud *Syracidis: Exſecratio divitis pauper eſt. cap. 13. v. 24.* qui cæcus nec videre poſſum Cœli lumen, ab aliis teneor informari & credere, quid dicant illi, qui circa me, adeoque verè miſer, cui conquerendum cum *Tobiá* ſenioré: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video? ex cap. 5. v. 13.*

L. D.

VIdemus, quid in hâc Viâ ſeculi omnes & ſingulos deceat cottidie ingeminare, nempe: JESU Fili David miſerere mei. Decet ingeminare ita I. ex Miſerentis Dignitate; qui enim imploratur par eſt omni malo, omni Miſeriæ. Eſt is filius *Davidis*, magnus ſcil. *Propheta* ille, qui ſufficienter informat, de quo quondam *Moſes: Prophetam de medio tui & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit Dominus Deus tuus, ipſum audies. Deut. 18. v. 15.* Eſt is filius *Davidis*, magnus Sacerdos N. T., qui ſeipſum obtulit, de quo *David: Juravit Dominus & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Pſalm. 110. v. 4.* eſt is filius *Davidis*, magnus ſcil. Rex ille, qui Eccleſiæ præeſt, omnia regit & gubernat, de quo *Jeremias: Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & ſuſcitabo David germen juſtum; & regnabit Rex & ſapiens erit, & faciet judicium & juſtitiam in terrâ; in diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſraël habitabit confidenter, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum Jehova juſtitia noſtra. cap. 23. v. 4, & 5.* Fuit quidem etiam Filius *Davidis Solomon*, quem inclamavit fœmina in Miſeria ſua *1. Reg. 3. v. 17.* At quis *Solomon* ad *Meſſiam* filium *Davidis*, *prophetam*, *Sacerdotẽ* & *Regem* promiſſum *Davidi*, à DEO dicente: *Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus, ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni ejus usque in ſempiternum. 2. Sam. 7. verſ. 12, & 13.* Decet ingeminare ita II. ex Miſerationis pro-

funditate. Miseretur enim nostri hic filius *Davidis* peccata remittendo, ut *Micha* dicat: *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non fortiter retinet in perpetuum furorem suum, quoniam misericordiâ delectatur, revertetur & miserebitur nostri, mundabit iniquitates nostras & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. cap. 7. v. 18, 19.* miseretur nostri indigentiam sublevando, ut *David* dicat: *Sol & clypeus est Dominus, diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus. Psalm. 84. v. 12.* miseretur nostri Mentem illuminando, ut *Esaias* dicat: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. cap. 49. v. 6.* Fuit quidem etiam Filius *Davidis Assa*, qui populi sui misertus, egressus fuit contra hostes ipsorum, eosque vindicavit, de quo *2. Paral. 14. v. 11.* At quis *Assa* ad *Messiam* filium *Davidis*, qui profundè miseretur nostri, peccata remittendo, sublevando & illuminando, de quo *David*: *Geminare faciam cornu David, parabo lucernam Christo meo: inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorescet corona ejus. Psalm. 132, v. 17, & 18.* Decet ingeminare ita III. ex Miseriæ Qualitate, opus quippe omnes habemus illo ob miseriam, quæ totum genus humanum pervasit, omnes enim sumus peccatores ex Utero & cottidiana commaculatione, ut *Paulus* dicat: *Omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei. Rom. 3. v. 23.* omnes sumus pauperes, qui nunc hoc nunc illud à creaturis mendicant, ut *Job* dicat: *Nudus egressus sum de utero matris, nudus revertar illuc. cap. 1. v 21.* omnes sumus spiritualiter cæci & in naturalibus lusci, ut *Philo* dicat: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficile æstimamus, quæ in terrâ sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? Sapientiæ 9. vers. 15, 16, 17.* Fuit quidem etiam filius *Davidis Hiskias*, qui misertus fuit illorum, qui peccarent deviando à vero DEO ad vitulos, postquam plurimas incursiones destituti abundantiâ Bonorum & cæci in cultu, qui initium duxit à *Jeroboamo* mittendo legatos ad illos & revocando ex *2. Chron. 30. v. 6.* At quis *Hiskia* ad *Messiam* filium *Davidis*, qui miseretur eorum, qui & peccatores & pauperes & cæci, de quo *Esaias*: *Dicite pusillanimis, confortamini & nolite*

lite timere, ecce Deus vester ultor veniet, retribuens ipse veniet, & salvabit vos; tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, & jubilabit lingua mutuorum. cap. 35. vers. 4, 5, 6.

USUS I. DEHORT.

SI in viâ seculi ita ingeminandum cottidie, peccant, qui se non convertunt ad filium *Davidis*, sed in miseriâ se convertunt ad *Baal Sebubum*, de quo 2. *Reg. 1. v.* 2. manet enim fixum illud *Davidis: Declinantes in curvas abducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Psalm. 125. vers. 5.* Peccant graviter, qui non *miserere* ingeminant sed cum *Pharisæo* dicunt: *Gratias tibi ago, Deus, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus, jejuno bis in Sabbatho, decimas do de omnibus, quæ possideo* ex *Luc. 18. v, 11, & 12.* manet enim fixum illud *Pauli: Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini. Gal. 5. vers. 4.* Peccant denique, qui non sentire volunt suam miseriam sed dicere audent: *Nunquid & nos cæci sumus?* ex *Johan. 9. v. 40.* manet enim fixum illud: *Domine, superbi ab initio non placuerunt tibi, sed humilium & mansuetorum semper placuit deprecatio. Judith. 9. vers. 13.*

USUS II. ADHORT.

SI in Viâ seculi ita ingeminandum cottidiè, studeamus, ut cottidiè adeamus hunc *Jesum*, hunc filium *Davidis*, corde & animo credente, dicentes: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* ex *Gen. 32. v. 26.* Adeamus hunc misecordem, corde & Animo, opem & auxilium desiderante, dicentes: *Recordando recordaberis, & hoc meditatur in me anima mea; hæc recolens in corde meo in DEO sperabo; misericordiæ Domini, quia non sumus consumti, quia non defecerunt miserationes ejus, novæ diluculo, multa est fides tua. Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum, bonus*

est Dominus sperantibus eum, animæ quærenti illum. ex *Thren. 3. v. 20, 21, 22, 23, 24, 25.* Adeamus denique hunc *Jesum* filium *Davidis*, qui movetur nostra miseriâ, corde & animo pœnitente, & humili dicentes: *Exaudis orationem meam, ad te omnis caro veniet: res iniquæ prævaluerunt mihi, & impietates nostras tu expiabis.* ex *Psalm. 65. v. 3, & 4.*

USUS III. CONSOL.

SI In viâ seculi ita ingeminandum cottidiè, bono sint animo, qui hoc ingeminant, & dicunt: *Profectò ad Deum est silentium animæ meæ, ab ipso enim salus mea.* ex *Psalm. 62. v. 2.* Si per lapsum sumus quandoque sicut *oves absque pastore*, ut ipse *Christus* loquitur *Matth. 9. v. 36* novimus misereri filium *Davidis*, ut tanquam Pastor & Propheta nos congreget, juxta promissum: *Sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos & in sinum suum levabit, lactentes ducet. Esaiæ 40. v. 11.* ut tanquam Sacerdos nos expiet, & in *humeros recipiat*, dicatque: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* ex *Luc. 15. v. 6.* ut tanquam Rex nos regat, ducat & pascat, juxta promissum: *Ego pascam oves meas, & ego accubare eos faciam, dixit Dominus Jehova; perditam requiram, & abjectam reducam, & confractam obligabo, & ægrotam consolidabo. Ezech. 34. v. 15, & 16.* Si per lapsum sumus miseri, peccatis onusti, tanquam succumbentes sub onere, quibus dicendum: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* ex *Psalm. 38. v. 5.* novimus misereri intentissimo affectu Filium *Davidis*, si inclamemus & dicamus: *miserere* respondere illum *miserebor*: *Nonne Ephraim est mihi filius charissimus? nonne in hoc filio sunt delitiæ meæ? quia ex quo locutus sum de eo, recordabor ejus; idcirco conturbata sunt viscera mea, super eum, miserans miserebor, dicit Dominus* ex *Jeremiæ 31. v. 20.* respondere illum *miserebor*: *Ut edant pauperes & saturentur, & laudent dominum, qui requirunt eum.* ex *Psalm 22. v. 27.* respondere illum *miserebor*: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* ex *Esaiæ 43. v. 25.* Si denique per lapsum sumus pauperes & miseri, nobisque dicendum sæpius: *Miser sum, & misera-*

miserabilis, & pauper & cæcus & nudus: ex *Apoc. 3. v. 17.* novimus misereri filium *Davidis*, delere peccata, ut dicamus : *Benedic anima mea Domino; & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus; benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus; qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas; qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te misericordia & miserationibus, qui satiat bonis os tuum, renovabitur ut aquilæ juventus tua.* ex *Psalmo 103 v. 1, 2, 3, 4, 5.* sublevare pauperes, ut dicamus : *Junior fui & senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* ex *Psalm. 37. v. 25.* illuminare oculos, ut dicamus : *Dominus est illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? dum appropriant super me mali, ut edant carnes meas; qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & impingent, & cadent si consistant adversum me, castra non timebit cor meum.* ex *Psalm. 27. vi 1, 2, 3.* AMEN.

DOMINICA INVOCAVIT, MATTH. IV. vl. 9.

Καὶ λέγει αὐτῷ, ταῦτα πάντα σοι δώσω, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι.	*Et dicit illi, Hæc omnia dabo tibi, si prostratus adoraveris me.*

SI ullus unquam fuit, qui ad mala flectere animum induxit Absolonis, sanè is fuit Achitophel Gilonites; repræsentavit enim illi Splendorem Regni, suasit perversa, & ita promisit Regnum fore stabile, voluitque admirationem sui Consilii & venerationem præ omnibus, de quo *2. Sam. 16. v. 20. & seq.* Movere intendit Achitophel Absolonem repræsentatione Regni, quod jàm aliqua ex parte adierat & degustarat. Erat hic *Absolon* ambitiosi animi, nova meditus hactenus, & populum in suas partes inclinans, quapropter cùm proponit *Absoloni*, ille Regni Splendorem objicit, docet quomodo illud stabilien-

dum, animat, ut Sceptrum & coronam capessat, & quibuscunque etiam mediis sese firmet, unde *David* rogavit DEUM & dixit: *Infatua quæso domine consilium Achitophel. 2. Sam. 15. v. 31.* Movere intendit Achitophel Absolonem promissione mediorum & auxiliorum. Erat *David* depulsus regia, exulabat jam tristis & mœstus in discrimine positus, quapropter suadet *Achitophel Absoloni*, ut & concubinas prostituat, ne ulterius amicitia aliqua oboriri posset inter ipsum & *Davidem*, & tandem etiam *lassum interficiat omnibus veritis*, qui circa ipsum, suamque spondet operam, ut potuerit conqueri exul: *Etiam homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, petit me calce.* ex *Psalmo. 41. v. 10.* Movere intendit Achitophel Absolonem suppeditatione Consilii in veneratione perspicaciæ. Erat hic *Achitophel* homo versipellis, ad aulam totus compositus & illius auram, paraverat sibi astutiâ sive perspiciâ magnum nomen & authoritatem in populo, quapropter omnes Nervos Ingenii in novâ molitione intendit, consulit & hoc ipso suam quærit gloriam, & ut hactenus *pro DEO habitus, illius consilia pro oraculis*, ita eundem intendit finem, cùmque præter Intentionem ex divina Dispositione tali aliter cadunt *abit desperans* & se *suspendit*, de quo *2. Sam. 17. v. 23.* Ut quondam movit *Achitophel Absolonem*, ita *Diabolus* adhuc dum homines, imò non veritus fuit solicitare ipsum *Christum* dicendo: *Hæc omnia dabo tibi, si prostratus adoraveris me.* de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

CUm proprio Exemplo *Diabolus* noverit nihil tàm nefarium, quod non regnandi causâ suscipiatur, ideoque dicit *Christo: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me.* Dicit I. hæc omnia tibi dabo, nempe illa, quæ jam à tevisa in ictu oculi, omnem pompam & gloriam Mundi, quam vidisti, omnem Luxum *perfici Imperii*, quod tibi ab oriente, qui commendatur maximè *Esthere 1. v. 3, & 4.* omnem abundantiam, maxime frugum, & fructuum terræ in *Ægypto*, quæ tibi ad meridiem, *& ut pinguis vitula* in Scripturis exhibetur *Jeremiæ 46. v. 20.* omnem potentiam & Robur *Romani Imperii*, quod

quod tibi ad Occidentem, quæ sub *ferreis pedibus* demonstrata, quondam *Daniel. 2. v. 40.* Dicit II. hæc omnia tibi dabo. Ego dabo, qui illa accepi à DEO, ut illa *administrem & conferam Luc. 4. v. 6.* dabo Tibi, qui, ut videris mihi es filius DEI, cui competunt *gentes in hæreditatem, & fines Mundi in possessionem Psalm. 2. v. 8.* dabo Tibi ad tuum arbitrium, in tuam potestatem & Usum, ut alium te exhibere possis, quàm in deserto hoc, deliciis & splendore abundare, & tanquam *Cherub* aliquis agere, *tegere* & latè *imperitare*, ad Exemplum *principis Tyri Ezech. 28. v. 14.* Dicit III. hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me, si scil. cadas in terram pronus coram me in faciem tuam, ut quondam *Nathan* coram *Davide*, de quo *1. Reg. 1. v. 23.* si adoraveris me, ut quidem adorarunt te *Magi ex oriente venientes Matth. 2. v. 2. & 8.* si denique ita cultum divinum licet inferiorem mihi exhibueris, quàm summo DEO, quem agnosco supra me, & religiosè me venereris, qualem voluit postea exhibere *Johannes Angelo*, de quo *Apoc. 19. v. 10.*

L. D.

VIdemus, Quomodo Diabolus sensim soleat tentando præcipitare, & tandem in Exitium non probè solidatos agere. Præcipitare solet Diabolus homines non probe solidatos I. Ostendendo, exhibet enim illis omnia, quæ in Mundo, omnem pompam & gloriam, pompam Luxus & felicitatis in temporalibus, ut etiam pii stupeant, & dicant quandoque: *Cur impii vivunt, senescunt, etiam pollent opibus. Semen eorum stabile est in conspectu eorum cum ipsis, & germina eorum in oculis ipsorum; in Domibus eorum est pax à timore, nec est Virga DEI super eos; bos ejus gravidat, & non perdit semen. parit vacca ejus & non abortit, emittunt tanquam gregem parvulos suos, & nati eorum saltant; tenent tympanum & Cythoram, & gaudent ad sonitum organi, consumunt in bono dies suos, & in momento ad Sepulchrum descendunt.* ex *Jobi cap. 21. v. 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13.* pompam abundantiæ & felicitatem in alimentorum copiâ, ut etiam pii mirentur & dicant quandoque: *Justus quidem tu es Domine, si contendam tecum: veruntamen justa loquar ad te:*

quare

quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt; plantâsti eos & radicem miserunt, proficiunt fructum. ex *Jeremiæ 12. v. 1, & 2.* pompam potentiæ & felicitatem in potestate & robore, ut etiam pii stupeant, & dicant quandoque: *Zelavi super stultos, pacem peccatorum videns; quia non sunt vinculæ mortis eorum, & firmitas palatii: in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur; ideò torques eorum, est superbia, operiunt se violentiâ; prominet præpinguedine oculus eorum, transierunt in affectum cordis: extenuant & locuti sunt nequitiam, iniquitatem de excelso locuti sunt; posuerunt in cœlum os suum; & lingua eorum transivit in terrâ.* ex *Psalmo 73. vers. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.* Ut *Lotbus* videndo terram prope *Jordanem*, quæ similis *Ægypto*, motus fuit illam eligere, de quo *Gen. 13. v. 10, & 11.* ita si *Diabolus* ostendit regna mundi, & omnem gloriam illorum, videntes homines moventur, ut inclinent ad illa, & dicant: *Vanum est servire DEO, & quid emolumenti ex eâ re percipimus, quòd cultus ipsius exercemus? & quòd pullati incedimus coram Domino exercituum. Ergò nunc beatos dicimus contemptores, siquidem ædificati sunt facientes iniquitatem, & tentaverunt Deum, & salvi facti sunt.* ex *Malachiæ 3. v. 14. & 15.* Præcipitare solet Diabolus homines non probè solidatos II. Promittendo, pollicetur enim omnium illorum Traditionem; sistit se illis velut DEUM aliquem, vel vicarium illius in his terris, qui bona conferre possit, cùm tamen ipse deseruerit *principatum & Domicilium suum Judæ v. 6.* sistit se velut amantem generis humani, & filiorum inprimis DEI, quibus conferre benevolè intendat, cùm tamen sit *homicidia ab initio & mendax Joh. 8. v. 44.* sistit se velut ad comodum, jucunditatem & splendorem omnia parantem cùm tamen quærat exitium illorum æternum, *tanquam Leo rugiens circumiens, quærens quem devoret. 1. Petr. 5. v. 8.* Ut *Amasa* tuit interfectus à *Joabo* sub specie favoris & promissæ pacis sive omnis boni 2. *Sam. 20. v 9, & 10* ita si *Diabolus* promittit Regna mundi, & quævis commoda, moventur homines, ut ruere incipiant & dicant: *Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* ex *Sap. 2. v. 9.* Præcipitare solet Diabolus homines non probè solidatos III. flectendo, flectit enim illos, ut sese incurvent

curvent illi, facit ut illi procidant coram illo,& consequenter ruant, *in interitum & perditionem.* juxta illud *Pauli 1. Timoth. 6. v. 9.* facit ut illi adorent & consequenter DEUM deserant,& à DEO deserantur: *Declinantes enim in curvas abducet Deus cum operantibus iniquitatem. Psalm. 125. v. 5.* facit ut illi religiosè colant & consequenter, DEVM ad Iram provocent, *Provocarunt eum in diis alienis, & abominationibus ad iracundiam concitarunt; immolârunt dæmoniis & non Deo, diis quos ignorabant.* juxta illud *Deut. 32. vers. 16, & 17.* Ut *Doeg* sese submisit *Sauli* peroranti de bonorum temporalium largitione & motus fuit illius propositione *1. Sam. 22. v. 7, 8, 9.* ita si *Diabolus* ostendit Regna Mundi & omnem gloriam illorum, attendentes homines moventur, ut genua flectant,atque dicunt: *Facientes faciemus omne Verbum, quod egredietur de ore nostro, ut thymiama adoleamus Melechet Cæli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri,Reges nostri & principes nostri, in urbibus Juda, & in plateis Jerosolymæ, & saturati sumus panibus, beneque nobis erat, & malum non vidimus. Jerem. 14. v. 17.*

USUS I. DEHORT.

SI Diabolus ita solet præcipitare, caveamus, ne attendamus ad Schema Mundi ostensum, neque *conformemur seculo*, juxta illud *Pauli Rom. 12. v. 2.* memores illius: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt; Si quis diligit Mundum, non est charitas patris in eo; quoniam omne, quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo & mundus transit & concupiscentia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, in æternum manet. 1. Joh. 2. v. 15, 16, 17.* Caveamus ne promissioni *Diaboli* credamus, aut ab eo patiamur nos excæcari,*ne fulgeat nobis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago DEI.* juxta illud *2. Cor. 4. v. 4.* memores illus: *Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ sua, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ est in Christo. 2. Cor. 11. v. 3.* Caveamus ne *Diabolum* adoremus,genua eidem incurvemus, & eidem nos submittamus, atque *ambulemus juxta cursum seculi secundùm principem*

potestatis aëris, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. Ephes. 2. v. 2. memores illius: *Resistite Diabolo & fugiet à vobis; appropinquate DEO & appropinquabit vobis. Jacobi 4. v. 7, & 8.*

USUS II. ADHORT.

SI Diabolus ita solet præcipitare, studeamus, ut semper ad DEUM fidei oculo & illius Verbum respiciamus, & precantes dicamus: *Deduc me in semitâ mandatorum tuorum: in ipsa enim delector, inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam; averte oculos meos, ne videant vanitatem, in viâ tuâ vivifica me.* ex *Psalm. 119. v. 35, 36.* Studeamus, ut DEO promittenti firmiter adhæreamus & credamus, confidenter dicamus: *Rectum est Verbum Domini, & omnia opera ejus in veritate. Psalm. 33. v. 4.* Studeamus denique, ut soli DEO honorem & cultum adorationis deferamus lætabundi dicentes: *Date Jehovæ, filii fortium, afferte Jehovæ gloriam & fortitudinem: date Jehovæ gloriam nominis ejus: incurvate vos Jehovæ in gloriâ sanctitatis.* ex *Psalm. 29. v. 1, & 2.*

USUS III. CONSOL.

SI Diabolus ita solet præcipitare homines, bono sint animo, qui renunciarunt *Diabolo*, & omni pompæ ejus, *Christum* vero *induerunt* in Exordio vitæ, ut *Paulus* loquitur *Gal. 3. vers. 27.* Si contingat etiam nobis *Diabolum* ostendere Regna Mundi & omnem ejus gloriam, aurum & Argentum in Monarchiis, de quo *Daniel 2. v. 31, & 32.* novimus DEUM ostendere in Verbo suo nobis apparatum Gratiæ *1. Timoth. 2. v. 4. frumentum*, & vinum *spirituale generans virgines. Zach. 9. v. 17.* Robora *Spiritus Eph. 3, v. 16.* Si contingat etiam nobis *Diabolum* promittere & dicere splendida per *Zedekiam* ferreo Umbone superbum ex *1. Reg. 22. v. 11.* novimus DEUM promittere, qui summus rerum Dominus, de quo *David: Magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus diis; omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terrâ & in mari, & in omnibus abyssis. Psalm. 135. v. 5, & 6.* promittere, qui nos fecit *filios suos per fidem in Christum Johan. 1. v. 12.* promittere, qui suis omnia in-

indulget in *Bonum* illorum: *Quoniam Sol & clypeus est Dominus, diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus. Psalm. 84. v. 12.* & *Rom. 8. v. 29.* Si denique etiam contingat nobis *Diabolum* desiderare, ut adoremus eum, nec agnoscamus DEUM, *ut nesciamus, quòd Deus dederit frumentum & vinum & oleum & argentum multiplicaverit, & aurum, quæ fecerunt Baal Oseæ 2. v. 8.* novimus Spiritum S. in nobis operaturum, ut prosternamus nos coram DEO, & dicamus: *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate ad scabellum pedum ejus, quoniam sanctus est.* ex *Psalm. 99. v. 5.* ut adoremus DEUM atque observemus quod ipse *Christus* dixit: *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ipsi adhærebis.* ex *Deut. 6. v. 13, & 10. v. 20.* denique ut illum unicè celebremus, & dicamus: *Non est similis tui in Diis Domine: & non est secundùm opera tua. Omnes gentes, quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum, quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia; tu es Deus solus.* ex *Psalm. 86. v, 8, 9, 10.* AMEN.

DOMINICA REMINISCERE,
MATTH. XV. ℣s. 27.

Ἡ δὲ εἶπε, Ναὶ Κύριε, καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν.

Hæc autem respondit: Certè Domine, etenim catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum.

MEmorabilis est Responsio quam quondam Mephiboseth edidit dicendo ad Davidem: Quis Ego sum servus tuus, quoniam respexisti super Canem mortuum similem mei, de quo 2. *Sam. 9. vers. 8.* Memorabilis est Responsio illa, quia Canem se appellavit Mephiboseth & quidem mortuum. Erat *Mephiboseth* oriundus è *Domo Saul*, residuus ex familiâ *Jonathæ*, qui claudus *pedibus* & cui *membra luxata* fuerunt in quinto ætatis suæ

anno, quapropter agnoscit miseriam suam & statum Infirmitatis, atque se *canem* appellat *mortuum*, & repetit quod dixerat, Rege denuo redeunte ad suos in via, ut constat ex 2. *Sam. 19. v. 28.* Memorabilis est Responsio illa, quia dixit quis ego sum servus tuus, quòd clementiâ tuâ me digneris. Habitaverat hactenus in Domo viri cujusdam, qui dictus *Machir* filii *Ammiel*, qui illi hospitium præbuit in Urbe *Lodabar*, at admissus jam ad Regem, qui clementiam & favorem pollicetur ei, non satis deprædicare, aut admirari potest acquieturus etiam inferiori Gratiâ, probè sciens quanti illa sit æstimanda, unde *Salomon: In hilaritate vultus regis vita: clementia ejus quasi imber serotinus. Proverb. 16. v. 15.* Memorabilis est Responsio illa, quia dixit, quis Ego sum servus tuus, quoniam respexisti super Canem mortuum similem mei? & nihilominus, ut ut sim servus & canis admovere vis Mensæ regiæ. Erat quidem *Mephibosetb* quondam etiam tenerè habitus, verùm nunc alia facies rerum erat, alius status, quapropter magnifacit id, quòd ad ipsam Mensam Regis admittendus, Cibum capturus ex illa, & in Aula regia inter Principes porrò versaturus, cujus misertus *David* propter *Jonathanem*, qui quondam illi dixerat: *Peto non rescindas misericordiam tuam à domo meâ usq; in seculum, ne tum quidem; Cùm succedit Jehova inimicos Davidis unusquemq; è superficie terræ. 1. Sam. 20. v. 15.* Ut quondam respondit *Davidi Mephibosethus*, ita fere Sermonem suum temperavit & adornavit *Cananæa* ad filium *Davidis*, verum Messiam, dicendo: *Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

CUm *Christus* exposuisset, quorum causa venisset, etiam ostendisset *inconveniens esse panem sumere filiorum & objicere canibus*; respondit *Cananæa*, egregium hunc ictum excipiens & in *Christum* retorquens: *Etiam Domine*, verum est ut dicis, panes non sunt objiciendi *canibus* & subducendi *liberis*, *interim etiam canes non manent inpasti:* nam & *catelli* vescuntur *micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* In quibus verbis observandum I. quòd agnoscat & profitea-

fiteatur se esse catellum, ex *animalibus immundis*, ut describitur *Exodi 22. v. 31. vilibus*, ut describitur *1. Sam. 17. v. 43. avaris & indigis*, ut describitur *Syrach. 14. v. 3.* II. quòd de catellis dicat: edere sive vesci de micis, adeoque per illas intelligit minorem mensurâ gratiæ, aliquid tantum illius, quod instar micarum panis scil., qui solet computari inter Bona maximè necessaria, quo ablato *summa miseria consequitur*, ut constat ex *Esaiæ 3. v. 1.* qui solet edi & in usu *quotidiano adhiberi ab hominibus in lætitiam*, ut constat ex *Ecclesiastis c. 9. v 7.* qui denique solet fulcire *sustentare & conservare in vita*, ut constat ex *Psalmo 104. vers. 4.* III. Quòd addit vesci micis, quæ cadunt è mensâ dominorum suorum, quæ parata est Dominis, *Judæis*, scil. quas agnoscit non tantùm filios sed & Dominos, parata autem ab illo, qui quondam hunc populum miraculosè & gratiosè pavit in deserto *Mannâ*, de quo *Exod. 16. v. 15.* ab eo, qui quondam hunc populum gratiosè pavit in Introitu terræ *Canaan*, de quo *Josuæ 5. v. 11.* ab eo, qui quondam hunc populum gratiosè pavit opimis & optimis fructibus Terræ, de quo *Nehemiæ 9. v. 25.*

L. D.

VIdemus, Quomodo accedendo DEUM, quærendo opem & Auxilium nos gerere debeamus, nempe uno Verbo, Humiliter. Humiliter nos gerere debemus I. Miseriam nostram agnoscendo, quòd scil. simus Catelli, quòd simus immundi coram facie divina, quibus dicendum: *Facti sumus, ut immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ.* ex *Esaiæ 64. v. 6.* quòd simus viles & abjecti coram facie divinâ, quibus dicendum: *Domine, quid est homo, quod agnoscis eum? aut filius Hominis, quia reputas eum; homo vanitati similis factus est; dies ejus sicut umbra prætereunt.* ex *Psalm. 44. v. 3, & 8.* quòd simus indigi coram facie divinâ, quibus dicendum: *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* ex *1. Timoth. 6. v. 7.* Ut quondam Miseriam suam agnovit *Rachab*, quòd immunda, vilis & divinæ opis indiga, utpote gentilis, de quo *Josuæ 2. v. 12, & 13.* ita miseriam & indignitatem suam agnoscere debet quævis anima

DEUM accedens, & dicere: *Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere; ecce inter sanctos ejus nemo integer, & cœli non sunt mundi in conspectu ejus; quantò magis abominabilis & putridus homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?* ex *Jobi cap. 15. v. 14, 15, 16.* Humiliter nos gerere debemus II. Micas gratiæ expetendo, ut scil. saltem desideremus exiguam mensuram gratiæ, atque illâ contenti vivamus, desideremus micas illius Gratiæ, quæ nobis necessaria, dicentes: *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum quæ à seculo sunt.* ex *Psalm. 25. v. 6.* desideremus micas illius Gratiæ, quæ faciem nostram lætificat, dicentes: *Ego in Domino speravi, lætabor & exultabo in misericordiâ tuâ, quoniam respexisti humilitatem meam, nosti angustiam animæ meæ.* ex *Psalm. 31. v. 8.* desideremus micas illius Gratiæ, quæ sustentat & nostrum est fulcimentum dicentes: *Tu Domine, ne longè facias miserationes tuas à me; misericordia tua & veritas tua tueantur me.* ex *Psalm. 39. v. 12.* Ut quondam saltem spicas desideravit *Messis*, & micas Gratiæ *Boazi Ruth Moabitis Ruthæ 2. v. 7.* ita spicas & micas Gratiæ divinæ expetere debet quævis Anima, DEUM accedens, & dicere: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes ejus, novæ diluculo: multa est fides tua.* ex *Thren. 3. v. 22, & 23.* Humiliter nos gerere debemus III. Mensam DEI respiciendo, ut scil. permittamus illam aliis paratam singulariter, Mensam illam DEI, in qua proponitur *Manna* Verbi cœlestis, de quâ *Hiskias: Domine in illis vivent, & in omnibus illis est vita spiritus mei. Esaias 38. v. 16.* Mensam illam DEI, in qua proponitur panis & vinum Corporis & sanguinis Dominici, de quo *Zacharias: Quanta bonitas ejus, & quanta pulchritudo ejus; triticum juvenes, ac mustum cantare faciet virgines. cap. 9. v. 17.* Mensam illam DEI in qua proponitur Cibus Beatitudinis æternæ, de quo *Christus: Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam, in regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. Luc. 22. v. 28, 29, 30.* Ut quondam Regina *Arabiæ* respexit ad mensam *Solomonis* cum admiratione *1. Reg. 10. vers. 5.* ita respicere debet ad Mensam DEI paratam quævis

Anima

Anima, cum accedens, & dicere: *Parâsti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* ex *Psalmo 23. v. 5.*

USUS I. DEHORT.

SI coram DEO accedentes illum nos debemus gerere humiliter, studeamus, ne opinemur nos esse mundos & insignes, similes: *Illi generationi, quæ sibi munda videtur, & tamen non est tota à sordibus suis.* qui describuntur *Proverb. 30. v. 12.* memores, quid *Juditha* dixerit: *Superbi ab initio non placuérunt tibi, sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. cap. 9. v. 13.* Caveamus, ne abundantiã gratiæ semper quasi debitam expetamus, similes illis *dicentibus, jejunavimus & non aspexisti: affliximus animas nostras & nescisti.* qui describuntur *Esaiæ 58. v. 2, & 3.* memores, quid DEUS dixerit: *Sufficit tibi gratia mea: nam mea virtus in infirmitate perficitur. 2. Corinth. 12. v. 9.* Caveamus, ne, à mensâ DEI oculos removeamus similes illis, *qui malè locuti sunt de DEO dicentes: nunquid poterit parare mensam in deserto? nunquid & cibum poterit dare, num parabit carnes populo suo?* qui describuntur *Psalm. 78. v. 20, 21, 22.* memores, quid Christus dixerit: *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno Cœlorum: filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Matth. 8. v. 11, 12.*

USUS II. ADHORT.

SI coram DEO accedentes illum nos debemus gerere humiliter, benè agunt, qui inter canes se referunt, & indignitatem & egestatem suam agnoscunt, & dicunt: *Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tuâ, quam explevisti servo tuo.* ex *Gen. 32. v. 10.* Benè agunt, qui micas gratiæ tantum expetunt, exiguo etiam contenti esse volunt, & dicunt: *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.* ex *Psalm. 33. vers. 22.* Benè agunt, qui ad Mensam DEI respiciunt, & dicunt: *Beatus quem elegisti & adjunxisti tibi, habitabit in atriis tuis, satu-*

saturabimur bono Domus tuæ, sanctiore templi tui. ex *Psalmo 65. vers. 5.*

USUS III. CONSOL.

SI coram DEO accedentes illum nos debemus gerere humiliter, bono sint animo, qui illud *Petri* observant: *Superbis* DEUS *resistit, humilibus autem dat gratiam: humiliamini igitur sub potenti manu DEI, ut vos exaltet in tempore visitationis. 1. Petr. 5. v. 6.* Si *Caro* nostra nos studeat decipere, ut intumescamus & dicamus: *Dives sum, paravi mihi vires: in omnibus laboribus meis non invenietur mihi iniquitas, quæ sit peccatum.* ex *Oseæ 12. v. 8.* novimus *Cananæam* aliter nos instruere Exemplo, urgere, ut fateamur, nos esse immundos, ut *mundemur sanguine Christi 1. Joh. 1. v. 7.* ut fateamur nos esse viles & abjectos, ut exaltemur à DEO, *qui in altis habitat, & humilia respicit, in cœlo & in terrâ; erigit de pulvere inopem, & exaltat de stercore pauperem. Psalm. 113. v. 6, & 7.* ut fateamur nos indigos, ut impleatur *anima nostra inanis, & esuriens saturetur. Psalm. 107. v. 9.* Si *Mundus invideat etiam micas*, ut *Epulo Lazari*, de quo *Luc. 16. v. 21.* novimus *Cananæam* instruere, nos ut expectamus micas gratiæ ab illo, qui *dives est misericordia*, illum nos gratia instructurum necessaria, *solem & clypeum futurum, gratiam & gloriam daturum. Psalm. 84. v. 12.* gratiâ lætificante, *quæ vitá potent. Psalm. 63. v. 4.* gratia, quæ conservatura, ut d cturi: *Dominus perficiet pro me, misericordia tua in seculum, opera manuum tuarum non dimittes.* ex *Psalm. 138. v. 8.* Si denique *Diabolus* instruat Mensam Voluptatis & seculi, & dicat per suos: *Quis est insipiens, declinet ad me: aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior* ex *Proverb 9. v 16, 17.* novimus *Cananæam* aliter nos instruere Exemplo, urgere, ut respiciamus Mensam Domini, qui exhibet panem Verbi, & dicit: *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate! audite audientes me, & comedetis bonum, & delectabitur in pinguedine anima vestra. Es. 55. v. 2.* qui exhibet panem & vinum dominicum, & dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo illum in die novissima. Johan. 6. vers. 54.* qui tandem exhibebit Ci-

rit Cibum Beatitudinis æternæ, & dicit: *Vincenti dabo edere manna absconditum. Apoc. 2. v. 17.* AMEN.

DOMINICA OCULI,
LUC. XI. ℣. 22.

Ἐπὰν δὲ ὁ ἰσχυρότερος αὐτοῦ ἐπελθὼν νικήσῃ αὐτὸν, τὴν πανοπλίαν αὐτοῦ αἴρει, ἐφ' ᾗ ἐπεποίθει, καὶ τὰ σκῦλα αὐτοῦ διαδίδωσιν.

Ubi verò fortior eo superveniens, vicerit eum, universa arma ejus aufert, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuit.

FElix fuit Victoria, quam quondam reportavit de hostibus inprimis Kedor-Laomore Abraham, Pater credentium, Princeps DEI, dum scil. feliciter illos fuit aggressus, vim illorum fregit, & spolia reportavit, de quo *Gen. 14. v. 16.* Felix fuit victoria illa, quia Abraham aggressus fuit ipsum Kedor-Laomorem. Erat *Abraham* aliâs visus nullus adversus tantum Hostem & adversarium, verùm animatus divinitùs & armatus Spiritu, causæque bonitate fretus, parvâ manu aggreditur hostem, & quidem feliciter, ut ipse sese superiorem opere demonstrarit, utpote agnoscens DEUM esse, qui assistat suis & gloriari faciat eos: *Qui glorificet afflictos salute, ut jubilent in cubilibus suis: exaltationes DEI sint in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis; ad alligandos reges eorum compedibus, & nobiles eorum manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum.* ex *Psalm. 149. vers. 4, 5, 6, 7, 8, 9.* Felix fuit victoria illa, quia Abrahamus aggressus est ita Kedor-Laomorem, ut vim illius fregerit. Oppoſuerant se quidem eidem Reges quinque in tractu illo amœnissimo circa *Jordanem*, verùm nihil profecerant. at cum *Abraham* arma sua expedit,

omnem vim illius frangit, omne Robur illius, & illorum, qui erant cum ipso, dejicit, atque ostendit, quàm verum, quod DEUS postea dixit & promisit sibi, nempe sese fore illius *Clypeū & mercedem magnā valde. Gen. 15. v. 1.* Felix fuit victoria illa, quia Abrahamus aggressus est ita Kedor-Laomerem, ut etiam spolia reportarit. Invaserat hic *Kedorlaomer* Rex *Persarum* cum *Amraphele* Rege *Babyloniæ*, & *Ariocho* Rege *Ellasar* sive *Susianæ in Assyria* & *Thiddale Rege gentium*, forsan ad mare mediterraneum habitantiū regionem *Sodomæam*, & ex Urbe *Sodoma & Gomorra* abduxerant quæq; ad victum & amictum necessaria & abundantia; quapropter *Abraham* insternens hostem recuperat omnia, & quidem non ut sibi servet, sed restitut at illa spoliatis ne minimū sibi retinens, opere ipso demonstrans, sese esse æternâ memoria & famæ celebritate dignū, de quo *Syracides Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inventus similis illi in gloriâ, qui conservavit legem Excelsi, & fuit in testamento cum illo. cap. 44. v. 20.* Non tam felix aut illustris fuit quondam illa victoria, quam obtinuit *Abraham*, longè illustrior est illa, quam Semen *Abrahæ Christus* reportavit de Diabolo, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

DIxerat *Christus* de forti armato, quòd custodiat aulam suam, pergit itaque in cæptâ Similitudine, & dicit: *Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus aufert, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuit.* Dicit I. si fortior superveniens vicerit eum, tunc vincire ipsum, ut loquitur *Matth. 12. v. 29.* & quidem *catenis* & vinculis firmis ne elabatur, aut dirimere illa possit, prout *obsessus ille Luc. 8. v. 29.* vincere ipsum potentem & cohercere ita potestatem ejus, circumscribere omnem potentiam, ut illam ulterius exserere nequeat, sed planè infirmetur, & de ipso dicatur, quod de Rege *Babylonis Esa. 14. v. 5.* Dicit I. si fortior superveniēs vicerit illum, totam armaturam ejus tollere quâ cōfidebat; tollere παναπλίαν, armaturam, instrumenta, quibus se muniebat, & pugnabat, qualia aliàs adhibentur à robustis & militiæ dediis, quæque detestatur *Jacob* in *Simeone & Levi Gen. 49. vers. 5.*

vim

vim quâ confisus, ut quidem solent confidere robori & truculentiæ principes bellici, quod in *Ægyptiis* conspicuum, de quò *Exodi 14. v. 7.* fraudem quâ usus & decepit, qualis aliàs adhibetur etiam à militiæ præfectis, ut de *Amalekitis* constat ex *Deut. 25. vers. 18.* Dicit III. si fortior superveniens vicerit illum, spolia ejus distribuere, supellectilem & bona domestica, vel Bona spoliata, σκῦλα, quæ aliis detraxerit, qualia sunt vestimenta, prout detraxit & subduxit ita vestem sive pallium *Achan*, de quo *Josuæ 7. v. 21*, ornamenta præprimis aurea, prout detraxerunt *Ismaelitis*, qui *Gideonem* secuti & attulerunt illa *Judic. 8. v. 24.* armæ illæ & coronæ, prout detraxit & subduxit coronam talem *Amalekita* quidam *Sauli*, de quo *2. Sam. 1. v. 10.*

L. D.

VIdemus, Quàm glorioſus victor ſit Salvator noſter, & Debellator poteſtatis diabolicæ, ut verè dicatur. ἰσχυρότερος. Glorioſum victorem ſe exhibuit Salvator I. Diabolum vinciendo. Is quippe fortem armatum non tantùm aggreſſus eſt, ſed & vinxit illum, unde ipſe dixit: *Nunc judicium eſt mundi hujus; nunc princeps hujus Mundi ejicictur foras. Joban. 12. v. 31.* non tantùm aggreſſus eſt, ſed & *vinxit Catenis*, unde *Petrus*: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed catenis noctis detractos in tartarum tradiditac in judicium reſervavit. 2. Epiſt. cap. 2. v. 4.* non tantùm aggreſſus, *ſed & vinxit*, ita ut omnis poteſtas retuſa & circumſcripta, unde *Johannes*: *Vidi Angelum deſcendentem de Cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſuâ, & apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, eſt diabolus & ſatanas, & ligavit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum & clauſit & ſignavit ſuper illum. Apoc. 20. v. 1, 2, 3.* Ut quondam *Adoni-Beſeck*, fuit captus ab illo, qui præerat tribui *Judæ* & mutilatus, de quo *Judicum 1. v. 5, & 6.* Ita ille, qui Leo de tribu *Juda vicit*, vinxit & captivum duxit *Diabolum*, ligavit, & potentiam illius circumſcripſit, ut *Judas* dicat: *Angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.*

in *Epistolâ suâ versu 6.* Glorioſum victorem ſe exhibuit Salvator II. Armaturam auferendo. Suſtulit omnia illius Arma & Inſtrumenta, ut verè dicere poſſimus: *Expoliavit principatus & poteſtates, & traduxit palàm triumphans illos in ſeipſo.* ex *Coloſſenſium cap. 2. v. 15.* ſuſtulit omne illius Robur, vim & Tyrannidem, ut poſſimus dicere: *Chriſtus per mortem deſtruxit eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum, & liberavit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti. Ebr, 2. v. 15, 15.* ſuſtulit omnem fraudem, technas & molitiones illius, ut poſſimus dicere impletum eſſe illud *Eſaiæ: In die illâ viſitabit Dominus gladio ſuo duro, & grandi & forti ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cætum, qui in mari eſt. cap. 27. v. 1.* Vt quondam *principibus* violentis & fraudulentis captivis omnis *potentia* & vis *ablata*, illique *conculcati* fuerunt, de quo *Joſuæ 10. v. 24. 25, 26.* ita quoque cœleſtis *Joſua* debellavit *Diabolum* & omnem panopliam illius ſuſtulit, ut ipſe vicinus paſſioni dixerit: *Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Joh. 14. v. 30.* Glorioſum & Victorem ſe exhibuit Salvator III. tandem Spolia diſtribuendo. Abſtulerat *Diabolus* veſtem Juſtitiæ in ſtatu Integritatis concreatam, ut homo inventus fuerit nudus, ſed reſtituit *Chriſtus* veſtem juſtitiæ, ut poſſimus gloriari: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ aperuit me, quaſi Sponſum ſacerdotali ornatu, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis,* ex *Eſaiæ 61. v 10.* abſtulerat *Diabolus* ornamenta ſanctitatis primævæ, ut homo inventus fuerit ſpoliatus, ſed reſtituit *Chriſtus* monilia ſanctitatis, ut ipſe dicat: *Ornavi te ornamento; & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum: & dedi tibi monile facie tua, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Ezech. 16. v. 11, & 12.* abſtulerat *Diabolus* Coronam æternæ Beatitudinis à capite noſtro, ut homo inventus fuerit dejectus dignitate, ſed reſtituit *Chriſtus* Coronam vitæ æternæ, ut poſſimus circa finem vitæ gloriari: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illâ die, juſtus judex.* ex 2 *Timoth. 4. v. 7, & 8.* Ut quondam *Amalekitis David*, omnia quæ ſpoliarant ſubduxit & reſtituit, atque diſtribuit

1. Sam.

1. Sam. 30. v. 17, 18, 19, 20. ita quoque cœleſtis *David* Semenque illius ſpolia reduxit, diſtribuit, reſtituit, ut ipſe *David* dicat: *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem; accepiſti dona hominibus. Pſalm. 68. v. 19.*

USUS I. DEHORT.

SI tam glorioſum victorem Sathanæ ſe exhibuit Salvator noſter in Vitâ, paſſione & morte ſuâ, miraculis & Doctrinâ, atque merito, Caveamus, ne liberati denuo nos vinctos ſubjiciamus, *& in laqueos illius* nos *induamus*, de quibus *2 Timoth. 6. v. 26.* ne aliquando in ultimo judicio audiamus illa triſtia: *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium. Matth. 22. v. 13,* Caveamus, ne liberati patiamur vel vi vel fraude *Diaboli* nos circumveniri, *ut ambulemus ſecundum ſeculum hujus mundi, ſecundùm principem poteſtatis aëris.* de qualibus agitur *Eph. 2. v. 2.* ne aliquando in ultimo judicio experiamur illud: *Infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis: hæc eſt mors ſecunda; & qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Apoc. 20. v. 14, 15.* Caveamus denique, ne liberati & reſtituti iterum *excutiamus veſtimenta, ornamenta & ſpem noſtram*, recedentes, de quibus *Eb. 10. v. 39.* ne aliquando in ultimo judicio audiamus triſtia illa: *Declinantes in curvas abducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Pſalm. 125. v. 5.*

USUS II. ADHORT.

SI tam glorioſum victorem ſe exhibuit Salvator noſter, ſtudeamus, ut agnoſcamus Corde grato, quòd Chriſtus vinxerit diabolum dicentes: *Tu in ſanguine Teſtamenti tui emiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua* ex *Zach. 9 v. 11.* Studeamus, ut agnoſcamus corde grato, quòd Chriſtus panoplian diabolicam ſuſtulerit, dicentes nunc impletum illud: *Dominus ut heros egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum, vociferabitur & clamabit: ſuper inimicos ſuos confortabitur. Eſaiæ 42. verſ. 13.* Studeamus, ut

agnoscamus Corde grato, quòd Christus spolia reparavit & distribuerit, dicentes: *Reges exercituum vehementer diligunt, & decus domus dividet spolia: si jacuevitis inter terminos, quasi alæ columbæ, quæ deportæ videntur argento, & alæ, quæ fulgorem habent auri.* ex *Psalmo 68. vers. 13, 14.*

USUS III. CONSOL.

SI tam glorioſum victorem ſe exhibuit Salvator noſter, bono ſimus animo, qui adhæremus per fidem huic *victori & contritori capitis ſerpentini Gen. 3. v. 15.* Si quandoque vincula *Sathanæ* nobis injicere ſtudeat tentationum, ut conquerendum: *Circumdederunt me laquei mortis, & torrentes Belial conturbaverunt me: funes inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* ex *Pſalm. 18. v. 5, & 6.* novimus Salvatorem noſtrum victum fuiſſe propter nos, & liberaſſe nos vinciendo ipſum Sathanam, ut poſſimus dicere confidenter: *Redempti à Domino, revertentur, & venient in Sion cum jubilatione; & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum; gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Eſaiæ 35. v. 10.* Si quandoque vel vis vel fraus Sathanica, nos dejicere tentet, ut conquerendum: *Adverſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* ex *1. Petr. 5. v. 8.* novimus Salvatorem noſtrum pugnaſſe pro nobis ad ſanguinis ſtillicidium usque in horto cum hoc forti armato, & liberaſſe nos expugnando illius robora & fraudes, ut poſſimus dicere: *Super Leonem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & Draconem.* ex *Pſalmo 91. v. 13.* & *ſuper omnia arma ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela ignita nequiſſimi extinguere.* ex *Eph. 6. v. 16.* Si denique ſpoliare denuò intendat *Sathanas* nos, ut conquerendum: *Lætamini cœli, & qui habitatis in iis; quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens, quòd modicum tempus habet.* ex *Apoc. 12. v. 12.* novimus Salvatorem noſtrum expoliaſſe principatus, cùm nudaretur veſtimentis & cruci affigeretur liberaſſe nos & omnia reſtituiſſe, ut poſſimus eſſe certi nos *albis* induendos *Apoc. 3. v. 5.* nos ornamentis ſplendidis eſſe inſtruendos: *quod Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione; ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloriâ, ſeminatur in infirmitate, ſurget*

ſurget in virtute ; ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. 1. Cor. 15. v. 43, 44. nos denique *coronam* accepturos Beatitudinis : *Juſti enim in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum ; ideò accipient regnum decoris & diadema ſpecioſum de manu Domini : quoniam dexterâ ſuâ teget eos, & in brachio ſancto ſuo defendet illos. Sap. 5. v. 16, & 17.* AMEN.

DOMINICA LÆTARE, JOH. VI. ℣ſ. 10.

Εἶπε δὲ ὁ Ἰησοῦς· ποιήσατε τοὺς ἀνθρώπους ἀναπεσεῖν, ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ, ἀνέπεσαν οὖν οἱ ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν ὡσεὶ πεντακισχίλιοι.

Dixit autem Jeſus : Facite ut homines diſcumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Diſcubuerunt ergo viri numero fermè quinquies mille.

PUlchra quondam fuit ſpecies & facies Iſraelitarum, cùm jam in terra Canaan præſentes caſtrametati ſunt ad mandatum Joſuæ in Gilgal, planitie Jerichuntis, ibi denique comederunt de frugibus terræ, de quo *Joſuæ 5. verſ. 10, 11, 12.* Pulchra fuit hæc ſpecies & facies, videbatur enim totus populus ad ductum & mandatum Joſuæ compoſitus. Erat ipſis à DEO conſtitutus Dux & Princeps *Joſua*, Vir, in quo Spiritus Jehovæ, quapropter cùm illos præcedit, illi verò ſequuntur & jam conſtituti in *Gilgal*, quieſcunt ibi ad illius mandatum & voluntatem, ubi circumciſi fuerunt & inquinamenta *Ægypti* ab illis devoluta per hoc Sacramentum, utpote tanti Ducis, qui & cum Principibus tribuum hactenus illos probè gubernarat, & illos tanquam Paſtor benignè duxerat, nec non miraculosâ aquarum diviſione in *Jordane* fuerit quaſi à DEO approbatus, & ipſis commendatus, juxta prædictionem illius : *Accedite huc & audite verbum Domini DEI veſtri : in hoc ſcietis, quòd Dominus Deus vivens in medio veſtri eſt, & ejiciet è conſpe-*

conſpectu veſtro Cananæum & Hethæum, Hevæum, & Pherezæum, Gergeſæum quoque & Jebuſæum & Amorrhæum. Ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos in Jordanem; parate duodecim viros de tribubus Iſrael, ſingulos per ſingulas tribus: & cùm poſuerint plantas pedum ſuorum Sacerdotes, qui portant arcam, Domini DEI univerſæ terræ, aquæ Jordanis ſcindentur, quæ inferiores ſunt, decurrent, atque deficient, quæ autem deſuper veniunt, in unâ mole conſiſtent. de quâ *Joſuæ 3. v. 9, 10, 11, 12, 13.* Pulchra fuit hæc ſpecies & facies populi Iſraelitici, videbatur enim totus populus quieſcens & recumbens in campeſtribus Jerichuntis, in loco qui à devolutione ignominiæ dictus in campeſtribus *Jerichuntis*, quæ abundabant gramine, & in quibus teſte *Strabone* fuit Sylvula palmarum, adeoq; in loco degerant virente & etiam ſecundùm quosdam *patres* fructibus generoſis nobilitato, adeò ut ipſa terra propterea commendata fuerit & Urbs inde denominata, Urbs palmarum, de quo *Judic. 1. v. 16.* Pulchra fuit hæc ſpecies & facies populi Iſraelitici. Videbatur enim totus populus probè diſpoſitus, ita quidem ut omnes prompti & parati adeſſent ad excipienda mandata *Joſuæ*, debito ordine diſpoſiti in caſtris tribus tribubus verſus Orientem, tribus verſus Occidentem, tribus verſus Meridiem, & tandem tribus verſus Septentrionem locatis magno in numero & per Vexilla diſtincti, præſtolantes quid porrò dicturus & facturus *Joſua*, cui ſeſe totos ſubmiſerant pridem dicentes: *Omnia, quæ præcepiſti nobis, faciemus; & quocunque miſeris ibimus: Sicut obedivimus in cunctis Moſi; ita obediemus & tibi; tantùm ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moſe. Joſ. 1. v. 16, 17, 18.* Ut quondam pulchra fuit ſpecies & facies populi *Iſraelitici*, circa illud tempus, ita quoque cùm cœleſtis *Joſua* in Carne ſeſe conſpiciendum exhibuiſſet, egregia fuit ſpecies *populi illius*, qui confluxit & ſeſe in loco amplo repoſuit, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

Diſſerueram ex rationis ductu *Philippus*, quem ſecutus fuerat ex eodem principio *Andreas*, *Chriſtus* itaque abrumpens iſtiusmodi vati-

di ratiocinia dixit illis & cæteris: *Facite ut homines recumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergò viri numero fermè quinquies mille.* In quibus verbis observandum 1. quòd *Christus* dixerit: Facite, ut homines recumbant, atque ita indicare voluerit tempus esse, quo mensa paretur, jussit autem hoc, ut postea Apostoli eò melius ministrare possent, quos hîc adhibuit, ut aliâs eidem ministrarunt in aliis quoque, tanquam illi, quem *salutarunt Magistrum & Dominum suum Joh. 13. v. 13.* ut singuli observarentur à populo, nullus negligeretur juxta voluntatem suam, quæ prona fuit semper subvenire omnibus & singulis, tanquam illius, qui aliquoties in consimili casu dixit: *sese misereri populi Marc. 8. v. 2.* ut denique insigne illud factum eò evidentius inclarescceret, alter ad alterum sese converteret, admirabundus de illo loqueretur, & ita tot testes essent illius, quod patratum, quot præsentes, adeoque agnoscerent *Christum* esse Messiam, qui non tantùm panem corporalem dispensat, sed & cœlestem exhibere possit, de quo ex occasione hujus differit in sequentibus, esse illum, de quo *Nicodemus: Rabbi, scimus, quòd à Deo venisti, Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. Joh. 3. v. 2.* II. Observandum, quòd locus ille fuerit commodus ad recumbendum. Dicitur enim: *Erat autem gramen multum in eo loco*, ut scil. eidem incumbere potuerint, prout in istiusmodi locis. In græco occurrit vox χόρτος, quæ usurpatur in Scripturâ de tali gramine, quod DEUS producit, & *vestire* dicitur *variis coloribus Lucæ 12. v. 28.* de tali gramine, quod vivit & viret, ut in ipsa hâc historiâ descriptâ à *Marco cap. 6. v. 39.* de tali deniq; gramine, quod crescit & fructum etiam *suum suo fert tempore Matth. 13. v. 26.* III. Observ. quòd obsecutus sit populus, discubuerunt enim viri illi numero quasi quinquies mille, discubuerunt animo prompto & prono ad *Christi* mandatum & *Apostolorum* instructionem, sponte se demittentes in terram, & expectantes, quid futurum, utpote qui *Christum* spontè secuti erant ex *pluribus Urbibus*, teste *Matthæo cap. 14. v. 13.* ordine debito ita quidem, ut in longitudine fuerint *centum, in latitudine quinquaginta virorum Marc. 6. v. 40.* magno numero, ita quidem ut viri illi fuerint: *quasi quinquies mille*, ut quoq; computat *Lucas cap. 9. v. 14.*

L. D.

Videmus, Quomodo Ecclesia in his terris commodè nobis adumbretur in hujus populi typo. Commodè adumbratur Ecclesia in his terris juxta explicata I. Recubitus Jussione, Existunt quippe in Ecclesiâ homines, ad mandatum *Christi*, ut *Apostoli* & Doctores Ecclesiæ illis ministrent, atque ipsi agnoscant *Christum* esse illum, *qui dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad præparationē Sanctorum in Opus Ministerii, in ædificationem corporis Christi.* de quo *Paulus Eph. 4. v. 11. & 12.* existunt in Ecclesiâ homines, ut nullus illorum destituatur Beneficiis & misericordiâ *Messiæ*, atque ipsi agnoscant *Christum* esse illum, *qui omnes vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. 1. Timoth. 2. v 4.* existunt in Ecclesiâ homines, ut attendant ad miracula *Christi*, illa deprædicent, atque ipsi agnoscant *Christum* esse illum, *qui attestatus est signis & prodigiis, & variis virtutibus & Spiritus sancti distributionibus pro ipsius voluntate.* de quo *Paulus Eb. 2. v. 2.* Ut quondam *Moses* jussit populum comparere per *Aharonem*, & subsistere versus desertum, ut intelligerent *Messiam* esse illum, qui misereatur, cibum singulis procuret & illustrem miraculo se ostendat *Exodi 16. v. 9, 10, 11, 12* ita jussit *Christus* populum recumbere, ut demonstraret, se per *Apostolos* ministraturum, neminem præteriturum, atque miraculo gloriam suam illustraturum, quòd scil. ille, de quo *David: Benedictus Dominus; Deus Israel, qui facit mirabilia solus, & cujus majestate repleatur omnis terra. Amen, Amen. Psalm. 72. v. 18, 19.* Commodè adumbratur Ecclesia in his tertis, juxta explicata II. Loci Conditione, sunt enim Christiani tibi, ubi gramen Verbi copiosè existit, sunt ibi, ubi gramen Verbi, quod ipse DEUS ex thesauro Voluntatis suæ producit, adeoque impletur illud *Esaiæ: Lætabitur ſiticulosa, & exultabit solitudo. & florebit quasi lilium; germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & jubilans, gloria Libani data est ei: decor Carmeli & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem DEI nostri. cap. 35. v. 1, & 2.* sunt ibi, ubi gramen Verbi, quod vivit viret & viget,

get, adeoque impletur illud, quod *David* dixit: *Dominus est pastor meus; & nihil mihi deerit, in pascuis herbosis faciet me cubare; ad aquas refectionis ducit me. Psalm. 23. v. 1, & 2.* sunt ibi, ubi gramen Verbi, quod fructum profert adeoque impletur illud, quòd tam egregie Salvator ipse in hoc puncto proposuit: *Ultrò terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spicâ. Marc. 4. v. 28.* Ut quondam *Moses* jussit populum subsistere in tali loco, in quo cum palmis & fontibus erant gramen *Exodi 14. v. 27.* ita ad voluntatem *Christi* populus debuit incumbere gramine, loco, in quo copiosè illud fuit, in Symbolum Verbi, de quo *David: Erit pugillus frumenti in terram, in summitate montium ut moveatur, sicut Libanon fructus ejus, & florebunt de civitate quasi herba terræ. Psalm. 72. v. 16.* Commodè adumbratur Ecclesia in his terris, juxta explicata III. Cætus Dispositione, exhibent enim illi, qui sunt in Ecclesiâ se prompto animo, & dicunt: *Nunc omnes adsumus in conspectu DEI, audire omnia, quæcunque tibi præcepta sunt à Domino.* ex *Act. 10. v. 33.* exhibent illi, qui sunt in Ecclesiâ se debitè & decenti ordine, atque observant illud *Pauli: Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis 1. Corinth. 14. v. 41.* exhibent illi, qui sunt in Ecclesiâ se magno numero, confluunt & dicunt: *Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum DEI Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus. Esaiæ 2 v. 3.* Ut quondam *Moses* jussit populum numerosum recumbere, promptum, decenti ordine circa Tabernaculum *Num. 2. v. 2. & 3. & seq.* ita *Christus* jussit populum recumbere, quique ad Mandatum illius recubuit animo prompto, ordine, magnoque numero, atque demonstravit se esse illum, *qui dominatur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. &c.* de quo *David Psalm. 72. v. 8, & 9.*

USUS I. DEHORT.

SI Ecclesia in his terris ita commodè Typo hujus populi adumbratur, deficiunt ab illo, qui non agnoscunt Sapientiam, misericordiam & potentiam Salvatoris, sed dicunt: *Nunquid Deus poterit parare mensam in deserto? ecce percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt; nunquid & cibum poterit dare,*

num parabit carnes populo suo? ex *Psalm. 78. v. 20, 21. 22.* memores illi esse deberent illius: *Nunquid manus Domini invalida est? jam nunc videbis, utrum sermo meus opere compleatur. Num. 11, v. 23.* deficiunt ab illo, qui non amant locum Verbi, nauseant gramen illud sacrum, maluntque pasci *siliquis* seculi, & dicunt: *Venite & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter: vino precioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* *Sap. 2. v. 6, 7, 8, 9.* memores illi deberent esse illius: *Revelatum est in auribus meis, Domini exercituum, si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Exercituum. Esaiæ 22. v. 14.* deficiunt ab illo, qui non ad mandatum illius sese componunt, nec promptè, nec ordinatè, nec numerosè comparent, sed dicunt: *Vanum est servire DEO, & quid emolumenti ex eâ re percipimus, quòd cultus ipsius exercemus? & quòd pullati incedimus coram Domino exercituum. Malach. 3. v. 14.* memores illi deberent esse illius: *Si me non audieritis, sed ambulaveritis contra me, tum abominabitur vos anima mea, ut urbes vestras redigam in solitudinem, & deserta faciam sanctuaria vestra, nec recipient ultra odorem suavissimum. Disperdamus terram vestram, & stupebunt super eâ inimici vestri, cùm habitatores illius fuerint. Levit. 26. v. 27, 31, 32.*

USUS II. ADHORT.

SI Ecclesia in his terris ita commodè Typo hujus populi adumbratur, studeamus omnes & singuli tanquam Membra illius, ut Apostolorum & Doctorum Ministerium, Misericordiam Christi & miracula radiantia ex ipso, grato agnoscamus animo, dicentes: *Multa fecisti tu Jehova Deus, mirabilia tua, & cogitationes tuas erga nos, nemo est, qui ordinare posset tibi, si annunciare & eloqui velim, plura sunt, quàm ut narrentur. Psalm. 40. v. 6.* Studeamus omnes & singuli tanquam membra illius, ut gramine Verbi unicè delectemur, & dicamus: *Inventi sunt sermones tui, & comedi*

medi eos, & factum est mihi Verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei. ex *Jeremiæ 15. v. 16.* Studeamus denique omnes & singuli tanquam membra illius, ut promptè, ordinatè & numerosè nos Christo præsentes exhibeamus dicentes: *Quàm dilecta sunt tua tabernacula Domine Exercituum, concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Cor meum & caro mea exultaverunt ad Deum vivum,* ex *Psalmo 84. v. 2, & 3.*

USUS III. CONSOL.

SI Ecclesia in his terris ita commodè Typo hujus populi adumbratur, bono sint animo, qui ad illum se componunt & probè illud expendunt: *Deus non est Deus confusionis sed pacis, sicut in omnibus Ecclesiis sanctorum. 1. Corinth. 14. v. 34.* Si *Caro* nostra nos velit avertere à contemplatione Sapientiæ, bonitatis & potentiæ Christi &, suggerere illud: *Medice cura teipsum. Lucæ 4. v. 23,* novimus, qui jubendo recumbere populum demonstravit sapientiam per ministerium suorum Apostolorum, Benignitatem per commiserationem omnium, & potentiam in miraculis esse adhucdum *eum, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & scientiæ absconditi.* de quo *Paulus Coloss. 2. v. 3.* illum, *qui te nec deseret, neque derelinquet.* de quo *Paulus Ebr. 13. vers. 5.* illum, *qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus secundùm virtutem, quæ operatur in nobis.* de quo *Paulus Eph. 3. v. 20.* Si *Mundus* nos vocet in locum graminis alterius generis, ut scilicet nos pascamus cum bobus *basaniticis*, & dicamus: *Ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum, comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* ex *Esaiæ 22. v. 13.* novimus, qui locum graminis designavit suis in Symbolum dare Verbum & *suum Evangelistas magno exercitu. Psalm. 68. vers. 12.* facere vi illius & nos virescere, atque vivere, *ut germinemus quasi salices juxta præterfluentes aquas. Esaiæ 44. v. 4.* pascere ut *fructum* ferant, secundùm illud *Ezechiel: in pascuis bonis pascam eas, & in montibus excelsis Israël erit caula illarum, ibi accubabunt in caulâ bonâ, & pascua pinguia pascentur in montibus Israel; ego pascam oves meas, & ego accu-*

bare eas faciam; dixit Dominus Jehova: perditam requiram, & abjectam reducam, & confractam obligabo, & ægrotam consolidabo. cap. 34. v. 14, 15, 16. Si denique *Diabolus* omnis confusionis Author omnem Ordinem & numerosam multitudinem turbare gestiat, omnia in Ecclesia confundere tanquam ille, *qui fervescere facit quasi ollam, profundum: mare ponit, quasi cùm unguenta tulliunt. Jobi cap. 41. vers. 22.* novimus illum, qui fecit ut promptè, ordinatè & numerosè hic populus sese inclinaret, facturum, ut & nos prompto eidem nos submittamus animo, & dicamus: *Testimonia tua sunt gaudium meum, sunt consiliarii mei, justificationes tuæ.* ex *Psalm. 119. v. 24.* ut *ordinatos* nos exhibeamus tanquam *Exercitum castrorum Cant. 5. v. 9.* ut numerosè confluamus & dicamus: *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto ejus: quoniam sanctus Dominus Deus noster.* ex *Psalm. 99. v. 9.* AMEN.

DOMINICA JUDICA,
JOH. VIII. ℣s. 53.

Μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραὰμ, ὅστις ἀπέθανε; καὶ οἱ προφῆται ἀπέθανον, τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς;

Nunquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt, quem teipsum tu facis?

ERravit aliquando Samuel secutus rationis suæ Judicium, cùm scil. Eliabum prætulit Davidi, putavit illum esse principem familiæ Isaicæ, & Davidem longè inferiorem, de quo *1. Sam. 16. v. 6. & seq.* Erravit Samuel, quia Eliabum putavit esse majorem, & proinde præferendum. Erat *Eliabus* hic vocatus ad *Samuelem*, & ab ipso accersitus, elegantis corporis & animi, adeoque Intellectus etiam viribus præstantis, & tandem præ cæteris in honore coram oculis *Samuelis*, principatum obtinens tanquam primogenitus, unde opinatus fuit *Samuel*, ipsum etiam *Davidi*

vidi esse præferendum, quia Jus primogenituræ magni æstimatum, dicente etiam *Jacobo: Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium roboris mei, prior in donis, major in imperio. Gen. 49. v. 3.* Erravit Samuel, quia Eliabum respexit tempore Sacrificii. Destruebantur victimæ cum sacrificaretur, atque monebatur hoc ipso homo peccati, & consequenter *stipendij illius*, quod est *Mors*, neque illa evitari aliter poterat, quam transferendo illud quasi in victimam, quæ Typus Salvatoris nostri morientis, & morte suâ peccata expiantis, quapropter errat, cùm ad terrena respicit *Samuel* illo ipso tempore, ipso DEO in oppositum nitente & dicente: *Ne respicias aspectum ejus, neque altitudinem staturæ ejus; quoniam reprobavi eum, nec juxta intuitum hominis ego judicio, homo enim videt ea, quæ apparent; Dominus autem videt cor. versu 7.* cùm non fuerit satis suis affectibus hic *Eliab*, multo minus itaque populo regendo, peccârit postea Iræ excessu, de quo *1. Sam. 17. v. 28.* Erravit Samuel, quia Eliabum magnifecit, non verò Davidem. Erat *David* minimus filiorum *Isai*, magnus tamen in oculis divinis, quapropter cum prælato *Eliabo*, præterire illum desiderat *Samuel*, errat utpote, quia *David* fuerit idoneus præ cæteris Rex à DEO cœli calculo designatus, instructus Spiritu divino & propheta Altissimi, qui dicere potuit postea: *Dixit vir, qui confirmatus est de Christo DEI Jacob, suavis in psalmis Israël: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* ex 2. *Sam* 23. *v.* 1. & 2. Ut quondam *Samuel* prætulit *Eliabum Davidi*, ita *Judæi Abrahamum* filio *Davidis Messiæ JESU Christo*, dicentes: *Nunquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt, quem teipsum tu facis?* de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

UT hactenus *Judæi* Verba *Christi* siniſtrè intellexerunt, ita pergunt ratiocinando & dicunt 1. nunquid tu major es patre nostro Abraham? origine gentis nostræ, ex quo descendimus, qui à DEO tàm mirabiliter fuit vocatus, & ex *Ur Chaldææ* eductus, de quo *Gen. 12. v. 1.* qui à DEO tàm probè fuit instructus, & in

& in verâ Religione Deique cultu eruditus, de quo *Gen. 17. v. 1, 2.* qui denique à DEO tam impensè fuit dilectus & honoratus, ut illum patrem constituerit populorum multorum, imò omnium credentium, & dixerit: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli & veluti arenam, quæ est in littore maris. possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum & benedicentur in te omnes gentes. Gen. 22. vers. 17, 18.* II. Dicunt, qui mortuus est; etiam Prophetæ mortui sunt, non revocarunt ullum in vitam, sed ipse *Abraham* cum *prophetis*, qui tamen Verbum DEI prædicarunt, mortui sunt, & expleto vitæ termino congregati sunt ad suos, ita ut anima soluta fuerit à corpore, & *redierit* ad *DEUM*, qui *dedit illam Ecclesiast. 12. v. 7.* ita ut corpus ex virium defectu collapsum fuerit, & in *terram redierit*, juxta comminationem divinam *Gen. 3. v. 19.* ita ut nullus hactenus illorum denuo è morte & sepulchro prodierit, sed omnes adhuc dormiant, de quibus dici potest illud *Jobi: Lignum habet spem, si recisum fuerit, rursum viresçit: & surculi ejus pullulant. Si senuerit in terrâ radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius; ad recreationem aquæ germinabit, & producet ramos, ac si plantata esset. Homo verò cùm mortuus fuerit, & infirmitate correptus expirarit, ubi quæso est? cap. 14. v 7, 8, 9, 10.* III. Dicunt, quid facis vel quem teipsum facis? per istam tuam jactantiam, de Verbo tuo, quasi esses superior *Abrahamo* & omnibus *Prophetis*, cùm tamen sis *socius* longè aliorum hominum, nempe *publicanorum & peccatorum Matth. 9. v. 11.* cùm tamen sis planus, Impostor & seductor populi, quem *nullus æstimat* ex *primoribus* aut *pharisæis Joh. 7. v. 48, 49.* cùm tamen sis *Samaritanus* & *Daemonium habens* illiusque *virtute patres tua miracula Luc. 11. v. 15.*

L. D.

VIdemus, Quàm perversè & impiè Ratio sentiat de Salvatore nostro JESU Christo; hoc docent Judæi in explicatis. Perversè sentit Ratio de Salvatore nostro 1. præferendo, præfert enim illa attendens ad externa, alios Salvatori exinanito, nec attendit *Messiam* esse vocatum longè sublimiore vocationis

tionis genere, de quo ipse: *Nonne scriptum est in lege vestrâ: quia ego dixi: dii estis? si illos dixit Deos, ad quos sermo DEI factus est, & non potest solvi scriptura, quem pater sanctificavit, & misit in mundum, hoc dicitis, quia blasphemas; quia dixi: filius DEI sum. Job. 10. v. 34, 35, 36.* non attendit *Messiam* esse instructum longè sublimiori Notitiâ rerum cœlestium, de quâ ipse: *Amen, amen, dico tibi Nicodeme; quia quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur, & testimoniũ nostrũ non accipitis: si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, creditis? & nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius Hominis, qui est in cœlo. Job. 3. v. 11, 12, 13.* non attendit *Messiam* esse dilectum & honoratum longè sublimiore honoris, & cultus Specie, de quo ipse: *Quæcunque Pater facit, hæc Filius similiter facit: Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & majora demonstrabit ei opera, ut vos miremini; sicut enim pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & filius, quos vult, vivificat: neque enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem; qui non honorat filium non honorat patrem, qui misit illum. Job. 5. v. 20, 21, 22, 23.* Ut quondam rationem secutus *Isaac* prætulit *Esavum Jacobo* siniſtrè, de quo *Gen. 25. v. 27, & 28.* ita *Ratio* quoque siniſtrè præfert quemvis Salvatori exinanito, eminentissimo illi, de quo quondam *Bileam: Procedet stella ex Jacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab, & vastabit omnes filios Seth. Numer. 24. v. 17.* Perversè sentit Ratio de Salvatore nostro 11. opponendo, opponit illa Solutionem Animæ à corpore, quasi *Messias* non possit reunire, cùm tamen sit *Deus* non *mortuorum sed vivorum Luc. 20. v. 38.* opponit illa Corporis lapsum & defluxionem, cùm tamen *Messias* illud possit restaurare & dicere ad decumbentem *in sepulchro & putrescentem: Lazare prodi foras Job. 11. v. 43.* opponit illa Somnum ferreum, ex quo nullus hactenus evigilarit, cum tamen *Messias* disertè dixerit: *Nolite mirari, venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii DEI, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem Judicij. Johan. 5. v. 28, 29.* Ut quondam Rationem secutus *Moses* opinatus fuit non sese *eductum aquam* ex *Petrâ Num. 20. v. 10.* ita *Ratio* quoque non credit ex *Petrâ* Salutis esse vitam, Resurrectionem & Beatitudinem æternam, de

quo tamen *Esaias: Ecce ego pono lapidem in Sion, lapidem probatum, angularem preciosum, benè fundatum; cap. 28. v. 16.* Perversè sentit Ratio de Salvatore nostro III. deprimendo, deprimit illa tanquam jactabundum illum, qui cum in finem venit, ut associans peccatoribus illos converteret & salvaret, juxta illud: *Non est opus Medico valentibus, sed malè habentibus: non enim veni justos vocare, sed peccatores ad pœnitentiam. Matth. 9. v. 12, & 13.* deprimit illa tanquam jactabundum illum, qui eum in finem venit, ut docendo *veritatem* instillaret, *promoveret* juxta illud: *Ego in hoc natus sum & ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati. Joh. 18, v. 37.* deprimit illa tanquam jactabundum illum, qui eum in finem venit, ut miraculis alliceret & confirmaret, juxta illud: *Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in patre. Joh. 10. v. 37. 38.* Ut quondam *Rationem* secutus *Naaman* depressit *Elisæum* virum DEI, & ejus Consilium *2. Reg. 5. vers. 11.* ita *Ratio* quoque sinistrè deprimit *Messiam* tanquam jactabundum, qui ex se ipso faciat, quod tamen est in rei veritate, nempe prophetam, cujus Verbum vivificum, de quo quondam *Moses: Prophetam de medio tui & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus DEUS tuus, ipsum audies, Deut. 18. v. 15.*

USUS I. DEHORT.

SI ita perversè sentit Ratio de Salvatore nostro, non illi ita fræna laxemus, ut *Christo* quenquam præferat & dicat: *scimus, quia Mosi locutus est DEUS, hunc autem nescimus, unde sit.* ex *Joh. 9. v. 29.* memores illius: *Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnit me, vilipendetur. 1. Sam. 2. vers. 30.* non illi ita fræna laxemus, ut *Christo* opponamus, vel illa sese opponat & dicat: *Magister Moses dixit: Si quis mortuus fuerit, non habens filium, ut ducat frater illius uxorem illius, & suscitet semen fratri suo; erant autem apud nos septem fratres, & primus uxore ductâ defunctus est, & non habens semen reliquit uxorem fratri suo; similiter secundus & tertius usque ad septimum; novissimè autem & omnium mulier defuncta est; in resurrectione ergò cujus erit de septem uxor,*

omnes enim habuerunt eam? ex *Matth. 22. v. 23, 24, 25, 26, 27, 28.* memores illius: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; omnis qui cetiderit suprà illum lapidem conquassabitur; supra quem autem ceciderit comminuet illum. Luc. 20. vers. 15, 18.* non illi ita fræna laxemus, ut Christum deprimat & dicat: *à Nazareth potest aliquid boni esse?* ex *Joban. 1. v. 46.* memores illius: *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui judicet eum, sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die, quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar Joh. 12. v. 48, 49.*

USUS II. ADHORT.

SI ita perversè sentit Ratio de Salvatore nostro, studeamus, ut *Christum* Salvatorem nostrum per fidem omnibus præferamus;, atque credamus illum esse illud *Semen Abrahæ*, de quo *Paulus: Abrahæ dictæ sunt promissiones; & semini ejus; non dicit; & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo qui est Christus. Gal. 3. v. 16.* Studeamus, ut *Christum* Salvatorem nostrum per fidem apprehendamus, *& credamus illum esse viam, veritatem & vitam; neminem venire ad patrem nisi per eum. Joh. 14. v. 6.* Studeamus, ut *Christum* Salvatorem nostrum per fidem magnifaciamus, ut credamus illum esse magnum prophetam N. T., dicentes: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei vivi.* ex *Joh. 6. v. 68, 69.*

USUS III. CONSOL.

SI ita perversè sentit Ratio de Salvatore nostro, bono sint animo, qui *captivant Rationem sub Obsequium Christi 2. Corinth. 10. v. 5.* Si *Ratio* dictet quemvis esse præferendum Christo exinanito, atque ingeminet illud: *hic peccatores recipit & manducat cum illis, Luc. 15. v. 2.* novimus, qui Christiani sumus, illum esse præferendum omnibus, tanquam illum, qui venit in hunc Mundum missus à patre, ut ipse dixerit; *Meus cibus est, ut faciam volun-*

tatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. Joh. 4. v. 34. veritatem nos edocens, *qui tanquam unigenitus filius in sinu patris omnia nobis narraverit.* de quo *Joh. 1. v. 18.* dilectus & honoratus à Patre, de quo dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo complacui, ipsum audite. Matth. 17. v. 5.* Si *Ratio* dicet *Christo* non esse tribuendam gloriam Resuscitationis, & ingeminet illud: *umbræ transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostris; quoniam consignata est, & nemo revertitur. Sap. 2. v. 5.* novimus, qui Christiani sumus. *Christum* esse Victorem *Mortis* & dicere: *Vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in secula seculorum & habeo claves mortis & inferni. Apoc. 1. v. 18.* esse Restauratorem Corporis nostri *secundum operationem, quâ etiam potest subjicere sibi omnia. Philipp. 3. vers. 21.* esse ipsam *Resurrectionem & vitam, qui credit in eum, etiamsi mortuus fuerit, vivet, & omnis, qui vivit & credit in illum, non morietur in æternum. Johan. 11. vers. 25, 26.* Si denique *Ratio* dicet deprimendum esse *Christum*, atque ingeminet illud: *nonne hic est faber filius Mariæ, & frater Jacobi & Josæ, & Judæ & Simonis? nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt? Marc. 6. v. 3.* novimus, qui Christiani sumus, illum magnificiendum, tanquam nostri causâ incarnatum, qui peccatores *salvos faciat.* juxta illud *1. Timoth. 1. vers. 15.* tanquam nostri causâ prophetam constitutum, qui rudes *tanquam Lux vera illuminet.* juxta illud *Joh. 1. v. 9.* tanquam nostri causâ miraculis inclitum, qui infirmis subventurus *& benefacturus sanando omnes oppressos à diabolo.* juxta illud *Actor. 10. v. 38.* qui tandem vivificam Verbi vim in Resuscitatione mortuorum plenè declaraturus & dicturus: *Expergiscimini & jubilate, qui habitatis in pulvere.* ex *Esaiæ 26. v. 19.* AMEN,

AMEN.

IN FE-

IN FESTO PALMARUM, LUC. XIX. ℣. 37.

Ἐγγίζοντος δὲ ἤδη πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν, ἤρξαντο ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν χαίροντες αἰνεῖν τὸν θεὸν φωνῇ μεγάλῃ περὶ πασῶν, ὧν εἶδον δυνάμεων.

Et cùm jam appropinquaret ad descensum montis Olivarum, cœpit omnis multitudo discipulorum gaudentium laudare DEUM voce magnâ de omnibus, quas viderant virtutibus.

REctè quondam egit Giezi famulus Elisæ, dum deprædicavit coram Rege omnia illustria facta quæ olim patraverat Elisa Vir DEI, de quo 2. *Reg. 8. v. 4, & 5.* Rectè fecit Giezi deprædicando Elisam, cùm famulus fuerit illius. Erat hic *Giezi* assumptus ab *Elisâ* & dilectus ei præ aliis, veræ Religioni addictus, & adhærens suo Magistro, qui ipsum insequebatur, si quando ambularet, ministraret, si quando subsisteret, quapropter cùm illius injicitur mentio, meritò deprædicat Magistrum, laudat eum, qui illum faventer hactenus habuit, & mirabiliter etiam conservavit in *Dothane*, de quo 2. *Reg. 6. v. 16.* Rectè fecit Giezi deprædicando Elisam, quia disertis Verbis hoc ipsum fecit. Erat hic *Giezi* ex ordine illorum, qui aliàs in DEI ministeriis quoque cultu & laudibus occupatus, qui primitias quoque Spiritus acceperat, & non indiserti oris erat, quapropter occasione datâ edisserit, & exponit laudes Magistri, utpote super quem *ad petitum venerit Spiritus duplex Eliæ*, de quo 2. *Reg. 2. v. 9.* Rectè fecit Giezi deprædicando Elisam, quia viderat ipsius gesta & facta. Erat hic assiduus comes *Elisæ*, quapropter etiam spectator miraculorum, quæ tantus vir edidit, cùm itaque Rex solicitaret, ut exponeret omnia facta scil. miraculosa Magistri, recenset illa non tantùm, quomodo ut Medicus sanarit aquas, obviarit impiis calumniantibus, sed etiam quomodo è mortuis resuscitarit filium *Sunamitidos*, eidem

denuo vitam & Spiritum inhalarit, adeoque miraculis illustrem sese comprobarit virum DEI & prophetam in *Israel*, de quo 2. *Reg.* 4. *v* 34, 35, 36. Non tam rectè egit quondam *Giezi*; longe rectius egit *populus*, qui Christum comitatus in Urbem, de quo *Lucas* dicit: *Et multitudo omnis discipulorum gaudentes laudarunt DEUM voce magnâ super omnibus, quas viderant virtutibus*, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

DEscripserat hactenus Evangelistarum ordo, quid gestum in Accessu, jam propiùs accedit *Lucas* & dicit: *Omnem multitudinem discipulorum gaudentem laudasse DEUM voce magna super omnibus, quæ viderant virtutibus.* In quibus Verbis observandum. I. Quis laudaverit. *Lucas* dicit: cæpisse *Omnem multitudinem discipulorum*, adeoque totum illum cætum, qui confluebat & unum constituebat, in quo primum Apostoli, quos præ aliis elegerat, & hactenus sincerè informarat & dilexerat, ut etiam paulò post dixerit ad illos: *Majorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis, vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Joh. 15. v, 13, & 14.* illi qui ex *Bethaniâ* fuerant eum comitati, tracti ab eodem & honorificè de eo sentientes, atque in ipsum credentes, de quo tractu ipse: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum. Joban. 6. vers. 44.* denique illi, qui *Hierosolyma* egressi eundem exceperunt, & ex reliquis piorum expectarunt *Salutare DEI*, & in corde suo dixerunt, quod *Samaritana* illa: *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus, cùm ergo venerit ille, annunciabit nobis omnia. Joh. 4. v. 25.* II. Quomodo laudaverint; dicit cæpisse *gaudentes laudare DEUM*, laudasse DEUM utpote cui soli omnis Cultus religiosus, *Laus, honor, & gloria debetur*, juxta illud: *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus Deo nostro: quia jucunda decora & laudatio. Ps. 147. v. 1.* laudâsse gaudentes concitante Spiritu, qui *Spiritus lætitiæ*, juxta illud: *Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde. Ps. 32. v. 11.* denique laudâsse voce magnâ, elatâ non submissâ, ringentibus etiam & frendentibus *pharisæis* juxta illud *Psalm. 47. v. 2.* III. Observandum, Quare

laudaverit; *Lucas* dicit: *super omnibus, quas viderant virtutibus*, vel propter potentias, adeoque miracula, quæ viderant, quòd scil. sanarit *omnis generis ægros Matth. 4. v. 24.* quòd *multa hominum millia*, adeoque egentes & *famelicos cibârit in desertò*, de quo *Marc. 8. v. 7, & 8.* quòd tandem mortuos resuscitarit, & inprimis illustre Specimen ediderit in *Lazaro*, qui paulo ante jam *fœtens è morte in vitam revocatus, & è Sepulchro redire jussus est Joh. 12. v. 17, & 18.*

L D.

VIdemus, Quid nos deceat circa hoc tempus maximè, nempe in Laudes DEI nos totos effundere. Laudare debemus circa hoc tempus 1. ex Status proprietate, sumus enim & nos Discipuli Salvatoris nostri JESU *Christi*, cum Apostolis electi, de quibus dicit: *Non vos me eligistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructus vester maneat. Joh. 15 v. 16.* sumus & nos Discipuli Salvatoris nostri cum *Bethanienſibus* ad fidem pertracti & ducti, qui dicere possunt: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus filius DEI*, ex *Joh. 6. v. 69.* sumus & nos Discipuli Salvatoris nostri cum *Hierosolymitanis* desiderantes adventum secundum in futuro, & præsentem in Corda nostra, juxta promissum,: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, pater meus diliget illum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Joh. 14. v. 23.* Ut quondam laudavit *Abrahamum* apud *Syros Eleazar* & deprædicavit eum, quia ipse in Oeconomum electus, in Domo fuit *Abrahami*, & familiâ, de quo *Genes.* 24. ita in laudes se effundere debent DEI omnes & singuli *Christiani* hoc tempore, quia sunt Discipuli illius, qui major *Abrahamo* & Semen *illud benedictum*, de quo ipse DEUS: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ; Gen 22. v. 18.* Laudare debemus circa hoc tempus DEUM, 11. ex Exempli perspicuitate. Modum quippe & mensuram nobis exhibent illi, qui *Christum* comitati fuerunt, ut scil. laudemus illum, cui laus debetur & dicamus: *Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit & fecit redemtionem plebi suæ & erexit cornu salutis nobis in domo David servi sui.* ex *Lucæ 1. vers. 68, 69.*

ut lau-

ut laudemus Spiritu commoti, lætitiâ è cœlo perfusi, & dicamus: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ operuit me quasi Sponsum sacerdoti ornatu, & quasi Sponsam ornatam monilibus suis.* ex *Esaiæ 61. v. 10.* ut laudemus voce elevatâ & dicamus: *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo, in Domino gloriabitur, anima mea, audiant afflicti & lætentur: magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus simul.* ex *Psalm. 34. v. 2, 3, 4.* Ut quondam laudavit *Davidem Chorus Mulierum* ex omnibus Urbibus, & carmen decantavit eidem in honorem, voce elatâ & organis musicis interstrepentibus *1. Sam. 18. v. 7.* ita in laudes DEI se effundere debent omnes & singuli *Christiani*, quia præfulget tam illustre Exemplum, & meritò debetur honor, & gloria ex lætitia spirituali cum elevatâ voce illi, qui ex Semine *David secundum Carnem & DEUS benedictus in secula Rom. 9. v. 5.* Laudare debemus circa hoc tempus III. ex Miraculorum Majestate, quæ utique movere, incitare & incendere debent. num enim non laudandus ille Medicus, qui sui similem non habet, & complevit illud? *Ecce obducam ei cicatricem & sanitatem, & curabo eos, & devolvam illis deprecationem pacis & veritatis. Jeremiæ 33. v. 6.* num non laudandus ille Sitarchus, qui sui similem non habet & complevit illud? *Dabit Dominus panem afflictionis, & aquam tribulationis, & non removebit à te doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum Esaiæ 30. v. 20.* num non laudandus ille victor mortis, qui sui similem non habet & complevit illud? *De manu inferni redimam eos, de morte liberabo illos: ero pestilentia tua ô mors, ero lues tua ô inferne. Osea 13, v. 14.* Ut quondam laudavit *Ebedmelechum Jeremias*, quia ipsum eduxerat è foveâ, & vitam quasi & Spiritum reddiderat, de quo *Jer. 38. v. 7. & seq.* ita in DEI laudes se effundere debent omnes & singuli, quia *Christus* ille, qui Rex educens è lacu, *in quonon est aqua, & emittit vinctos suos.* de quo *Zachariæ 9. v. 9. & 11.*

USUS I. DEHORT.

SI decet nos circa hoc tempus maximè in Laudes DEI effundere, non decenter se gerunt omnes & singuli, qui non in lau-

in laudes se effundunt, sed opprobria, & dicunt: *Nonne benè dicimus, quia samaritanus es tu, & dæmonium habens?* ex *Johan. 8. vers. 48.* tales sanè non sunt Discipuli Christi, sed Diaboli, de quibus verè dici potest: *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* ex *Johan. 8. v. 44.* non decenter se gerunt omnes & singuli, qui non clatâ voce & ex lætitiâ spirituali DEUM laudant, sed murmurant, & dicũt dubitantes: *nunquid à Galileâ venit Christus? Joh. 7. v. 41.* tales sanè non sunt perfusi Spiritu lætitiæ, sed mæroris & amaritudinis, de quibus verificari potest illud: *Ad terram intuebitur; & ecce tribulatio & tenebræ, & dissolutio & angustia & caligo, quia non erit miseria, cum quâ alia angustia comparari possit. Esaiæ 8. vers. 22.* Non decenter denique se gerunt omnes & singuli, qui ad opera miraculosa non attendunt, sed negligunt aut detestantur & dicunt: *In Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia. Luc. 11. v. 15.* tales sanè non sunt videntes sed cæci, de quibus dici verè potest: *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo: qui me odit & patrem meum odit, si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt me & patrem meum.* ex *Johan. 15. vers. 22, 23, 24.*

USUS II. ADHORT.

SI decet nos circa hoc tempus maximè in laudes DEI effundere, studeamus, ut celebremus DEUM obsequiosè tanquam Discipuli, & insistamus vestigiis *Pauli*, qui monet & dicit: *Imitatores mei estote fratres; & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis nos pro exemplari. Philip. 3. v. 17.* Studeamus, ut celebremus DEUM lætè & hilariter, excitantes nosmet ipsos & dicentes: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo & psalmum dicam Domino. Exsurge gloria mea. exurge nablium, & cithara, exsurgam diluculo: confitebor tibi in populis domine; & psalmum tibi dicam inter populos.* ex *Psalmo 57. vers. 8, 9, 10.* Studeamus denique, ut celebremus DEUM gloriosè miracula illius agnoscentes

& divinitatis radios exſplendeſcentes, ut cum *Nicodemo* confiteamur: *Rabbi, ſcimus, quia à DEO veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi Deus fuerit cum eo.* ex *Joh. 3. v. 2.*

USUS III. CONSOL.

SI decet nos circa hoc tempus maximè in Laudes DEI effundere, bono ſint animo, qui proni in laudes divinas, atque obſervant illud *Pauli: Verbum habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia: docentes & commonentes vos ipſos in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus veſtris Domino. Coloſſ. 3. v. 16.* Si jubeat *Mundus* nos tacere tempore calamitatis, & perſequatur nos ideò, quòd Diſcipuli juxta illud *Chriſti: Si de Mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret. quia verò de mundo non eſtis, ſed elegi vos de mundo, ideò odit vos Mundus. Joh. 15. v. 19.* novimus, qui fecit nos Diſcipulos, facturum, ut cum *Apoſtolis* confiteamur & plagis affecti congratulemur, quòd *digni habiti pro nomine Jeſu contumeliam pati. Actor. 5 v. 41.* ut cum *Bethanienſibus* è Domo luctus tranſeamus in domum Laudis, & confeſſionis, dicentes cum fidelibus: *Vota mea reddam Domino in conſpectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Jeruſalem, Halleluja, Halleluja.* ex *Pſ. 116. v. 18, 19.* ut cum *Hieroſolymitanis* confiteamur, & dicamus cum piis expectantibus Salutare hoc: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm Verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paráſti ante faciem omnium populorum Lumen ad revelationem gentium, & ad gloriam plebis tuæ Iſrael.* ex *Lucæ 2. v. 28, 29, 30, 31, 32.* Si *Caro* noſtra nos jubeat quieſcere, paulam interponere tempore crucis, atque ſubmiſsè ingemiſcendum: *concaluit cor meum intra me; & in meditatione meâ exardeſcet ignis.* ex *Pſalm. 39. v. 4.* novimus DEUM eſſe noſtrum *Pſalterium & Auxilium Pſalm. 62. v. 3.* illum nos perfundere Spiritu lætitiæ, ut confidenter dicamus: *Ego in miſericordiâ tuâ ſperavi: exultabit cor meum in ſalute tuâ, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & pſalmam nomini Domini Altiſſimi.* ex *Pſalm. 13. v. 6, & 7.* illum elevare vocem noſtram & complere illud *Davidis: tunc replebitur riſu os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. Pſ. 126. v. 2.* Si denique *Diabolus* jubeat

nos

nos tacere tempore calamitatis, ut ingemiscendũ quasi non videamus potentiam, dicamus: *Attende de cœlo, & vide de sancto habitaculo tuo, & solio gloriæ tuo; ubi est zelus tuus & fortitudo tua, multitudo viscerũ tuorum & miserationum tuarum super me continuerunt se.* ex *Es. 63. v. 15.* novimus illum, qui Morbos omnes sustulit, in Morbis & plagis etiam à *Sathanâ* immissis, ut *Jobo* subventurum tanquam medicum, *qui verè languores nostros tulit, & dolores nostros portavit.* de quo *Esaias cap. 53. vers. 5.* in Egestate atque inopiâ etiam à *Sathanâ* immissâ ut *Jobo* subventurum, tanquam Sitarchum, *qui posuit fines nostros pacem; & adipe tritici satiat nos.* de quo *David Ps. 147. v. 14.* in mortis periculo etiam à *Sathana* intentato, ut *Jobo* subventurum, tanquam *Mortis* victorem & Triumphatorem, ut dicturi: *Converte anima mea in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi: quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu: ambulabo coram Domino in regione vivorum.* ex *Psalm. 116. v. 7, 8, 9.* AMEN.

IN FESTO PASCHATOS,
MARC. XVI. ℣. 7.

ἀλλ' ὑπάγετε, εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ τῷ Πέτρῳ, ὅτι προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν. ἐκεῖ αὐτὸν ὄψεσθε; καθὼς εἶπεν ὑμῖν.

Sed abite, dicite discipulis ejus, & Petro, quòd præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

LÆtam & animosam olim se exhibuit Debora prophetissa & Judex in Israel, cùm perspectâ victoriâ animari se passa fuit à Spiritu, Barakum Principem deprædicavit, & Israelem mæstum dulci cantu refecit, dicens: *Surge surge, Debora, & loquere canticum; surge Barak, & cape captivantes te, Fili Abi-Noem: tunc dominabantur reliquiæ præstantibus populi. Judic. 5. vers. 12, & 13.*

Lætam se exhibuit Debora, quia Spiritu se accendere, animare & movere passa fuit. Erat illa juxta nomen Apis, quæ ex Verbo DEI, quod illi supra mel, hausit vires & robora, Uxor *Lapidoth*, qui ita dictus à Luce & splendore, habitans in montanis *Ephraim* inter palmas, quæ Symbolum victoriæ, quapropter cùm ad Votum illius DEUS largitur insignem victoriam, sinit se animari Spiritu, & dicit: *Surge Debora, Surge & canta Carmen*, ut postea *David: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo & psalmum dicam Domino. Exurge gloria mea, exurge nablium & cithara, exurgam diluculo; confitebor tibi in populis Domine; & Psalmum tibi dicam inter populos, quoniam magnificata est usque ad Cælos misericordia tua, & usque ad nubes Veritas tua. Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram tuam gloria. Psalm. 57. vers. 8, 9, 10, 11, 12.* Lætam se exhibuit Debora, quia deprædicavit Barakum hactenus pressum. Erat ille *Barak* aliàs generosus Heros, fulgur, quod hostibus in faciem debuit vires suas explicare & ferire vultus illorum; verùm res eò devenerat, ut premeretur jugo, captivus quasi teneretur, & nunc hunc nunc alium insultum sustinere cogeretur, quapropter cùm *Cananæus* Exercitus fusus, *Sissera* à *Jaele* occisus, *Jabin* Rex in *Hazer* humiliatus, oculos vertit à statu eximanitionis ad statum Exaltationis *Baraki*, & dicit: *Surge Barak & cape tuos captores*, qui hactenus te detinuerunt, tu fili *Abinoam*, pulchri patris, ferè ut *David* postea succinuit: *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus; quemadmodum dissipatur fumus deficiant; sicut fluit cera ab igne: sic pereant peccatores à facie DEI. Psalm. 68. v. 2, & 3.* Lætam se exhibuit Debora, quia Israelem universum solata fuit & refecit. Se paraverat se *Ruben, Gilead* manserat cis *Jordanem, Dan* in navibus, *Asser* in portu & pagis, victoriâ verò obtentâ deprædicat illum omnibus hisce, maximè verò suos solatur, quòd scil. derelicti jam imperent potentibus DEI gratiâ, ferè ut *David* postea suos animavit, refecit & dixit: *Exultabunt sancti in gloriâ jubilabunt in cubilibus suis; exaltationes DEI in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictã in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; ut*

faciant

faciant in eis judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis ejus, Halleluja. Psalm. 149. v. 5, 6, 7, 8, 9. Vt quondam se lætam exhibuit *Debora* tunc temporis, ita nunc pium quodcunque Cor in Victoriâ cœlestis *Baraki*, quo invitant illa : *Ite & dicite Discipulis*, de quibus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

IN horto cæpit peccatum & consequenter Mors; in Horto se pandit denuò Salus & vita, hinc *Marcus* refert dictum fuisse: *Ite & dicite Discipulis.* In quibus Verbis observandum, I. qui jussi vel quæ, fuerunt autem illæ Mulieres piæ & devotæ, quæ *Christum* ungere intenderunt, tales, quæ viderunt Angelum in specie juvenis floridi & validi, aliquem ex *potentibus Domini*, ut describuntur *Psal. 103. v. 20.* quæ viderunt Angelum *in candidâ & splendidâ veste* talari, aliquem ex *adstantibus DEO, qui albâ veste & capite niveo* sese exhibuit spectandum *Dan. 7. v. 9.* quæ viderunt speciosum, loquentem & dicentem : *quæritis Jesum Nazarenum crucifixum, surrexit non est hîc*, aliquem ex illis Spiritibus, qui *emissi propter Salutem electorum Ebr. 1. v. 14.* II. Observandum, à quo ire jussi vel jussæ. Dixit autem : ὑπάγετε abite. Spectabant sepulchrum, totæ illi intentæ erant, quod vacuum, ideoque Angelus amandat illas & dicit: *ite* scil. discedendo à Sepulchro, quod proximum erat Monti *Golgatha*, in quo *Christus* crucifixus, de quo *Job. 19. v. 41.* quod cubile illius, in quod involutus, repositus, ut in illo quiesceret, de quo *Marci 15. v. 46.* quod denique *munitum lapide, sigillo occlusum, atque militibus cinctum*, de quo *Matth. 27. vers. 66.* III. Observandum, ad quos missæ, dixit autem Angelus: *ite & dicite, seu annunciate Discipulis ejus, illis*, qui ipsum in passione *deseruerunt* & turpiter se dederunt fugæ, juxta prædictionem : *Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquetis. Johan. 16. v. 32.* qui Mundo fuerunt exosi, quia secuti sunt hunc Magistrum, ut *Christus* ipse dixerit illis : *De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Johan. 17. v. 16.* qui denique toti mærore & timore fuerunt circumfusi, metuentes, ne propediem etiam post crucifixum

fixum rapiantur ad supplicium & propterea conclusis foribus agebant meticulosi *Johan. 20. v. 19.*

L. D.

VIdemus, Quid nostri Officii hoc die, hoc festo solenni & læto, nempe meditari, loqui & deprædîcare de Messiâ seu Salvatore nostro resurgente, qui ut Agnus mortuus, ut Leo de tribu Juda vicit *Apoc. 5. v. 5.* Loqui & gloriari debemus de Messiâ resurgente hoc die I. ex status conditione, sumus enim Christiani, vidimus in Verbo cum hisce mulieribus Angelum in specie Juvenis floridi, qui figuravit floridum & vegetum *Messiam*, se ipsum propriâ virtute resuscitantem, qui ipse dixit: *Nemo tollit animam à me, sed ego ponam eam à meipso; potestatem habeo ponendi eam, & rursum sumendi eam. Joh. 10. v. 18.* videmus in Verbo Angelum indutum veste albâ & splendidâ, qui designat *Messiam* indutum vestibus immortalitatis & gloriæ, de quo *Paulus*: *Christus resuscitatus ex mortuis jam non moritur; mors illi ultrà non dominatur; quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo. Rom. 6. v. 9, & 10.* videmus in Verbo Angelum, qui loquitur Verba vitæ & dicit: *surrexit*, atque confirmat illum fuisse verum Prophetam, qui in Itinere ultimo dixerit: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius Hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & tertiâ die resurget. Matth. 20. v. 18, 19.* Si locuti sunt filii *Jacobi* de pro Rege Ægypti, quia illius dispensator gratiam ejusdem denunciavit *Gen 43. v. 19, & 20.* quanto magis nostrum erit loqui de *Christo* Rege resuscitato, quia Angelum videmus in Verbo floridum, candidum, loquentem & comprobantem id, quod ipse dixit: *Vivus & fui mortuus, & ecce sum vivens in secula seculorum, & habeo claves mortis ac inferni. Apoc. 1. v. 18.* Loqui & gloriari debemus de Messiâ, hoc die II. ex Angeli Ablegatione, quia ab Angelo jubemur abire à loco & sepulchro proximo Monti *Golgathæ*, quia *Christus* nunc tanquam victor ascendit *Montem olearum* & completum est illud: *Egredietur Dominus*

minus & præliabitur contra gentes, illas, sicut præliari solet in die certaminis, & stabunt pedes ejus in die illâ super montem olivarum, quæ est contra Jerusalem ad orientem; & scindetur mons Olivarum ex mediâ parte sui ad orientem & ad occidentem, vallisque fiet magna admodùm, & recedet medium montis ad Aquilonem, & medium ejus ad Meridiem. Zachariæ 14. v. 3, & 4. discedere debemus à Sepulchro, in quo mortuus recubuit, quia *Christus* nunc tanquam omnis vitæ Compendium vivit in æternum & completum est illud *Esaiæ: Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. cap. 53. v. v. 10.* discedere debemus à Sepulchro, quod lapide Sigillo & milite munitum, quia *Christus* nunc tanquam Triumphator ubiq: & completũ est illud *Davidis: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: sceptrum fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum; populus tuus spontaneus, in die victoriæ tuæ, in decore sancto, de utero ante auroram est tibi ros nativitatis tuæ. Psalm. 110. v. 1, 2, 3.* Si locuti sunt filii *Jacob* de Fratre, quia agnoverunt eum non ulterius esse in cruce, sed Luce, non in fovea sed solio, non in manu *Midianitarum* & *Ismaelitarum*, sed sub *Pharaone*, ita *ut absque illo nec manus nec per moveri debuerit Gen. 41. vers. 44.* quanto magis nostrum erit loqui de *Christo* resuscitato, quia Sepulchrum vacuum, ab illo jubemur discedere & agnoscere ipsum non crucifixum ulterius hærere, non in Sepulchro dormire, aut milite cingi, sed esse illum, qui verè dixerit: *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem notas mihi fecisti vias vitæ, abundantia gaudiorum est cum vultu tuo, delectationes in dexterâ tuâ usque in æternum. Psalm. 16. v. 10. 11.* Loqui & gloriari debemus de Messiâ resurgente hoc die III. ex debiti obligatione, quia tenemur eo erigere & solari proximum. Sunt & nobis fratres, qui lapsi & proinde hâc annunciatione erigendi, tales, qui conqueruntur: *Mei penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei.* ex *Psalm. 73. v. 2.* sunt & nobis fratres, qui exosi mundo & proinde hac annunciatione consolandi tales, qui conqueruntur: *Tanquam purgamenta mundi hujus facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* ex *1. Corinth. 4. v. 13.* sunt & nobis fratres, qui mœrore & timore circumfusi, & proinde hâc

hâc annunciatione reficiendi, tales, qui conqueruntur: *Cor meum conturbatum est in me & formido mortis cecidit super me, timor & tremor venerunt super me, & obruit me terror.* ex *Psalm. 55. v. 5, & 6.* Si locuti sunt filii *Jacob* ad patrem & cæteros domesticos, quia mœsti & dixerunt: *Joseph vivit & ipse dominatur in terrâ Ægypti. Gen. 25. v. 26.* quanto magis nostrum erit loqui de *Christo* resuscitato, quia & nobis sunt lapsi, exosi, mœsti, qui reficiendi, quibus dicendum: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.* ex *Esaiæ 53. v. 8.*

USUS I. DEHORT.

SI nostri Officii est hoc die cogitare, loqui, & prædicare de Salvatore resuscitato, peccant graviter, qui non respiciunt Angelum ostensum in Verbo, sed attendunt *Sathanæ* excæcanti, *qui mentes infidelium excæcat, ne fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago DEI. 2. Cor. 4. v. 4.* quid illis imminet in Resurrectione, quàm aggregatio ad *Diabolos* & illud dirum: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus Matth. 25. v. 4.* Peccant graviter illi, qui ad sepulchrum *Christi* consistunt, non dimoveri se patiuntur & putant non dari ex illo regressum, dicentes: *Umbræ est transitus tempus nostrum & non est reversio finis nostri, quoniam consignata est, & nemo revertitur.* ex *Sap. 2. v. 5.* quid illis imminet in Resurrectione, quam Sepulchrum æterni Ignis, *fovea, quæ præparata est ab heri pro Rege, præparata, profunda & dilatata, habitatio ejus ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* de quo *Esaiæ 30. v. 33.* Peccant graviter, qui mœstos non solantur Resurrectione Christi, sed temporalis vitæ gaudiis, *quibus gaudium & lætitia occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum; comedamus & bibamus: cras enim moriemur. Esaiæ 22, v. 13.* quid illis imminet in Resurrectione, quàm Tristitia & mœror in locum Gaudii, ut dicturi sint *montibus & petris; Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super Thronum, & ab irâ Agni, quoniam venit dies magnus iræ ejus, & quis poterit stare? ex Apoc. 6. v. 16, 17.*

USUS

USUS II. ADHORT.

SI noſtri Officii eſt hoc die cogitare, loqui, & prædicare de Salvatore reſuſcitato, ſtudeamus, ut fidei oculo reſpiciamus Angelum ita in Verbo dicentem: *Quid quæritis viventem cum mortuis? non eſt hîc ſed ſurrexit; recordamini, qualiter locutus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæâ eſſet, dicens: quia oportet filium Hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertiâ die reſurgere. Luc. 24. v. 5, 6, 7.* Studeamus, ut à Sepulchro Infirmitatis nos corde noſtro vertamus ad ſtatum Exaltationis, agnoſcentes illud: *Deus Pater ſuſcitavit Chriſtum Jeſum à mortuis, & conſtituit ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum & poteſtatem, & virtutem ac dominationem & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus; qui omnia in omnibus adimplet. Eph. 1. verſ. 20, 21, 22, 23.* Denique ſtudeamus, ut mœſtos fratres ob diſceſſum amicorum & nos hâc prædicatione Reſurrectionis *Chriſti* conſolemur, juxta illud: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui Spem non habent. Si enim credimus, quod Jeſus mortuus eſt & reſurrexit; ita & Deus, eos, qui dormiérunt per Jeſum, adducet cum eo. 1. Theſſ. 4. v. 13, 14.*

USUS III CONSOL.

SI noſtri Officii eſt hoc die cogitare, loqui & prædicare de Salvatore reſuſcitato, bono ſint animo, qui illud *Pauli* obſervant: *Memor eſto Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe ex mortuis ex ſemine David, ſecundùm Evangelium meum. 2. Tim. 2. v. 8.* Si *Diabolus*, qui ſe *transfigurat in Angelum Lucis*, quandoque nos de hoc puncto dubios reddere velit per organa ſua & dicentes: *Apoſtolos noctu illû ſuſtuliſſe. Matth. 28. v. 13.* novimus ex Verbo, bonum Angelum exhibuiſſe ſe in ſpecie Juvenis floridi, ut oſtenderet virgam *Aharonis* refloruiſſe, illum, qui ex Semine *Davidis*, propriâ potentiâ ſurrexiſſe & ſeſe demonſtraſſe *ita filium DEI Rom. 1.*

v. 4. exhibuisse se in veste spendidâ ut designaret Solem justitiæ occumbentem in passione denuò fuisse ortum, corpora nostra quoque *ad Exemplar corporis sui clarificaturum Philip. 3. v. 21.* exhibuisse se Oratorem, qui dixerit: fortem in *Israel* cadentem factum esse *Principem vitæ & primitias resurgentium*, quem cæteri Christiani in secutum, *1. Cor. 15. v. 20.* Si *Caro* nostra quandoque velit nos respicere ad Sepulchrum, dubios reddere de hoc puncto, & dicet illud *Jobi: Lignum habet spem; si præcisum fuerit rursum virescit, & surculi ejus pullulant. Si senuerit in terrâ radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius; ad recreationem aquæ geminabit, & producet ramos, ac si plantata esset; homo verò cùm mortuus fuerit & infirmitate correptus expiraverit, ubi quæso est? quomodo si recedant aquæ de mari, & fluvius vacuefactus arescat: sic homo, cùm dormierit, non resurget, donec pertereat Cœlum; nec evigilabit, nec consurget de somno suo. cap. 14. vers. 7, 8, 9, 10, 11, 12.* novimus nos juberi discedere à Sepulchro propè montem crucifixi, ut credamus illud: *Nam etsi Christus crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute DEI, nam & nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum illo ex virtute DEI in nobis. 2. Corinth. 13. v. 4.* à Sepulchro, in quo mortuus decubuit, ut credamus illud: *Deus suscitavit Jesum, solutis doloribus mortis, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eâ. Act. 3. v. 24.* à Sepulchro, quod lapide, Sigillo & militibus munitum, ut credamus illud: *Ascendet perruptor ante eos, & perrumpent & gradientur per portam, & egredientur per eam, & ibit Rex eorum ante eos, & Dominus in principio eorum. Mich. 2. v. 13.* Si denique *Mundus* tempore tristitiæ ingeminet illud Epicuræum, dubios de hoc puncto reddere intendat: *Fortuitò nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus; quoniam fumus afflatus est in naribus nostris, & sermo est scintilla in commotione cordis nostri.* ex *Sap. 2. v. 2, & 3.* novimus qui filii Lucis nos posse nos & fratres nostros solari prædicatione Resurrectionis *Christi*, qui fugientes colligit & dicit: *Pater quos dedisti mihi, volo, ut ibi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti meante constitutionem mundi. Job. 17. v. 24.* prædicatione Resurrectionis *Christi*, qui exolos mundo solatur tanquam victor mundi, & *fidem nostram fore victoriam; quoniam omne, quod natum est ex DEO vincit mundum, & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. 1. Job.*

Job. 5. v. 4. prædicatione Resurrectionis *Christi*, qui mœstos refecit tanquam abstergens *lachrymas*, omnemque tollens mœrorem & dicens: *Ego sum alpha & omega, initium & finis; ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis: qui vicerit, hæreditate consequetur omnia, & ero illi DEUS, & ipse erit mihi filius. Apoc. 21. vers. 6, & 7.* AMEN.

DOMINICA QUASIMODOGENITI, JOH. XX. ℣. 23.

Ἄν τινῶν ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται αὐτοῖς, ἄν τινῶν κρατῆτε κεκράτηνται.

Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunque retinueritis, retenta sunt.

NOn leve quondam Authoritatis & potestatis Indicium fuit in Josepho, quòd Simeonem curavit ligari & vinciri coram oculis cæterorum, de quo *Gen. 42. v. 24.* Non leve indicium fuit potestatis in Josepho, quia hoc tantùm illis competit, qui Jus habent superioritatis aut jurisdictionem in aliquo loco. Erat *Joseph* quidem contemptus quondam, & censebatur esse mortuus, qui tamen quasi revixit è carcere, promotus fuit ad Solium & dignitatem principalem in *Ægypto*, quapropter demonstrat se gaudere hâc potestate vinciendi & ligandi tanquam talis, qui superior omnibus, & de quo ipse *Pharao* pronunciavit & dixit: *Absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in terrâ Ægypti. Gen. 41. v. 44.* Non leve indicium fuit potestatis in Josepho, quia per Ministros suos hoc fuit executus. Habebat ille tanquam primas Regni suos apparitores & ministros, qui mandata illius exequebantur; quapropter cum intendit ligare & vincire, advocat illos, mandat ut faciant, quod velit & vin-

ciant in conſpectu cæterorum fratrum, in Exemplum, & fuiſſe in *Ægypto* iſtiusmodi vincientes & incarcerantes, qui certo ordine & gradu hoc officium adminiſtrabant, liquet ex *Gen. 39. v. 21, 22, 23.* Non leve indicium fuit poteſtatis in Joſepho, quia exercitum fuit in Simeonem. Erat *Joſeph* juſtus, judex probè conſcius, quis ex hac fratrum turmâ primas tenuerit, & peccarit, cumque procul dubio *Simeon*, utpote ferocis animi, cum *Levi* fratre ſuo, adverſarium ſeſe quondam exhibuerit, in ipſum maximè peccarit, quapropter illum etiam vinciri vult, & curat præ aliis, ut qui etiã antea patrem *Jacobum* perturbarit, mærore affecerit, & violenter ſegeſſerit in Cæde *Sichemitarum*, ut ipſe pater poſtea maledicens *ipſi* & fratri *Levi* dixerit: *Simeon & Levi fratres, vaſa violentiæ gladii illorum, in conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſuâ enervârunt bovem; maledictus ſit furor illorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael. Gen. 49. v. 5, 6, 7.* Ut quondam Authoritatem & poteſtatem ſuam etiam in hoc negotio luculenter demonſtravit *Joſephus* Pro-Rex *Ægypti*, ita quoque *Salvator* noſter poteſtatem ſuam ſummam, quâ gaudet præcipiendo, *ut peccata retineantur*, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

DIxerat *Chriſtus: quorumque remiſeritis peccata remittuntur eis;* ne itaque exiſtimetur non poſſe etiam aliter circa peccata verſari illos, quibus cura commendata Eccleſiæ, ideoque dicit: *quorumcunque retinueritis peccata, in cœlis retenta ſunt.* In quorum Verborum initio obſervandum I. quis alloquatur. Alloquitur autem *Salvator* noſter, qui *paſſione & morte ſuâ jam peccatum obſignarat*, juxta *Danielem cap. 9. v. 24.* qui reſurrectione glorioſâ ſeſe demonſtrarat mortis victorem, & tanquam *Leo de tribu Judâ vicerat Apoc. 5. v. 5.* qui tanquam Spiritu plenus inſufflarat Apoſtolis, ipſisque illum contulerat, utpote, qui illum *abſque menſurâ acceperat Johan. 3. verſ. 34.* II. Obſervandum quos allocutus fuerit. Allocutus eſt autem *Apoſtolos* & in perſona co-

na eorum omnes & singulos, qui ipsis in Ministerio succesturi, illos, quos propediem missurus in omnem orbem, , ut antea miserat in *Judæam*, de quo *Matth. 10. v. 1. & seq.* illos, qui & Verbum Legis & Evangelii prædicaturi & annunciare debebant *voluntatis divinæ vim Marc. 16. v. 15.* illi, qui debebant Honestatem & probitatem stabilire, disciplinam conservare & convertere, nec non in *sanctitate conservare Luc. 1. v. 17.* III. Observandum quomodo alloquatur. Alloquitur autem, ita, ut non tantùm facultatem remittendi peccata, sed & retinendi illis tribuat & conferat scil. impœnitentibus, utpote, qui *cor retinent durum*, quale describitur *Ezechiel 2. v. 4.* Legis fulminibus non patiuntur se concuti & conteri, sed dicunt, nullum esse *periculum dicentes: liberabimur, quamvis omnes istas abominationes fecerimus. Jer. 7. v. 10.* denique Evangelio non apti sunt nec Oleo Gratiæ perfundendi, eo ipso, quo peccata non agnoscunt, deplorant, & confitentur cum his, qui *tales, quibus non opus sit Medico sed his, qui ægrotant Matth. 9. v. 12.*

L. D.

VIdemus, Quòd in Ecclesiâ Christi, in his terris præter potestatem remittendi peccata, quoque sit facultas retinendi illa. Hoc docent Verba explicata. Est in Ecclesiâ Facultas retinendi peccata I. ex conferentis Majestate, contulit enim hanc æquè ille, qui potestatem contulit remittendi ea, Salvator scil. generis humani, non tantùm homo sed & verus & æternus DEUS, ille, qui par fuit omnibus peccatis ferendis & expiandis, de quo *Paulus; In ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem Crucis per ipsum, sive quæ in terris sive quæ cœlis sunt. Col. 1. v. 19, 20.* ille, qui par fuit morti expugnandæ, de quo *Paulus: Quia pueri communicaverant carni & sanguini & ipse similiter participavit iisdem; ut per mortem destrueret eum, qui mortis habebat imperium, i. e. Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Ebr 2. v. 14, 15.* ille, qui par fuit Spiritui fundendo & suis communicando, de quo *Paulus: Christus idoneos nos fecit mi-*

nistros N. Testamenti, non literæ, sed spiritus; litera enim occidit, Spiritus autem vivificat. 2. Corinth. 3. v. 6. Ut quondam potestas fuit penes *Chaldæos* vinciendi *Jeremiam*, quia illam contulerat Rex, quanquam malè fuerit administrata *Jeremiæ 40. v, 1.* ita quoque in Ecclesiâ est potestas vinciendi & peccata retinendi, quia collata ab illo, qui Rex Ecclesiæ, de quo *David: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Sceptrum fortitudinis tuæ emittet Dominus è Sion, Dominare in medio inimicorum tuorum. Psalm. 110. v. 1, 2.* Est in Ecclesiâ Facultas retinendi peccata II. ex ministrorum Qualitate, allocutus est enim *Christus* câ de causâ *Apostolos*, mittit & constituit adhuc ille in Ecclesiâ, tales, ut *Paulus dicat: Pro Christo legatione fungimur, tanquam DEO, exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini DEO. 2. Cor. 5. v. 10.* instruit illos Verbo Legis & Evangelii, ut cum *Micha* dicere possint: *Ego repletus sum fortitudine Spiritus Domini, judicio & virtute, ut annunciem Jacob scelus suum, & Israël peccatum suum.* ex *cap. 3. v. 8.* vult ut Honestatem, Sanctitatem & virtutes Christianas plantent, & stabiliant, ut *Petrus* dicat: *Vos curam omnem subinferentes ministrate in fide vestrâ virtutem, in virtute autem scientiam; in scientiâ autem abstinentiam; in abstinentiâ autem patientiam; in patientiâ autem pietatem; in pietate verò amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem; hæc si vobis copiosè adfuerint, non otiosos nec sine opere vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. 2. Petr cap. 1. v. 5, 6, 7, 8.* Ut quondam potestas fuit penes Ministros *Nabuchodonosoris* vinciendi socios *Danielis*, quia illi ministri & milites Regis, quanquam malè fuerit administrata *Daniel. 3 v 20.* ita quoq; in *Ecclesiâ* est potestas vinciendi & peccata retinendi, quia dantur in illâ Ministri, quibus hoc incumbit, quibusque dictum: *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, increpa, exhortare in omni longanimitate & doctrinâ. 2. Tim. 4, v. 2.* Est in Ecclesiâ Facultas retinendi peccata III. ex objecti habilitate, dantur enim, non tantùm pœnitentes & fideles in illâ, sed & inpœnitentes & perversi, quibus consequenter peccata non dimittenda sed retinenda, dantur tales, qui duri corde, quibus DEUS dicit: *Scivi, quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & fronsa tu ærea. Esaiæ 48. v. 4.* dantur tales, qui refractarii sunt

corde

corde, legalia fulmina non admittunt, quibus DEUS dicit: *Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui Cervice indurată, quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus. Psalm. 75. v. 6, & 7.* dantur tales, qui indigni sunt omni oleo gratiæ, prædicatione Evangelii, de quibus DEUS: *Manda, remanda, manda, remanda, exspecta reespecta expecta, reespecta; modicum ibi, modicum ibi; in labio enim blæso & linguâ alterâ loquar ad populum istum. Esaiæ 28. v. 10, 12.* Ut quondam potestas fuit penes Exercitum *Holofernis* vincire *Achiorem*, quia ipsi credebatur adversus, quanquam malè administrata *Judith. 6. v. 8.* ita quoque in *Ecclesia* est potestas vinciendi & peccata retinendi, quia dantur in illâ adversi DEO, & inpœnitentes, qui dicere non verentur: *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini non audiemus ex te. Jeremiæ 44. v. 16.*

USUS I. DEHORT.

SI in Ecclesiâ Christi est Potestas retinendi peccata, errant graviter, qui putant Christum talem non contulisse aut potuisse conferre, atque dicunt: *Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam; quomodo tu dicis? liberi eritis.* ex *Joh. 8. v. 33.* cùm tamen attendere deberent ipsum, ut peccata sustulit, mortem destruxit & Spiritu se fœcundum demonstravit, ita pollere quoque facultate communicandi hanc potestatem & dicere: *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Apoc. 3. v. 7.* Errant graviter, qui putant penes Ministros non esse hanc potestatem, non illis esse collatam & opinantur illos esse *abjectissimos 1. Cor. 4. v. 9.* cùm tamen attendere deberent illis dictum, quod *Petro: Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, ligatum erit in cœlis, & quodcunque solveris, erit & solutum in Cœlis. Matth. 16. v. 19.* Errant graviter, qui putant utut sint inpœitentes, non tamen esse vinciendos vel peccata illis retinenda, & dicunt: *ubi est verbum Domini, veniat obsecro. Jeremiæ 17. v. 15.* cùm tamen attendere deberent illud: *Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.*

ftis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit; cùm irruerit tanquam turbo, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia; tunc invocabunt me & non exaudiam, mane consurgent, & non invenient me. Proverb. 1. v. 24, 25, 26, 27.

USUS II. ADHORT.

SI in Ecclesiâ Christi est potestas retinendi peccata, benè agunt, qui ad Christum conferentem illam respiciunt & expendunt, quod ipse dixit: *Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Lucæ 24. v. 46, 47.* Benè agunt, qui ministros Ecclesiæ adeunt & cum familiâ *Cornelii* dicunt: *Nos omnes in conspectu DEI adsumus audire omnia, quæcunque tibi præcepta sunt à Domino.* ex *Actor. 10. v. 33.* Benè agunt, qui in pœnitentium Ordinem se conferunt & expendunt, quod pentecostales illi auditores, *qui compuncti corde dixerunt ad Petrum & cæteros Apostolos: quid faciemus viri fratres? Act. 2. v. 37.*

USUS III. CONSOL.

SI in Ecclesiâ Christi est potestas retinendi peccata, bono sint animo, qui ex illâ parte Ecclesiæ, quæ comparatur *piscibus bonis Matth. 13. v. 48.* Si nos urgeant *peccata* nostra, atque conquerendum: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; & sicut onus gravatæ sunt super me.* ex *Psalm. 38. v. 5.* novimus contulisse Ecclesiæ non tantùm potestatem retinendi, sed & dimittendi peccata, illum qui dicit: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: verte te ad me, quoniam redemi te. Esaiæ cap. 44. v. 22.* illum, qui stipendium peccati sustulit, & dixit: *Habeo claves mortis & inferni Apoc. 1. v. 18.* illum, qui Spiritum habet, ex quo remissio peccatorum, qui dixit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum*

nondum enim erat Spiritus Sanctus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Joban. 7. v. 37, 38, 39. Si nos urgeant *angores conscientiæ*, atque conquerendum: *abyssus abyssum invocat & strepitum canalium tuorum*, ex *Psalm. 42. vers. 8.* novimus Ministris esse collatam potestatem remittendi peccata & consequenter tranquillandi conscientiam, missos eos esse hunc in finem à Messiâ juxta prædictionem: *Creo fructum labiorum; pacem, pacem ei, qui longè est, & qui propè est, dixit Dominus, & sanavi eum. Esaiæ 57. vers. 19.* commissum esse ipsis non tantum Verbum Legis, sed & Evangelii, ut nullus in Ecclesiâ dicat: *Elangui, quia populus qui habitat in eâ, auferetur ab eo iniquitas. Esaiæ 33. vers. 24.* convertere illos & sanctitatem stabilire, juxta monitum: *Consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus vester; loquimini ad cor Jerusalem, & prædicate illi, quòd completa sit militia illius, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis suis. Esaiæ 40. vers. 1, & 2.* Si nos urgeant *mortis æternæ & Inferni horrores*, atque conquerendum: *Circumdederunt me laquei mortis, & torrentes belial conturbaverunt me; funes inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis.* ex *Psalmo 18. vers. 5, & 6.* novimus nobis pœnitentibus omnia peccata remissa, *& cor contritum placere DEO Psalm. 51. v. 19.* esse DEUM per ministros suos efficacem, ut Lex penetret, & dicere: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus: & quasi malleus conterens petram Jeremiæ 23. vers. 29.* denique ipsum Corda nostra immutare & Evangelio convertere ac solari, & complere illud: *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestrâ & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini. Ezech. 36. v. 26, 27.*

AMEN.

DOMINICA MISERICORDIÆ, JOH. X. ℣ſ. 10.

Καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης· κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν, καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν.

Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: illas quoque oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.

SAtis amplum gregem quondam Ovium habuit sub manu suâ Jacobus Patriarcha, cùm & suas & Labanicas pavit, fovit & conservavit, de quo *Gen. 30. v. 29, & 30.* Satis amplum gregem habuit hic Jacobus, quia Oves Labanis illi commissæ erant. Processerat ille è patria & DEI Consilio venerat in *Mesopotamiam*, ibique offendit *Rachelem*, ita denominatam ab ovibus, & cum eâ gregem *Labanis*, quapropter accedit illam, Ovium curam suscipit & prospicit de potu in loco siticuloso, de quo *Gen. 29. v. 10.* Satis amplum gregem habuit hic Jacobus, quia Oves Labanis pavit. Servierat ille per aliquod tempus & benedictionis divinæ Gratiâ proprium sibi comparavit gregem, quapropter alias quoque Oves à *Labanis* diversas pavit & posuit sibi greges seorsim, nec super pecudes *Labanis*, aut illis obvertere voluit *vers. 40.* imò eo usque profecit, ut postea dixerit: *Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tuâ, quam explevisti servo tuo: in baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc cum duabus turmis egredior. Gen. 32. v. 10.* Satis amplum gregem habuit hic Jacobus, quia Oves habuit ex Ovili non tantùm Labanico, sed & proprio & quidem alio. Collegerat ille sibi gregem, diviserat eum à grege *Labanico*, proprium fovebat, curabat, & dives pecoris factus meritò sibi de DEO patris sui gratulari potuit, & ut constaret, quòd non essent de Ovili *Labanis* illæ, quas ipse habebat, grex scil. quam sibi comparaverat, quapropter etiã signa-

signavit illas & egregio artificio ab Ovili *Labanico*, & grege illius discrevit, immittens virgas variegatas in aquas, ut præ oculis existentes fœtus concolores producerent, unde etiam profitetur: *Tulit Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi: nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac adfuisset mihi, vacuum me dimisisses, afflictionem & laborem manuum mearum respexit Dominus. Gen. 31. vers. 9. & 42.* Non *Jacob*, sed ex stemmate *Jacobi Christus* se sistit in præsenti Evangelio, & postquam disseruisset de suo Officio pastorali abundanter, dicit: *Se quoque alias adhuc habere Oves, quæ non sint ex hoc Ovili*, de quo σὺν θεῷ.

L. D.

CUm *Christus* in præsente parabolâ sese stiterit tanquam Pastorem, ideoque sub eadem figurâ pergit dicens: *Et alias Oves habeo, quæ non sunt ex hoc Ovili.* In quibus Verbis observandum I. quòd *Christus* dicat, sese habere Oves scil. tales, pro quibus etiam *animam ponere paratus* sit, vitam relinquere, prout dixit: *filius Hominis, non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemtionem pro multis. Matth. 20. vers. 28.* tales, quos norit etiam & diligat è longè, utpote *omnia cognoscens Johan. 21. v. 17.* tales, quas paratus sit quoque pascere tanquam pastor bonus, nutrire Verbo & colligere dispersas *Matth. 9. v. 36.* II. Observandum, quòd *Christus* dicat sese habere alias Oves, ἄλλα πρόβατα, adeoque longè plures, juxta illud: *Post hæc revertar, & ædificabo tabernaculum David, quod cecidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud: ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes super quas invocatum nomen meum, Actor. 15. vers. 16, & 17.* variis in Orbis partibus, ex quibus confluxerunt primi auditores in Festo Pentecostes *Act. 2. v. 9, 10, 11.* postremo tempore, scil. N T. quo *sublatus paries Actor. 10. v. 15.* III. Observandum, quòd *Christus* dicat, sese habere Oves alias, quæ non sint ex hoc Ovili, seu ex hâc caulâ, nempè non ex Ecclesiâ *Judæorum*, quam hactenus fovit & conservavit, ex illa Caulâ terræ *Canaan*, in quam introduxit quondam populum hunc *Josua*, de quo *Ebr. 4. v.*

8. ex illa Caulâ, in quâ Oves illæ fuerunt circumcisæ à *Josuâ*, & fœdus renovatum, juxta primam illius institutionem cum *Abrahamo Gen. 17. v. 10, & 11.* ex illa Caulâ, in quâ Oves Pascha celebrarunt læti sub *Josuâ*, de quo *Josuæ 5. v. 10.*

L. D.

Videmus, Quàm latè patentis gregis Pastor sit Salvator noster JESUS Christus. Hoc docent explicata. Latè patentis gregis Pastor est Christus I. ex Ovium attributione, quia sibi adscribit omnes & singulas Oves, illas scil. quas sanguine suo redemit, de quo *Petrus: Non corruptibilibus auro vel argento, redemti estis de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati. 1. Epist. c. 1. v. 18, 19.* omnes & singulas Oves illas, quas ab æterno prænovit, de quo *Paulus: Firmum fundamentum DEI stat, habens signaculum hoc. Cognovit Dominus, qui sunt ejus; 2. Timoth. 2. v. 19.* omnes & singulas Oves illas, quas pascere Verbo & congregare paratus, de quo *Ezechiel: In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis erunt caulæ earum; ibi requiescent in caulis bonis, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. cap. 34. v. 14.* Si quondam fuit in signis Pastor *Abel*, quia ob Oves sanguinem fudit, illas novit & pavit, de quo *Gen. 4. v. 2. & seq.* quanto magis insignis & latè patentis gregis Pastor est *Christus*, utpote, qui Oves sibi attribuit, cujusque *sanguis meliora loquitur quàm sanguis Abel Ebræor. 12. v. 24.* Latè patentis gregis Pastor est *Christus*, juxta explicata II. ex Ovium Multiplicatione, quia etiam aliæ illi sunt Oves, habet ille numerosum gregem, atque impletum est illud: *Congregatione congregabo Jacob totum te; in unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in munitione, quasi pecus in medio caularum, strepitum edent, in multitudine hominum. Mich. 2. v. 12.* habet ille gregem per totum Orbem diffusum, etiam ex aliis partibus illius, atque impletum est illud: *Omnes pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi; offerentur super placabili altari meo, & domum majestatis meæ glorificabo. Esaiæ 60. v. 7.* habet ille gregem temporis N. T., atque impletum

pletum illud : *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascateos, servum meum David, ipse pascet eas, & erit eis in pastorem. Ezechiel 34. v. 33.* Si quondam fuit insignis Pastor *Moses*, quia etiam alias numerosas scil. pavit Oves in terrâ alienâ *Midian* & tempore certo, de quo *Exodi 3. v. 1.* quanto magis insignis & latèpatentis gregis Pastor est *Christus*, utpote, qui alias quoque Oves habet numero, loci latitudine & tempore N. T. celebres, cui Pater dixit: *Parùm est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & desolationes Israël convertendas; ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ Esaiæ 49. v. 6.* Latè patentis gregis Pastor est *Christus* III. ex Ovium discretione, quia adscribit sibi Oves, quæ non sunt ex caulâ Ecclesiæ *Judaicæ*. Oves, quæ non per *Josuam* ductæ in *Canaan*, sed per illum, tanquam Cœlestem *Josuam* ex tenebris ad *terram Lucis & Ecclesiam* N. T., ut glorari possint gentiles cum *Paulo: Accessimus ad Sion montem, & civitatem DEI viventis cœlestem Hierusalem, & multorum millium angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & judicem omnium DEUM, & Spiritus justorum perfectorum, & Testamenti novi Mediatorem Jesum, & sanguinis adspersionem meliùs loquentem quàm Abel.* ex *Ebr. cap. 12. v. 22, 23, 24.* Oves quæ non circumcisæ & per illam DEO confœderatæ, sed baptizatæ & lotæ, ut gloriari possint cum *Paulo: Circumcisi estis circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem Operationis DEI, qui suscitavit illum à mortuis. Col. 2. v. 11, 12.* Oves, quæ non admissæ ad Pascha V. T. sed N., ut gloriari possint cum *Paulo: Pascha pro nobis immolatum est Christus.* ex *1. Cor. 5. v. 7.* Si quondam fuit insignis Pastor *David*, quia habuit gregem discretum à Domo Patris sui in Campo *1. Sam. 16. v. 11.* quanto magis insignis, & latè patentis gregis Pastor est *Christus*, utpote, qui Oves habet discretas ab Ovili Ecclesiæ V. T. *& super gentes quoque constitutus*, ut *David* dicat: *surge Deus, judica terram; quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. Ps. 82. vers. 8.*

USUS I. DEHORT.

Si tam latè patentis gregis Pastor est Christus, caveamus, ne numero Ovium nosmetipsos eximamus, atque aggre-

gemus impuris hujus seculi hædis, *quibus fortitudo est lex injustitiæ: quod enim infirmum est, inutile invenitur.* quales describuntur *Sap. 2. vers. 11.* nè aliquando *collocemur ad sinistram ut hædi*, & audiamus illud: *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & ejus angelis. Matth. 25. vers. 32, 33, & 41.* Caveamus, ne ipsarum Ovium Numerum coarctemus & muti ò nosmetipsos per *odia & invidiam conficiamus*, quales describuntur *Gal. 5. v. 15.* ne aliquando excludamur cœlesti Ovili, & experiamur illud: *Non intrabit in eam aliquid immundum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in Libro Vitæ agni. Apoc. 21. vers. 26.* Caveamus, denique ne ad Ovile N. T. adducti nos exhibeamus contumaces & immemores nostræ adductionis, & Sacramenta contemptim habentes, quales describuntur *1. Corinth. 11. v. 20.* ne aliquando excludamur à pascuis cœlestibus & conjiciamur in illum locum, *qui est stagnum ignis.* de quo *Apoc. 20. v. 15.*

USUS II. ADHORT.

Si tam latè patentis gregis Pastor est Christus, studeamus, ut tanquam Oves illius unicè ad illum anhelemus, & dicamus: *Erravi, sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* ex *Psalm. 119. v. 176.* Studeamus, ut tanquam Oves aliæ magno cum numero, ubique & omni tempore in Ovili illius permaneamus, observantes illud: *Scitote, quoniam Dominus ipse est DEUS: ipse fecit nos & non ipsi nos: populus ejus, & oves pascuæ ejus. Psalm. 100. v. 2.* Denique studeamus, ut tanquam Oves quondam peregrinæ ab Ovili Ecclesiæ judaicæ nos gratos exhibeamus & reflectamus, ad monitum *Pauli: Memores estote, quòd aliquando vos gentes eratis in carne, qui dicebamini præputium ab eâ, quæ dicitur circumcisio in carne facta manu; quòd eratis in illo tempore sine Christo, alienati à republicâ Israël, & hospites Testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine DEO in hoc mundo. Eph. 2. v. 11, 12.*

USUS

USUS III. CONSOL.

SI tàm latè patentis gregis Paſtor eſt Chriſtus, bono ſint animo, qui hunc Paſtorem agnoſcunt, *diligunt & ſequuntur*, tanquam *Oves illius Joh. 10. v. 27.* Si quondam fuimus *Oves errabundæ, & unusquisque in ſuam viam declinavit.* ſecundum illud *Eſaiæ 53. v. 6.* novimus nos jam eſſe Oves in rectam viam reductas à Salvatore & paſtore animarum & collectas, ut verè *Petrus* dixerit: *Eratis ſicut Oves errantes: ſed converſi eſtis nunc ad paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum. 1. Petr. 2. v. 25.* ſi quondam fuimus alienæ Oves, *Orco devotæ*, quales deſcribuntur *Pſalm. 49. v. 15.* novimus nos jam eſſe ex orco ereptas per ſanguinem N. T. Paſtoris noſtri, ut verè dixerit: *Tu in ſangùine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Zachariæ cap. 9. v. 11.* Si denique fuimus Oves diſcretæ ab Eccleſiâ quondam *judaicâ*, ſecundum illud: *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſraël. Matth. 15. verſ. 24.* novimus jam *parietem intergerinum eſſe ruptum*, nosque habere *Chriſtum* Paſtorem, qui *nos ſuſceperit in humeros ſuos Lucæ 15. v. 5.* qui deſideret nos fovere ab initiis vitæ noſtræ, juxta illud: *Sicut paſtor gregem ſuum paſcit in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinum ſuum levabit, lactantes ducet. Eſaiæ 40. verſ. 11.* qui nos paſcere velit, ut confidenter dicamus: *Dominus eſt paſtor meus, & nihil mihi deerit; in paſcuis herbuſis cubare facit me. Ad aquas refectionis ducit me, animam meam convertit, deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ, propter nomen ſuum.* ex *Pſalm. 23. v. 1, 2, 3.* AMEN.

DOMI-

DOMINICA JUBILATE, JOH. XVI. ℣. 22.

Καὶ ὑμεῖς οὖν λύπην μὲν νῦν ἔχετε· πάλιν δὲ ὄψομαι ὑμᾶς, καὶ χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία, καὶ τὴν χαρὰν ὑμῶν οὐδεὶς αἴρει ἀφ' ὑμῶν.

Et vos igitur nunc quidem mœrorem habetis, sed iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

LÆta quondam fuit manifestatio, quæ contigit Senioribus Israelis, dum scil. viderunt cum Mose, Aharone, Nadab & Abihu DEUM Israelis, sub cujus pedibus opus lapidis sapphirini, quasi cœlum, cùm serenum est. de quo *Exod. 24. v. 10.* Læta fuit hæc apparitio; ostendit enim se DEUS Israelis præsentibus. Accesserant hi *Seniores*, aliquantulum Montem conscenderant & Cœlo sese admoverant, quapropter apparet ille, qui est in Cœlo, & quidem sub formâ aliqua visibili, reficit eam suâ præsentiâ & majestaticè se exhibet, ita, ut sub ipso species fuerit alicujus lapidis sapphirini & Cœli, cum sudum est, planè ut se ostendit postea consimiliter *Ezechieli*, de quo *Ezech. 1. v. 26.* Læta fuit hæc apparitio, ostendit enim DEUS Israelis sese Senioribus populi. Erant illi quondam timidi, tristes & angustiâ pressi in *Ægypto*, reputabant illos pro vilissimis *Ægyptii*, premebant oneribus, & vitæ tædium ingenerabant, quare etiam ille Sapphirus habuit formam lateris secundum quosdam & LXX *Interpretes*; ostendit itaque sese DEUS illis, quos eduxit è fornace ferreâ, imò illis, qui audierant tonitrua, Sonum buccinæ, & terræ motum, atque fugerant propterea, *DEO Ingrediente per Desertum*, de quo *Psalm. 68. vers. 8, & 9.* Læta fuit hæc apparitio; viderunt enim Seniores DEUM Israelis iterum. Viderant eum descendentem, inter fumum & Nebulam in Igne super montem *Sinai*, & concussi in conscientiâ, perterrefacti animo ferè conciderant, ut nunc

fœdere

fœdere sanguinis, adeoque alio longè à legali sancito, vident eum descendentem ut hominem, cujus pedes oculis attingunt, nec ille mittit manum suam super illos, ut scil. percuteret, & illi morerentur, sed lætos dimittit ad tabernacula, ubi suaviter fuerunt convivati, ederunt & biberunt de reliquiis sacrificiorum, gratulantes sibi, quòd viderint illum DEUM, qui DEUS Patris *Jacobi*, eidem informâ humanâ apparuit & ipsum *Israel* vocavit, de quo gloriatus fuit ipse *Jacob* dicens: *Vidi dominum de facie ad faciem, & salva facta est anima mea. Gen. 32. vers. 30.* Quod quondam *Seniores Israel* viderunt, illud *Senioribus* totius Ecclesiæ Christianæ promittit *Salvator* dicens: *Iterum vos videbo*, de quibus Verbis σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

UT in Exordio Evangelii dixit *Christus: Pusillum me non videbitis, & pusillum iterum me videbitis*, ita circa finem dicit: *& vos iterum videbo*, adero vobis conspiciens & consipiciendus. In quibus Verbis observandum I. quid promittat. Promittit autem *Christus*, sese visurum esse. In græco occurrit vox ὄψομαι, quâ indicat, sese appariturum, manifestaturum se, & visurum esse; visurum se esse hilariter & cum gaudio, quemadmodum dicitur de *Scalâ cœli*, quòd illam visuri sint scil. cum gaudio illi, qui tum præsentes, atque hæc vox ita usurpatur *Joban. 1. v. 51.* visurum se esse salutariter & cum beatitudinis impertitione, quemadmodum dicitur de *piis*, quòd habituri vitam, de impiis verò, quod non sint visuri vitam, atque hæc vox ita usurpatur *Job. 3. v. 36.* visurum se esse majestaticè & in gloriâ, quemadmodum dicitur de *Marthâ*, quòd visura sit gloriam Domini, atque hæc vox ita usurpatur *Job. 11. v. 40.* II. Observandum quibus promittat; promittit autem Apostolis & Discipulis suis, qui hactenus perseverarant cum illo in afflictionibus variis, dicit ὄψομαι ὑμᾶς, qui timore & metu correpti ut Mulier, quæ circa *tempus partus timere solet Esaiæ 26. v. 17.* qui mœrore & tristitiâ circumfusi, ut Mulier prægnans, quæ præ *tristitia manus semori immittit Jeremiæ 30. v. 6.* qui denique dolore maximè animi cruciati, ut Mulier, quæ cum instat *pariendi Hora, dolores sentit Oseæ 13. v. 13.* III. Observandum quando promittat, promittit autem post exiguũ

tempus, & dicit πάλιν δὲ ὄψομαι ὑμᾶς, rursus videbo vos, nempe post meam mortem, sepulturam & glorioſam Reſurrectionem, *vivo enim & vos vivetis Joh. 14. v. 19.* in effuſione Spiritus, cùm ſcil. mittam illum deſuper, *& induam vos virtute ex alto, Lucæ 24. v. 49.* denique cùm vos penitus recepero in cœleſtem beatitudinem, oſtenſurus faciem meam vobis lucentem inſtar Solis, cujus proluſionem indulſi tribus ex ordine veſtro in *monte Thabor* ut *Petrus* dixerit: *Domine bonum eſt nos hîc eſſe. Si vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, & Moſi unum & Eliæ unum. Matth. 17. v. 4.*

L. D.

VIdemus, Quodnam ſit unicum Solatium, Gaudium & Refectio Chriſtianorum in hac miſerrimâ vitâ, nempe uno verbo Manifeſtatio ſeu Apparitio Salvatoris noſtri, quam tam veraciter & luculenter promiſit. Unicum Solatium Chriſtianorum eſt juxta explicata Apparitio Chriſti, I. ex Actus deſcriptione, quia eſt viſio quædam & viſitatio gratioſa & glorioſa Salutis noſtræ. Manifeſtabit enim illis ſeſe hilariter tanquam *Scala cœli*, ut ipſe dixit: *Ego ſum via, veritas & vita: nemo venit ad patrem, niſi per me. Joban. 14. v. 6.* Manifeſtabit illis ſeſe ſalutariter tanquam vita ſubſtantialis, ut ipſe dixit: *Ego ſum reſurrectio & vita; qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet. Joban. 11. v. 25.* Manifeſtabit ſeſe majeſtaticè tanquam *Domina gloriæ*, ut ipſe dixit: *Pater quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Joban. 17. v. 24.* Si quondam ſingulare Solatium fuit *Jacobitis*, quò *Joſeph* illos viderit, ſeſe manifeſtarit, quia ductarus illos in fertiliſſimam terram *Geſſen*, vivum ſe exhibuerit & *Dominum totius Ægypti Gen. 45. v. 4, & 5.* quantò magis unicum & ſingulare Solatium erit Chriſtianis Apparitio *Chriſti*, quia Scala ad cœlum, Vita & ille Dominus, qui *venturus in gloriâ. Matth. 25. v. 31.* Unicum Solatium Chriſtianorum eſt juxta explicata Apparitio *Chriſti* II. ex Subjecti Conditione, quia pii plerunque miſeri in hâc vitâ Terrentur illi ſæpius metu, ut conquerendum illis:

Timor

Timor & tremor venerunt super me, & obruit me terror. ex *Psalm. 55 v. 6.* circumfunduntur illi sæpius tristitiâ & mærore, ut conquerendum illis: *Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus.* ex *Psalm. 42. v. 10.* premuntur illi sæpius dolore, ut conquerendum illis: *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* ex *Psalm. 38. v. 18.* Si quondam singulare Solatium fuit *Hiskiæ* & civibus *Hierosolymæ*, quòd *Esaias* lætus sese exhibuerit, quia in maximâ miseriâ fuerunt, ut dictum fuerit: *dies tribulationis & increpationis, est blasphemiæ dies iste: venerunt filii usq; ad partum, & vires non habet parturiens. 2. Reg. 19. v. 3.* quantò magis unicum & singulare Solatium erit Christianis apparitio *Christi*, quia hîc sæpius ingemiscendum: *Vocem quasi parturientis audivi, angustias ut primogenitum enitentis: vox filiæ Sion querulantis, expandentisque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.* ex *Jeremiæ 4. v. 31.* Unicum Solatium Christianorum est juxta explicata Apparitio *Christi*, III. ex Temporis Extensione, quia se hîc incipit ostendere & plenè se exhibet in æternitate. Ostendit se primùm in Verbo post resurrectionem suam, tanquam *primitiæ dormientium*, ut *Paulus* dicat: *Nunc Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. 1. Corinth. 15, v. 20.* ostendit se deinde in Cordibus piorum per Spiritus Effusionem, ut *Paulus* dicat: *Nos omnes revelatâ facie gloriam Domini tanquam in Speculo recipientes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domino Spiritu. 2 Corinth. 3. v. 18.* ostendit se tandem consummatè in Beatitudine æternâ, ut *Paulus* dicat: *Videmus nunc per Speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. 1. Corinth. 13. v. 12.* Si quondam singulare Solatium fuit *Israelitis*, quòd *Moses* rursus illos viderit & invisserit, quia per quadraginta annos absens & venit quasi ex mortuis suscitatus, animum & Spiritus addens, ducensque ex servitute in Libertatem *Exod. 4. v. 31.* quantò magis unicum & singulare Solatium erit Christianis Apparitio *Christi*, quia rursum videbit nos, atque complebit id, quod Angeli illi dicunt: *Hic Jesus, qui assumtus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Act. 1. v. 11.*

USUS I. DEHORT.

SI unicum Solatium, Gaudium & Refectio Christianorum Apparitio Salvatoris nostri, absque solatio erunt omnes & singuli illi, qui vident *Christum* tantùm ut infirmum & dicunt: *Videmus & non erat aspectus, ita ut ipso delectari potuerimus. Esaiæ 53. v. 2.* experientur illi aliquando id, quod damnati, & dicent *montibus & petris: cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super Thronum, & ab irâ agni, quoniam venit dies magnus iræ ejus, & quis poterit stare?* ex *Apoc. 6. v. 16, 17.* absque solatio erunt omnes & singuli, qui in hâc vitâ pro timore, mœrore & dolore gaudia quærunt, *tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos. Job 21. v. 12, & 13.* experientur illi aliquando & audient, quod dictum *Epuloni: Fili, recordare, quia bona tua recepisti in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala: nunc autem hîc consolatur, tu verò cruciaris. Luc. 16. v. 25.* absq; solatio erunt omnes & singuli, qui in hoc mundo non sperant reditum *Christi*, negantque quòd iterum possit aut velit videre, & dicunt: *Extinctum cinis erit Corpus nostrum, & Spiritus diffundetur tanquam mollis aër, & transit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis solis, & à colore illius aggravata. Sap. 2. v. 3.* experientur illi aliquando & verificabitur in eis illud: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se omnes tribus Terræ. Apoc. 1. v. 7.*

USUS II. ADHORT.

SI unicum Solatium, Gaudium & Refectio Christianorum Apparitio Salvatoris nostri, omnes & singuli firmiter credamus Christum appariturum, conspecturum nos, & vicissim nos illum, dicentes: *Ego in justitiâ videbo faciem tuam, satiabor, cùm excitatus fuero, imagine tuâ.* ex *Psalm. 17. v. 16.* omnes & singuli, si mœror & dolor premat, DEUM rogemus & dicamus: *Domine Deus exercituum converte nos; illumina faciem tuam, & salvi erimus,*

erimus, ex *Psalm. 80. v. 20.* denique omnes & singuli ad illam revisionem *Salvatoris nostri*, & reditum anhelemus, suspiremus & dicamus: *Sicut rugit cervus ad rivos aquarum, ita rugit anima mea ad te Deus: sitivit anima mea ad DEUM vivum, quando veniam & apparebo ante faciem DEI.* ex *Psalm. 42. v. 2, & 3.*

USUS III. CONSOL.

SI unicum Solatium, Gaudium & Refectio Christianorum Apparitio Salvatoris nostri, beati & felices erunt omnes & singuli, quotquot vident, quod *viderunt oculi Apostolorum & vident Luc. 10. v. 23.* Si videatur *Christum* non conspectum indulgere, non videre nos & dicendum: *Ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* ex *Cant. 2. vers. 9.* novimus illum visurum, & tanquam Scalam Cœli facturum, ut *in occursum illius rapiamur 1. Thess. 4. v. 17.* visurum & tanquam vitam vivificaturum *Sap. 5. v. 16.* visurum & tanquam *dominum gloriæ glorificaturum 1. Corinth. 15. v. 43.* si vita Christianorum inprimis misera, ut dicendum: *ô mors, quàm amara est memoria tua homini, pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cujus viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum.* ex *Syrac. 41. v. 1, & 2.* novimus timorem tollere *Christum*, & dicere: *In mundo pressuram habebitis; sed confidite: Ego vici Mundum. Joan. 16. v. 33.* mœrorem mutare & dicere: *Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini, ecce servi mei jubilabunt præexultatione cordis, & præ contritione Spiritus ululabitis* ex *Esaiæ 65. v. 14.* dolorem excludere & dicere: *se Absterşurum omnes lachrymas, ab oculis eorum, ut mors amplius non sit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, & dicere: Ecce nova facio omnia Apoc. 21, v. 4, & 5.* si denique hic ambulamus *per fidem & non per speciem 2. Cor. 5. v. 7.* novimus visurum iterum nos *Salvatorem nostrum absque velo Esaiæ 25. v. 7.* visurum nos *cum Spiritu Apoc. 22. v. 1.* visurum nos æternùm, secundum illud *Johannis: Charissimi nunc filii DEI sumus; & nondum apparuit quod erimus: scimus autem, quoniam, cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, 1. Epist. 3. v. 2.* AMEN, AMEN.

DOMINICA CANTATE, JOH. XVI. ℣. 13.

Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

Cùm autem venerit ille qui est Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur, & quæ futura sunt, annunciabit vobis.

Singularis quondam & admirandus Ductus fuit filiorum Israelis, dum scil. columna Nubis & Ignis viam ipsis monstravit in deserto ad terram Canaan, de quo *Exodi 13. v. 21. 22.* Singularis & admirandus ductus fuit filiorum Israelis, descendit enim super eos Columna Nubis & Ignis. Erat hæc Columna admirabiliter emicans, demiserat sese ex supernis, atque partim lucebat instar ignis, partim instar Nubis sese motitabat, atque ita *Israelitas* ducebat, ut *David* dicat: *Expandit nubem in velum eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem Psalm. 105. v. 39.* Singularis & admirandus ductus fuit filiorum Israelis; demisit enim sese in illâ Columnâ ipse DEUS. Erat hæc Columna non nubes aut ignis tantùm, sed unà Symbolum præsentiæ divinæ, in quâ non tantum DEUS Pater, qui hunc populum adoptavit, nec tantùm filius DEI, qui liberavit illos & in tempore assumptâ carne in illâ sanguinem fusurus, sed Spiritus S., qui Ecclesiæ præses, illosque donis suis instruxit, direxit & duxit, unde etiam *Esaias* diserte: *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis secundùm miserationem suam, & secundùm multitudinem misericordiarum suarum: & dixit: veruntamen populus meus est, filii non falsi, & factus est eis Salvator, in omni tribulatione eorum*

tribu-

tribulatio fuit ipsi, & Angelus facili ejus Salvavit ipsos: im dilectione suâ & in indulgentiâ suâ redemit eos, & portavit eos & sustinuit eos cunctis diebus seculi: ipsi autem ad iracundiam provocârunt, & afflixerunt Spiritum sanctum ejus; & conversus est eis in inimicum & debellavit eos. cap. 63. v. 7, 8, 9, 10. Singularis & admirandus ductus fuit filiorum Israelis; duxit enim suaviter & blandè DEVS in hac columna. Erat hæc columna in die Nubes, quæ irrorabat, & illustrabat, obumbrabat & tegebat populum; erat noctu Lux quædam ignea, quæ fulgebat, radiabat, & illustrabat, atque ita viam ostendebat in deserto horrido saxis & dumetis pleno, per quod deducebantur foti à DEO & servati, defensi ab hostibus & probè custoditi, ut *David* eò respiciens quoque dicat: *Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Mosis & Aaron. Psalm. 77. v. 21.* Non tam singularis ille fuit quondam *Ductus*, æquè commodum, admirandum & illustrem *Christus* promittit in Verbis prælectis, de quibus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

DIxerat *Christus*: se *plura habere, quæ dicat Apostolis, verùm illos non posse ea portare nunc*; ne itaque relinquat suspensos, dicit addendo: *Quum autem venerit Spiritus ille veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur, & quæ futura sunt, annunciabit vobis.* In quibus Verbis observandum I. Tempus, quando scil. accepturi hoc Beneficium, dicit autem, cùm venerit scil. demissus ex alto, visibiliter in formâ scil. visibili, & igneâ de quo *Actor. 2. v. 3.* copiosè & multis magnisque donis instructus, de quibus *Paulus 1. Corinth. 12. v. 4.* nec non in singulari efficaciâ adeoque salutariter & potenter, quod Symbolo *venti adumbratum Actor. 2. vers. 2.* Observandum II. Persona, quæ scil. Officium suum præstitura, dicit autem cùm venerit ἐκεῖνος ille & confestim explicat, quis ille, nempe πνεῦμα τῆς ἀληθείας, & intelligit tertiam personam Deitatis, eamque vocat Spiritum Veritatis, quia est verus & essentialis cum Patre & Filio DEUS, quipropterea *dicitur esse in DEO 1. Corinth. 2. v. 11.* quia *procedit à patre & Filio*

& Filio, quorum utrique competit primæ Veritatis Nomen & titulus *Christo* semetipsum ita describente *Johan. 14. v. 6.* quia denique non tantùm stabilis & invariabilis, sed & longè alterius conditionis quàm Spiritus mundi & Diabolus verax, in dictis & factis, & propterea dicitur Spiritus veritatis, qui scil. *testatur de Christo Joh. 15, vers. 26.* Observandum III. quemnam actum editurus, quid facturus ille Spiritus. Dicit autem Christus; *ille ducet vos.* In græco occurrit vox notabilis ὁδηγήσει, quâ innuitur illum ducturum manu quasi in viâ, atque indicatur talis ductus, qualem præstat Pastor *Oviculis* suis, juxta illud *Psalm. 77. v. 21.* talis ductus, qualem præstat *Mater* parvulo, juxta illud *Exodi 15. v. 13.* talis ductus, qualem præstat *Magister discipulo*, juxta illud *Ps. 25. v. 9.*

L. D.

VIdemus, Quis verus & fidelis Dux in Viâ hujus vitæ ad Beatitudinem æternam, nempe uno Verbo Spiritus Sanctus. Verus & fidelis Dux ad vitam æternam est Spiritus Sanctus I. ex singulari illius demissione, missus enim est de Cœlo tempore divinitùs constituto; hunc in finem missus est invisibiliter in Igne, adeoque impletum illud Christi: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur. Lucæ 12. v. 49.* missus est copiosè instar alicujus pluviæ aut aquæ, adeoque impletum illud Messiæ: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Joelis 2. v. 28.* missus est efficaciter & salutariter, tanquam Ventus penetrans & salutaris, adeoque impletum illud Domini: *Non in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar: quia Spiritus à facie meâ operiet & flatus ego faciam. Esaiæ 57. v. 16.* Ut quondam *Lothum* feliciter duxit *Angelus*, utpote à Cœlo ad ipsum missus eâ de causâ *Gen. 19. v. 15.* ita *Spiritus sanctus* verus & fidelis Dux est multo magis in viâ seculi ad Beatitudinem, quia tam majestaticè missus est & venit de Cœlo, juxta *promissum Christi: Ecce ego mittam promissum patris mei in vos; vos autem sedete in civitate Hierusalem, quousque induamini virtute ex alto.*

Lucæ

Luc. 24. *v.* 49. Dux ad vitam æternam est Spiritus Sanctus II. ex singulari illius Descriptione. Dicitur enim Spiritus Veritatis, quia omni modo & eminenter verus est. Verus ratione Essentiæ, juxta illud: *Tres sunt, qui Testimonium dant in cœlo; Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* 1. *Johan.* 5. *vers.* 7. verus ratione personæ, & dimanationis à Patre & Filio, juxta illud: *Ostendit mihi fluvium purũ aquæ vivæ, splendidum tanquam chrystallum, procedentem de sede Dei & Agni. Apoc* 22. *v.* 1. verus deniq; ratione Officii, juxta illud: *Spiritus testatur, quòd Spiritus sit veritas.* 1. *Joh.* 5. *v.* 6. Ut quondam *Jacobum* feliciter reduxit *Angelorum* Ordo in Patriam, quia veri fuerunt, Spititus boni, malis oppositi, de quo *Gen.* 32. *v.* 1, & 2. ita *Spiritus sanctus* verus & fidelis Dux est multò magis in Via seculi ad Beatitudinem, quia Spiritus est veritatis, de quo *Paulus: Nos non Spiritum hujus Mundi accepimus, Spiritum qui ex DEO est, ut sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis.* 1. *Corinth.* 2. *v.* 12. Dux ad vitam æternam est Spiritus Sanctus III. ex singulari illius directione, ducit enim nos tanquam Pastor suas oviculas, ut verè dici possit de ipso quod *David: Dominus est Pastor meus, & nihil mihi deerit; in pascuis herbosis cubare facit me; ad aquas refectionis ducit me, animam meam convertit; deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum. Psalm.* 23. *v.* 1, 2, 3. ducit nos tanquam Mater infantulum suum, ut verè de ipso quoque dici possit: *Hic est Deus noster, Deus in æternum, & in seculum seculi, & ipse ducet nos usque ad mortem. Psalm.* 48. *v.* 15. ducit denique nos tanquam Magister discipulum, ut verè de ipso quoque dici possit: *Viam mandatorum tuorum curram, cùm dilataveris cor meum.* ex *Psalm.* 119. *v.* 32. Ut quondam *Tobiam* feliciter duxit *Angelus*, quia direxit eum, ita ut non impegerit, humaniter & blandè cum illo egerit, juxta promissum: *ego ducam & reducam eum ad te. Tob.* 5. *v.* 22. ita Spiritus S. verus & fidelis Dux est multò magis in Viâ seculi ad Beatitudinem, quia ducit tã pastoraliter, maternè & fideliter, juxta promissum illud *Christi*: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit. Joh.* 14. *v.* 16, 17.

USUS I. DEHORT.

SI Spiritus S. verus & fidelis Dux in viâ ad Beatitudinem æternam, deviant omnes & finguli, qui hunc Ducem non fequuntur; deviant, qui non fequuntur hunc Ducem, *Hypocritæ, habentes fpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* de quibus *Paulus 2. Tim. 3. v. 5.* unde etiam illos nihil expectat, quàm excidium impii, *qui non firmus erit, fruftra errore deceptus, quia vanitas erit præmium ejus: antequam dies ejus impleantur, peribit, ramus ejus non virefcet, violenter decerpetur, quafi botrus vineæ immaturus, & quafi oliva projiciens florem fuum.* de quo *Job. 15. v. 31, 32, 33.* deviant qui non fequuntur hunc ducem Veritatis, *Hæretici, qui derelinquentes viam rectam erravêrunt, fecuti viam Bileam filii Bofor, qui mercedem iniquitatis amavit.* de quibus *Petrus 2. Epiftola cap. 2. verf. 15.* unde illos nihil expectat, quàm *fovea*, in quam *cum fuis incidunt*, de quâ *Chriftus: Nunquid poteft cæcus cæcum ducere nonne ambo in foveam cadent? Luc. 6. v. 39.* deviant, qui non fequutur hunc ducem, tam blandè dicentem *Epicuræi, qui inimici crucis Chrifti, quorum finis interitus; quorum Deus venter eft, & gloria in confufione ipforum.* de quibus *Paulus Philip. 3. v. 18, 19.* unde illos nihil expectat quàm ejulatus, mœror & pœnitentia incurfura, ut dicturi fint: *erravimus à viâ veritatis, & juftitiæ lumen non luxit nobis, & fol intelligentiæ non eft ortus nobis; laffati fumus in viâ Iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus, quid nobis profuit fuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? tranfierunt omnia illa, tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens.* de quo *Philo Sap. 5. v. 6, 7, 8, 9.*

USUS II. ADHORT.

SI Spiritus S. verus & fidelis Dux in Viâ ad Beatitudinem æternam, ftudeamus, ut petamus illius demiffionem per Verbum in corda noftra, & dicamus: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipfa me deducant & adducant in montem fanctum tuum, & in*

& in tabernacula tua. ex *Pſ. 43. v. 3.* Studeamus, ut ſubmittamus nos huic Spiritui veritatis, petamus & dicamus: *Spiritus tuus bonus deducet me in terrâ rectâ, propter nomen Domine vivificabis me in æquitate tuâ.* ex *Pſ. 143. v. 11.* Denique ſtudeamus, ut petamus illius ductum conſtantem per gratiam & dicamus: *Redde mihi lætitiam ſalutis tuæ, & Spiritu Spontaneo confirma me.* ex *Pſalm. 51. v. 14.*

USUS III. CONSOL.

SI Spiritus S. verus & fidelis Dux in Viâ ad Beatitudinem æternam, bono ſint animo, qui *Spirituales* talesque quales deſcribuntur *1. Corinth. 2. v. 15.* Si vocet *Spiritus carnis* noſtræ ad vias *Achitophelicas* aſtutiæ, & dicat: *quid faciam quo eam?* ex *Sam. 16. v. 20.* novimus illum non eſſe cælitùs ortum, aut miſſum ſed ex inferis, juxta illud *Jacobi: Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem. cap. 1. v. 15.* ſi vocet nos *Spiritus* ater *Diabolus*, ad vias mendacii, tanquam *Pater mendacii, qui in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo.* de quo *Job. 8. verſ. 44.* novimus illum non eſſe Spiritum veritatis, adeoque fugiendum, probèque illud obſervandum: *Clariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate Spiritus ſi ex DEO ſint, quoniam multi Pſeudo-prophetæ exierunt in mundum. 1. Joh. 4. verſ. 1.* Chriſtum etiam intercedere pro nobis, ut Spiritus veritatis nobis detur, efficacem eſſe illius orationem, cum dixit: *Sanctifica eos in veritate tuâ: ſermo tuus veritas eſt. Johan. 17. v. 17.* ſi denique nos vocet *Spiritus Mundi* ad latam & ſpatioſam viam illam, *quæ ducit ad perditionem, & multi ſint, qui intrant eam.* de quâ *Matth. 7. verſ 13,* novimus Spiritum S. ducere, tanquam *paſtorem* & inſinuare illud *Chriſti: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ. Joh. 20. v. 27, 28.* ducere tanquam Matrem & inſinuare illud Meſſiæ: *quomodo ſi cui mater blandiatur, ita Ego conſolabor vos, & in Jeruſalem conſolabimini. Eſaiæ 66. verſ. 13.* ducere tanquam Magiſtrum & inſinuare illud *Chriſti: Ego ſum Lux Mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit*

bebit lumen vitæ. Joh. 8. verſ. 12. uſque dum conſequamur metam Beatitudinis, AMEN, AMEN.

DOMINICA VOCEM JUCUNDITATIS, JOH. XVI. ℣ſ. 29.

Νῦν οἴδαμεν, ὅτι οἶδας πάντα, καὶ οὐ χρείαν ἔχεις ἵνα τίς σε ἐρωτᾷ· ἐν τούτῳ πιστεύομεν, ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθες.

Nunc ſcimus, quòd ſcis omnia, nec opus eſt tibi, ut quis te interroget: per hoc credimus quòd à DEO exiſti.

NOn contemnendæ, ſed admirandæ potiùs perſpicaciæ fuit quondam Eliſæ, vir DEI propheta domini; vidit enim, quæ Giezi in Corde volvit, clarè illa intellexit & proſpexit etiam in remota, de quo 2. *Reg. 5. v. 26.* Admirandæ fuit perſpicaciæ Eliſæ, quia vidit illa, quæ Giezi in corde ſuo volvit, atque revolvit. Erat hic *Giezi* famulus hujus prophetæ, qui probè noverat, quanti eſſet apud DEUM magiſter ſuus, nihilominus cùm abreptus pravis cogitationibus & affectu præpoſtero inhiat lucro, utut putaverit non manifeſtandum illud *Eliſæ*, peccat, quod ipſe *Eliſa* ex revelatione divinâ videt, tanquam propheta Domini, qui non ſine elegantiâ *videntes* dicti in populo DEI, ut conſtat ex *1. Sam. 9. verſ. 9.* Admirandæ fuit perſpicaciæ Eliſa, quia vidit illa, quæ Giezi machinabatur, verè, clarè & perſpicuè. Habebat aliàs hic propheta Intellectum ſatis perſpicacem naturaliter; verùm cum aliquid molitur *Giezi*, quod aliàs hominum oculos effugit, DEUS illud eidem manifeſtat, & quidem lumine peculiari affuſo, ut in illo & vi illius perſpiciat clarè & diſtinctè geſta tanquam illuminatus, ab illo DEO, *qui lux eſt & tenebræ non ſunt.* in quo *1. Epiſt. Johannes cap. 1. verſ. 5.* Admirandæ denique fuit perſpicaciæ Eliſa, quia vidit etiam remota.

Exper-

Expertus erat ille non tantùm, quæ acta inter se & *Naamanum*, non tantùm de præsenti animadvertit discessum, sed & cùm clam se subduxisset *Giezi*, atque remotus cum *Naamano* ageret, perspicit omnia illa ac si præsens ipse, & dicit: *annon ibat cor meum scil. quo tu iviſti?* annon ego Spiritu & mente tibi præsens fui, & quæ egisti intimè cognovi, DEO oculos Mentis aperiente, ut ambobus illis *aperuit*, de quo 2. *Reg. 6. v. 17.* Non *Elisa* sed Propheta magnus N. T. hic se sistit suis Discipulis, qui ipsimet fatentur, & dicunt de illo: *Nunc scimus, quòd omnia noſti*, de quo σὺ Θεῷ.

EXEGESIS.

DIxerant Apostoli quanquam paulò audacius justo: *Ecce nunc apertè loqueris, nec proverbium ullum dicis.* Pergunt itaque & dicunt: *Nunc scimus, quòd scias omnia, nec opus est tibi, ut quis te interroget: per hoc credimus quòd à Deo exiſti.* In quibusverbis observandum I. quòd dicant Apostoli, nunc scimus, in græco occurrit vox οἴδαμεν, scil. ex eo, quòd nostram interrogationem responso tuo prævenieris, nec opus sit tibi, ut quis te interroget, cùm antea ipsum Cor inspicias noverisque, quod voluerimus te interrogare *vers. 19.* adeoque probè *quid sit in homine Johan. 2. v. 25.* quòd dubitationibus hactenus nostris satisfeceris, scrupulos exemeris & mærorem temperâris, tanquam *Magister* noster & *Dominus*, ut *verè te hactenus appellavimus Johan. 13. v. 13* quòd affectus nostros intimè attigeris & gaudii cœlestis promissione erigere & fulcire egregiè volueris, & quidem nunc nos habere *tristitiam* demonstraveris, sed illam in *lætitiam transituram* esse promiseris, quod mæstos maximè afficit, quo quidem etiam respexerunt Verba *Johan. 14. vers. 1, & 2.* II. Obs. quòd dicãt Apostoli, nunc scimus, quòd scias. In græco est elegans allusio οἴδαμεν ὃτι οἶδας, per experientiam novimus, quòd scias, quæ vox usurpatur de *oculari inſpectione*, atque ita occurrit *Johan. 1. v 33, & 39.* de *certa & immotâ cognitione*, atque ita occurrit *Johan. 2. v. 9.* quæ denique usurpatur de intimâ & *profundâ Intuitione*, atque ita occurrit *Job. 6. v. 6.* III. Obs. quòd dicant nunc scimus, quòd scis omnia. Quidam existimant esse hæc

Verba restringenda tantùm ad illa, de quibus *Christus* paulò ante locutus fuerat ad Apostolos; verùm commodiùs usurpatur hæc vox πᾶς illimitatè & universaliter, ita, ut Apostoli non tantùm agnoscant, *Christum* agnoscere & scire omnia præterita, quæ scil. hactenus contigerunt tanquam ille, qui *in principio apud DEUM Joban. 1. v. 1.* non tantùm omnia præsentia, tanquam *Lux mundi omnia collustrans Joban. 8. v. 12.* sed etiam omnia futura, adeoque absolutè omnia in quacunque temporis differentiâ, tanquam, *qui in Patre, & in quo Pater Job. 14. v. 10.*

L. D.

Videmus, Quæ qualis & quanta fuerit scientia Salvatoris nostri, non tantùm secundùm divinam sed etiam secundùm humanam Naturam, nempè uno Verbo maxima, sive infinita. Infinita est Scientia Salvatoris nostri I. ex cognitionis profunditate; novit enim Cor & Animum Apostolorum ipsismet testantibus, novit cogitationes cordis, ut verè dicit possit de eo: *Domine probâstime, cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam: intellexisti cogitationes meas de longe, iter meum, accubitum meum circumdedisti* ex *Psalm. 139. v. 1, & 2.* novit nostros Scrupulos Mentis, infirmitatem nostram, ut verè dici possit de eo: *ipse cognovit figmentum nostrum.* ex *Psalm. 103. v. 14.* novit nostros Affectus animi, & dirigit illos, fulcitque & confirmat, ut vere dici possit: *de cœlo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum: de præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram, qui finxit simul corda illorum, qui intelligit omnia opera eorum.* ex *Psalm. 33. vers. 13, 14, 15.* Novit quidem etiam *Jacobus* Cor *Labanis* soceri sui, sed non illud inspiciendo, sed ex indiciis deprehendendo, de quo *Gen. 31. vers. 5.* at longè alterius ordinis est Scientia *Salvatoris*, qui ipsum Cor etiam absque indiciis attingit & profundè cognoscit, ut *David* dicat: *Vides quoniam tu laborem & afflictionem consideras. Psalmo 10. v. 5.* Infinita est Scientia Salvatoris nostri II. ex Cognitionis Qualitate; cognoscit ille clarè perspicuè & oculariter, unde *Syracides*: *Omnia videt oculus illius: oculi*

oculi domini multò plus sunt lucidiores sole, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi & hominum corda intuentes in absconditas partes. cap. 23. v. 27, 28. cognoscit ille certò & infallibiliter, unde *David: Ecce non dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israelem Ps. 121. v. 4.* cognoscit intimè & perfectè, unde *Paulus: Nulla creatura est invisibilis in conspectu ejus; omnia nuda & aperta sunt oculis ejus Eb. 4. v. 13.* novit quidem etiam *Samuel* perspicuè, infallibiter & perfectè, sed non ex se sed, ex revelatione *1. Sam. 3. v. 17.* at longè alterius Ordinis est Scientia *Salvatoris*, qui infinito modo, oculariter infallibiliter & perfectissimè cognoscit, de quo *Daniel: Ipse revelat profunda & abscondita: & novit in tenebris constituta & lux cum eo est. cap. 2. v. 22.* Infinita est Scientia Salvator nostri III. ex Cognitionis quantitate, quia se extendit ad omnia; novit ille omnia præterita, qui ipse dicit: *Ego sum dominus & absque me non est salvator. Ego annunciavi & salvavi, auditum feci, & non fuit in vobis alienus: vos testes mei dicit Dominus & ego Deus. Esaiæ 43. vers. 11, & 12.* novit ille omnia præsentia, de quo *David: Intellexisti cogitationis meas de longè, iter & accubitum meum circumdedisti: & omnes vias prævidisti; quia non est sermo in linguâ meâ, ecce domine tu cognovisti omnia, posterius & prius finxisti in me, & posuisti super me manum tuam, dixi: forsitan tenebræ tegent me, & nox illuminatio pro me; etiam tenebræ non obscurabunt à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus, tu possedisti renes meos, protexisti me in utero matris meæ. Psalm. 139. v. 3, 4, 6, 11, 12, 13.* novit ille omnia futura, & ipse dicit: *Quis annunciavit ab exordio, ut sciamus? & à principio ut dicamus, justus es: non est neque annuncians, neque prædicens, neque audiens sermones vestros. Esaiæ 41. vers. 26.* Novit quidem *Solomon* unum & alterum, sed non omnia *1. Reg. 4. v. 29. & seq.* at longè alterius ordinis est Scientia *Salvatoris*, qui omnia novit, ut *Paulus* dicat: *In Christo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Coloss. 2. v. 3.*

USUS I. DEHORT.

SI scientia Christi Salvatoris nostri est infinita, graviter peccant, qui putant illum non introspicere Cor, actus inter nos

nos & affectus nostros & dicunt: *Quid novit Deus, num, quod est in caligine, judicat? nubes latibulum ejus est, nec nostra considerat, & in circulo cœli obambulat.* ex *Jobi cap. 22. v. 13, & 14.* memores illi esse deberent illius: *Intelligite insipientes in populo, & quando tandem ô stulti sapietis? qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, nonne videbit? qui corripit gentes, non arguet? qui docet hominem scientiam. Psalm. 94. vers. 8, 9, 10.* Graviter peccant, qui putant illum non clarè, intensè, & perfectè cognoscere, & dicunt: *Unde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi, & virtutes, quæ per manus ejus efficiuntur? Marc. 6. v. 2.* memores illi deberent esse illius: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo novit filium nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi filius, & cui filius voluerit revelare Matth. 11. vers. 27.* Graviter peccant, qui putant illum non omnia videre & cognoscere præterita, præsentia & futura, & dicunt: *Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me; quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* ex *Syrac. 23. v. 26.* memores illi deberent, esse illius: *Væ, qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: quis videt nos, & quis novit nos? ô vos perversissimos homines, quasi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo: non feciſti me, & figmentum dicat fictori suo: non intelligis. Esaiæ 29. v. 15, 16.*

USUS II. ADHORT.

SI Scientia Christi Salvatoris nostri est infinita, studeamus, ut sincerè ambulemus coram illo, atque dicere possimus: *Scio Deus mi, quòd corda probes, simplicitatem diligas. 1. Paral. 29. v. 17.* Studeamus, ut illum tanquam talem *Messiam*, qui omnia penetrat clarè & distinctè, atque videt, agnoscamus *eum, cujus corpus quasi Sapphirus, & cujus facies velut species fulguris, & oculi ut lampas ardens, & brachia ejus & pedes sunt quasi species æris candentis.* qualis describitur *Dan. 10. v. 6.* Studeamus denique, ut rogemus ipsum, ut quotidiè magis magisque nobis revelet necessaria, & quæ alias novit, de præ dicemus dicentes: *ô altitudo divitiarum*

Sapien-

Sapientiæ, & scientiæ DEI, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus. ex *Rom. 11. v. 33.*

USUS II. ADHORT.

SI Scientia Chriſti Salvatoris noſtri eſt infinita, bono ſint animo, qui huic omniſcio ſeſe committunt & ſubmittunt, & cum *Petro* dicere poſſunt: *Domine tu omnia noſti, ſcis quia amo te.* ex *Joh. 21. v. 17.* Si neſciamus, quæ ſcienda & cordis etiam noſtri profunditas non ſit ſatis nobis nota, adeoque conquerendum: *Cogitationes mortalium infirmæ, & incertæ providentiæ noſtræ: corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, & difficile æſtimamus, quæ in terrâ ſunt, & quæ in conſpectu ſunt, invenimus cum labore; quæ autem in cœlis ſunt quis inveſtigabit? Sap. 9. v. 14, 15, 16.* novimus ipſum noviſſe cor noſtrum, & dicere: *Doloſum & ærumnoſum eſt cor hominis, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes, qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum. Jeremiæ 17. v. 9, & 10.* Si *omnis* noſtra *cognitio* in hac vitâ non evidens & clara, ſed obſcura adeoque conquerendum: *Palpavimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectavimus; impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui.* ex *Eſaiæ 59. v. 10:* novimus ipſum noſſe diſtinctè, clarè & perfectè, eſſe illum, *qui in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ſimilis filio Hominis, veſtitus podere, & præcinctus ad mammillas Zonâ aureâ: cujus caput & capilli ſunt candidi velut lana & tanquam nix. Apoc. 1. v. 13, & 14.* factorumque, ut & nos clarè agnoscamus aliquando, juxta illud: *Videmus nunc per Speculum in ænigmate; tunc autem de facie ad faciem; nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & ipſe cognitus ſum. 1. Corinth. 13. verſ. 12.* Si denique neſciamus omnia & proinde in neceſſitatibus, cruce & anguſtiis noſtris ſæpè media elúctandi nobis ſint abſcondita & incognita, adeoque conquerendum: *Deus noſter, ergò non judicabis eos? in nobis quidem non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos; 2. Paral. 20. v. 20.* novimus ipſum eſſe illum, qui cognoſcit præterita & dicit:

Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem audivi ejus, propter duritiam eorum, qui præsunt operibus. Exod. 3. v. 7. esse illum, qui novit præsentia, de quo *David* dicit: *Vides, quoniam tu laborem & afflictionem consideras Psalm. 10. v. 14.* esse illum qui cognoscit futura, & dicit: *Novi opera tua & fidem, & charitatem & ministerium, & patientiam tuam & Opera tua novissima plura prioribus. Apoc. 2. v. 19.* facturum ut aliquando post omnes calamitates, ipsum videamus, & æternum in ipso gaudeamus, AMEN, AMEN.

DOMINICA EXAUDI, JOH. XV. & XVI. ℣f. 2.

Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, ἀλλ' ἔρχεται ὥρα ἵνα πᾶς ὁ ἀποκτείνας ὑμᾶς, δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ.

Alienos à Synagogis facient vos, sed veniet tempus, ut quisquis interficiet vos, videatur cultum præstare Deo.

AUdax, sanguinis sitiens, & zelo plena fuit quondam Jezabel Regina Israelis, dum Prophetas fuit persequuta, Eliæ mortem comminata, ut etiam existimarit sese bonum & laudabile Opus ipsorum sublatione præstituram in Israele, de quo *1. Reg. 19 v. 2.* Audax, sanguinolenta & zelo plena fuit Jezabel hæc, quia desideravit tantùm perdere, occidere & trucidare. Erat hæc fœmina calidi Spiritus & iracundi animi, quapropter etiam sanguinem sitiebat, mortem unius & alterius desiderabat, adhibens partim, ut scopum sum consequeretur, Apostatas ex *Israele*, partim Ministros illos, quos secum è patria adduxerat in terram *Israelis*, & quidem luculentum truculenti animi & in cædes propensi indicium ostendit in *Nabotho*, quem curavit accusari, condemnari & occidi de quo *1. Reg. 21. v. 13.* Audax, sanguinolenta & zelo plena fuit Jezabel hæc, quia

quia omne odium & virus direxit & effundere conata fuit in Prophetas Domini. Erat hæc fœmina valde adverso animo veræ Religioni, & Ministris Jehovæ, quapropter illos oculo malo intuita, ut etiam *Achab* putârit esse *Eliam* Turbinem & dixerit: *Tune es qui Israelem perturbas*, ambo opinati fuerint ex odio profeciſſe, quòd cultum invideat *Baali*, & ipsum populum per tribus dispersum seducere, quæ Tyrannis ita perrexit, ut ipse *Elias* dixerit: *Filii Israel fœdus deseruerunt, altaria diruerunt & prophetas Gladio occiderunt & solus superſum & quærunt animam meam, ut auferant eam*. nec destitit usque dum in Cœlum receptus, de quo 2. *Reg.* 2. *v.* 11. Audax, sanguinolenta & zelo plena fuit Jezabel hæc, quia putavit se hæc facere ex singulari devotione, tanquam opus laudabile. Erat hæc fœmina filia *Eth-Baal*, quem *Diodorus Siculus Ithobalum* vocat, qui Rex fuit *Tsidonis*, Urbis antiquissimæ & insimul Sacerdos *Baalis*, quapropter ejusdem animi & sensus filia putavit, occidendo Prophetas domini, sese cultum præstare DEO, atque etiam dixit, postquam audivisset, quid egisset *Elias*: *Dii mihi faciant hoc & illud, nisi hâc horâ cras posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis.* unde quia præcipitare voluit Ministerium omne, DEUS tandem fecit, ut illa præcipitaretur sanguine conspergens Equos & parietem, contempta *caderet & conculcaretur* 2. *Reg.* 9. *v.* 33, 34. *Jezabel* mortua, sed mundus adhuc vivit illius Antitypus, qui eadem machinatur & molitur, ut *Christus* intima illius pernoscens pronunciat: *Veniet autem hora &c.* de quo σὺν θεῷ.

EXEGESIS.

NOn tantùm dixit *Salvator*, quòd Apostolos expectet Excommunicatio, sed & addit: *Imò veniet tempus, ut quisquis interficiet vos, videatur cultum præstare DEO.* Dicit 1. veniet tempus, ut quisquis interemerit, *in frusta diviserit*, ut quidam reddunt. In græco habetur vox ἀποκτείνας, quæ notat interfectionem, quæ à Summâ potestate decernitur, atque ita usurpatur de *Herode* interficiente *Johannem Matth.* 14. *v.* 5. quæ notat interfectionem, quæ à consanguineis & ejusdem gentis populo intenditur, atque ita usurpatur de

conjuratis Judæis, adversus *Paulum Actor. 23. v. 15.* quæ notat tandem interfectionem, quæ à *gentilibus* & profanis infertur, atque ita usurpatur de *gentilibus Christum* occidentibus *Lucæ 18. vers. 33.* II. Dicit veniet tempus, ut quisquis interemerit vos, qui estis mei Discipuli, Apostoli mittendi in universum Orbem, quos illi habebunt pro turbatoribus publicæ pacis, & dicturi: *Hi orbem concitant, & huc venerunt. Actor. 17. v. 6.* habituri pro Pseudo Prophetis, qui à vero DEO & Lege illius abducant ad peregrinum, & dicturi: *Nos audivimus eum dicentem verba blasphemiæ in Mosen & DEUM. Act. 6. v. 11.* habebunt pro *vanis hominibus & circumforaneis*, & dicturi: *Quid vult seminator verborum hic dicere? Actor. 17. v. 18.* III. Dicit veniet tempus, ut quisquis interemerit vos, putet se cultum præstare DEO, non tantùm nulla commiseratione erga vos afficientur, sed etiam optimè agere sese existimabunt, si vos interficiant & tollant. In græco textu occurrit vox λατρεία, quæ aliàs notat Obsequium DEO ad Verbi præscriptum præstitum, atque sic usurpatur *Rom. 9. v. 4.* notat cultum, quo servitur DEO, ministratur ad placitum, ut favor inde præsumatur illius, atque ita usurpatur *Ebr. 9. v. 1.* denique notat Sacrificium per destructionem hostiæ piacularis exhibitum, atque ita usurpatur *Rom. 12. v. 1.* adeoque summatim Salvator hoc vult: Veniet tempus brevi, ut quisquis interfecerit vos crudeliter & immisericorditer, cùm tamen Apostoli sitis, bono hominum emissi in omnem orbem, gratulaturus sibi sit de facto illo, existimaturus, sese præstare Obsequium DEO ad Verbi Normam, cultum sacrum exhibere in hoc ipso opere, & sacrificaturus victimam, adeoque impio sublato ita DEUM placaturus, planè ut istiusmodi phrasis occurrit *Exod. 32. v. 29.*

L. D.

VIdemus, Quantum Cæcitas perversa filiorum seculi increscere & augeri soleat circa persecutionem Ministerii sacri. Hoc docet Christus in Verbis explicatis dicens: *Veniet tempus, ut quisquis interficiet vos, videatur cultum præstare DEO.* Increscere solet Cæcitas perversa filiorum seculi, juxta explicata

plicata I. ex Interfectionis Atrocitate, quia Hostes illorum progrediuntur usque ad Interfectionem, conspirant in necem illorum Reges & Superiores, ut dicendum: *Adstiterunt reges terræ, & principes consultant simul, adversus Dominum & adversus Christum ejus.* ex *Psalm.* 2. *v.* 2. conspirant in necem illorum populares & consanguinei, ut dicendum: *Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversus me cogitabant mala mihi: res diabolica affligat eum, & cum jacuerit non amplius consurget. Etiam homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos, petit me calce.* ex *Psalm 41. vers. 8, 9, 10.* conspirant in necem illorum barbari & profani, ut dicendum: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Jerusalem in tumulos; abjecerunt cadavera servorum tuorum, escas volatilibus Cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ; effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Jerusalem, & non erat, qui sepeliret.* ex *Psalm. 79. v. 1, 2, 3.* Magna fuit cæcitas quondam *Saulis*, quòd ad mortem usque persecutus fuit *Abimelechum*, & dixit: *morieris*, Ministros adversus ipsum animavit & tandem *Doegum*, peregrinum & profanum eò permovit, de quo *1. Sam. 22. v. 16, 17, 18.* æque magna est cæcitas imò major *filiorum seculi*, dum progrediuntur ex Odio usque ad interfectionem citra omnem respectum, juxta illud *Christi: Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient. Matth. 10. v. 21.* Increscere solet Cæcitas perversa filiorum seculi juxta explicata II. ex Objecti Qualitate, quia illa vis dirigitur in Apostolos & eorum successores; habentur pro turbatoribus pacis, qui pacem & tranquillitatem conscientiæ annunciant & conferunt, de quibus *Esaias: Quàm pedes amabiles sunt super montes eorũ, qui evangelizant & prædicant pacem, annunciant bonũ. prædicant salutem, dicentes Sion: regnavit Deus tuus. c. 52. v. 7.* habẽtur pro Religionis falsæ Authoribus, qui verum DEUM in carne nostrâ ostendunt, de quibus *Esaias* ait, quòd *confortent manus dissolutas, & genua debilia roborent; dicentes pusillanimis: confortamini & nolite timere, ecce Deus vester ultor veniet, retribuens Dominus veniet, ipse salvabit vos. cap. 35. v. 3, & 4* habentur pro planis & seductoribus, qui ducunt in viam rectam ad beatitudinem æternam, de quibus *Esaias* dicit, quòd inge-

minent illud: *Hæc est via, ambulate in eâ, & non declinetis neque ad dextram, neque ad sinistram. cap. 30. v. 21.* Magna fuit cæcitas quondam *Joasi*, quòd ad Mortem usque persecutus fuit *Zachariam* filium *Jojadæ*, quasi turbarit Regnum, contra procerum Sententiam, Deos reprobarit receptos, & abducere populum voluerit ab illis, qui præerant 2. *Paral. 24. v. 22.* æque magna est Cæcitas, imò major *filiorum seculi*, dum progrediuntur ex odio usque ad Interfectionem etiam illorum, qui ipsorum Saluti sunt destinati, juxta illud *Christi: Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequimini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Matth. 23. v. 34, 35.* Increscere solet Cæcitas perversa filiorum seculi 111. ex Conceptus Pravitate, quâ sibi imaginantur adhuc benè se agere, & feliciter omnia expedire, existimant, se ita præstare obsequium DEO ad præscriptum Verbi, unde *Paulus* de illis: *Habent Speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegant. 2. Tim. 3. v. 5.* existimant se ita præstare cultum Deo maximè placentem, unde *Paulus* de illis: *Testimonium perhibeo illis, quòd æmulationem quidem DEI habent, sed non secundùm scientiam. Roman. 10. v. 2.* existimant se ita præstare DEO gratum, quo abolebitur omne peccatum & Calamitas, undè *Paulus* de illis, & opinione illorum super Apostolos: *tanquam purgamenta hujus Mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. 1. Corinth. 4. v. 13.* Magna fuit Cæcitas quondam *Zedekiæ* & aliorum principum & procerum, quòd ad mortem usque persecuti sunt *Jeremiam*, existimantium, se benè acturos utpote, qui locutus contra templum Domini, nec ea, quæ ad pacem faciunt, & proinde etiam quidam dixerunt: *Tollemus lignum in panem ejus, & exscindamus eum de terrâ viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. Jeremiæ 11. v. 19.* æquè magna est Cæcitas, imò major *filiorum seculi*, dum progreduuntur ex odio ad interfectionem, sub opinione Cultus & pietatis, juxta illud *Christi: Non est discipulus suprà magistrum, nec servus suprà Dominum: sufficit discipulo, ut sit*

sicut

ficut magister ejus, & servo sicut Dominus ejus, si patremfamiliâs Beelzebub vocavérunt, quantò magis domesticos ejus. Matth. 10. v. 24, 25.

USUS I. DEHORT.

SI Cæcitas perversa filiorum seculi ita increscit, caveamus, ne illi locum demus cum filiis seculi, atque pronos nos exhibeamus in illud Odium Interfectionis, dicentes: *Tolle de terrâ hujusmodi: non enim fas eum vivere.* ex *Actor. 22. v. 22.* memores illius, *quòd scil. tales ex diabolo, qui desideria patris sui volunt facere, qui homicida ab initio, & in veritate non stetit. Joan. 8. v. 44.* Caveamus, ne illi locum demus cum filiis seculi, atque pronos nos exhibeamus in odium Interfectionis contra Apostolos & ministros *Christi*, dicentes: *Si est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum; contumeliâ & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus & probemus patientiam ejus, morte turpissimâ condemnemus eum, erit enim ei respectus ex sermonibus illius.* ex *Sap. 2. v. 18, 19, 20.* memores illius: *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malè agere. Psalm. 105. v. 15.* Caveamus denique, ne illi locum demus cum filiis seculi, atque pronos nos exhibeamus in Odium Interfectionis Apostolorum & Ministrorum, sub specie Cultus & pietatis, dicentes: *Homo iste non cessat loqui verba blasphema adversus locum sanctum hunc & legem. Act. 6. v. 13.* memores illius: *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: & qui gladio occiderit, eum oportet gladio occidi. Apoc. 13. vers. 10,*

USUS II. ADHORT.

SI Cæcitas perversa filiorum seculi ita increscit, benè agunt, qui non occidere, sed submin stratione bonorum in Vitâ conservare student Ministros, juxta illud *Pauli: Communicet autem is, qui catechizatur in Verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis. nolite erra e: Deus non impunè irridetur, quæ enim seminaverit homo, hæc metet. Gal. 6. v. 6, & 7.* Benè agunt, qui non odio persequun-

sequuntur, sed Amore ministros ob ministerium, juxta illud: *Rogamus vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum, pacem habere cum illis. 1. Thess. 5. 12, 13.* Benè denique agunt, qui non prætextu pietatis illos devovere nituntur, sed hunc cultum præstant divinum, ut illos suscipiant, juxta illud *Pauli: Tentationem meam in carne meâ non sprevistis neque respuistis, sed sicut Angelum DEI, excepistis me, sicut Christum Jesum; quæ erat ergò beatitudo vestra, testimonium perhibeo vobis, quia si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Gal. 4. v. 14, 15.*

USUS III. CONSOL.

SI Cœcitas perversa filiorum seculi ita increscit, bono sint animo Ministri Ecclesiæ etiam intuentes in JESUM *Christum, Authorem & Consummatorem fidei Ebr. 12. v. 2.* Si ipsis etiam cottidiè immineat Interfectio, atque dicendum cum *Paulo: Quotidiè morior per vestram gloriam, quam habeo in Christo Jesu, Domino nostro, num secundùm hominem, ad bestias pugnavi Ephesi. 1. Cor. 15. v. 31, 32.* norunt se super *Reges judicaturos Psalm. 149. v. 7. & 8.* tales persecutores DEO displicere, & iram divinam jam ipsos apprehendisse, *ut permaneat super illos usque in finem. 1. Thess. 2. v. 15, 16.* visuros, se aliquando illum, qui *regit gentes in virgâ ferreâ Apoc. 19. v 15.* Si illi etiam censeantur turbatores, impii & plani, atque dicendum cum *Paulo: ut seductores habemur. ex 2. Corinth. 6. v. 8.* norunt se coram DEO esse Angelos pacis, quos expectent *domus pacis Esaiæ 32 v. 18.* esse se veræ Religionis & veri DEI ministros, quos expectet gloriosa ab impiis discretio *Malach. 3. v. 17.* esse sese Duces ad vitam æternam, quos expectet præmium æternum æternæ Beatitudinis, juxta illud *Christi: Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùs vos mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam nomina vestra sunt scripta in cœlis. Matth. 5. v. 11. & 12.* Si denique sub specie pietatis ipsis intentetur *supplicium*, atque instar victimarum sint, quibus cum *Paulo* dicendum σπένδομαι, *2. Timoth. 4. v. 6.* norunt,

runt se non dividendos à Christo, cui omne debetur Obsequium, & proinde dicere possunt: *Quis nos separabit à Charitate DEI? tribulatio an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est; quia propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis, sed in his omnibus longè vincimus propter eum, qui dilexit nos. certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate DEI, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Rom. 8. v. 35, 36, 37, 38, 39.* sese in cultu & ministerio illius fuisse sedulos, & proinde dicere possunt: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; in difficultates conjicimur, sed non desperamus: persecutionem patimur, sed non derelinquimur, humiliamur, sed non confundimur: dejicimur, sed non perimus, semper mortificationem Jesu in corpore circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. 2. Cor. 4. v. 8, 9, 10.* sese sacrificium esse DEO placens & coronandum, & proinde dicere possunt: *Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi. in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus. 2. Tim. 4. v. 7. & 8.* AMEN.

IN FESTO PENTECOSTES, JOH. XIV. ℣. 28.

Ἠκούσατε, ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν, Ὑπάγω, καὶ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς· εἰ ἠγαπᾶτέ με, ἐχάρητε ἄν, ὅτι εἶπον, Πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα· ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστι.

Audistis, quòd ego dixi vobis, Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utiq; quòd dixerim, Vado ad Patrem, quia Pater major me est.

INsigniter refecit quondam Moses Israelitas, dum ipsis annunciavit liberationem ex Ægypto, atque post exactum tempus in Midian ad illos rediit, de quo *Exodi 4. v. 28, 29, 30.* Insigni-

ter refecit Moſes Iſraelitas, quia ipſe quoque perſecutionem paſſus fuerat. Erat ille ſingulariter à DEO deſtinatus ad liberandum populum *Iſraeliticum*, quapropter cùm præluderet huic officio vindicando *Ebræum* ab *Ægyptio*, ſenſit iram Regis exardeſcere, imminere ſibi ſupplicium & propterea abire compulſus fuit, ſecedere à ſuis & ſeſe conferre in *Midian*, unde *Paulus* de eo: *Fide Moſes grandis factus negavit ſe eſſe filium Pharaonis filiæ: magis eligens affligi cum populo DEI, quàm temporalem peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauris Ægyptiorum, improperium Chriſti: adſpiciebat enim in remunerationem. Ebr. 11. v. 24. 25. 26.* Inſigniter refecit Moſes Iſraelitas, annunciavit enim liberationem preſſis, quibus nihil jucundius accidere poteſt. Erant illi in *Ægypto* ſub durâ & dirâ Tyrannide, ſentiebant ſeſe cottidiè magis magisq; affligi, premi & lateres duplicari, dominabatur *Pharao*, inſultabant miniſtri & Incolæ Regni, ipſum proprium cor quandoque languebat, usque in murmura ſeſe aperiebat, quapropter annunciatio de liberatione ipſis gratiſſima, ſuaviſſima & acceptiſſima, utpote expertis, quàm verum illud, quod DEUS quondam Patri illorum *Abrahamo* dixerat: *Scito præneſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terrâ non ſuâ, & ſubjicient eos ſervituti, & affligent eos quadringentis annis. Gen. 15. v. 13.* Inſigniter refecit Moſes Iſraelitas, quia ipſe rediit ad illos. Erat hic vir abſens per quadraginta annos, nihil de ipſo illi ſciebant vel curabant, nec putabant eundem rediturum eſſe, cùm autem tempus divinitus præſtitutum præſens, redit ille in *Ægyptum* ad ſuos, oſtendit ſeſe vivere & valere, victurum ſeſe divino auxilio *Pharaonem*, eluctaturum populum & DEO judicante inter *Ebræos* & *Ægyptios* factum, ut populus lætetur & triumpher, unde *David: Deduxiſti ſicut oves populum tuum in manu Moſis & Aaron. Pſalm 77. v. 21.* Ut quondam *Moſes* refecit *Iſraëlitas*, ita quoque & quidem longè illuſtrius & auguſtius ille, qui loquitur & dicit: *Audiſtis, quod ego dixi vobis, Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quòd dixerim, Vado ad Patrem, quia Pater major me eſt.* de quo σὺν Θεῷ.

EXE-

EXEGESIS.

UT omnia succo plena in ultimo hoc sermone *Christi*, ita quoque verba, quæ ipse repetiit, dum dixit: *Audivistis, quòd dixerim vobis, Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quòd dixerim, Vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Observandum autem I. Quis loquatur, & aliquid promittat. Promittit autem *Christus*, ille, qui in procinctu, ille qui dixit: *vado*, qui primum gressum fecit & pedem promovit in hortum, ibique non procul à *Gethsemane* loco torcularis pugnavit cum *Morte* æternâ sive *Diabolo* usque ad sanguinem destillantem in terram, de quo *Luc.* 22. *v.* 44, qui promovit pedem & ductus est in palatium, primùm quidem Pontificis, dein mane facto in Prætorium *Pilati*, atque ibidem flagellatus, cæsus, coronatus spinis, ut etiam dixerit *Pilatus* eundem producens: *Ecce homo Joh.* 19. *v.* 5. qui denique exiit *Hierosolymâ* crucem ferens, movit ad montem *Golgatha*, ibidem Spiritum emisit & commendavit Patri suo, corpore reposito in vicinum hortum, de quo *Matth.* 27. *v.* 50. & 60. II. Observandum, Quibus loquatur, quibus promittat. Promittit autem illis, qui jam perorantem audiverant, quibus jam antea hoc dixerat in solatium, nempe Apostolis suis, quos tum temporis *Diabolus* adoriri & sternere gestiebat, ut etiam ipse dixerit: *Ecce Satanas expetivit vos, ut vos cribraret sicut triticum. Luc.* 22. *v.* 31. quos tum temporis maximè Mundus odio habiturus, contempturus, persecuturus & irrisurus, ut paulò post dixerit: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Joh.* 16. *v.* 20. quos tum temporis maxim è Caro propria molestiis affectura, ut tandem dixerit ipse illis: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Matth.* 26 *v.* 41. III. Observandum, Quid locutus fuerit, quid promiserit; promisit autem reditum ob discessum illius perturbatis, mœstis Reditum, dixit enim: *Venio ad vos* scil. per Resurrectionem meam glorioſam, è mortuis enim resurgam, & vivum vobis me manifestabo, ut actu illud complevit *Luc.* 24. *v* 36. Venio ad vos per Spiritus S. copiosam effusionem, qui vos animabit & accendet tanquam *Spiritus Christi* juxta promissum *Joh.* 16.

v. 14. Venio ad vos tandem per gloriosam in cœlis apparitionem & vestram in gloriam cooptationem, ubi vos assumam, atque complebo illud: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Matth. 19. v. 28.*

L. D.

VIdemus, Quàm validum sit Solatium Evangelii, Verbi illius *quod est potentia ad Salutem omni credenti*, de quo *Paulus Roman. 1. vers. 16.* Validum est Solatium Evangelii I. Proponentis Dignitate. Exhibet enim illud Salvator noster, cujus *labia myrrham & rosas destillant Cant. 5. vers. 13.* Proponit illud ille, qui pro nobis abiit primùm in hortum & sanguinem ibidem pro nobis fudit, ut ipse dicat: *Torcular calcavi solus, & de populis non est vir mecum, calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in irâ meâ: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. Esaiæ 63. v. 2. & 3.* Proponit illud ille, qui pro nobis abiit in palatium *Pontificis* & prætorium *Pilati*, atque dira passus, colaphos & verbera pro nobis, ut ipse dicat: *Dorsum meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non abscondi à contumeliis, & conspuentibus in me. Esa. 50. v. 6.* Proponit illud ille, qui pro nobis abiit in mortem *Golgatha*, expiravit, crucifixus & sepultus est pro nobis, ut ipse dicat per os *Esaiæ cap. 53. v. 9. De angustia & de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum.* Validum quidem fuit Solatium Evangelii de liberatione ex *Babele Jeremiæ*, qui ipse dira & dura passus fuit, dum dixit: *Hæc dicit Dominus: cum completi fuerint in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum, ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis, ut dem vobis novissima & quæ exspectatis. cap. 29. v. 10. & 11.* At quid illud ad Solatium Evangelii N. T. quod Messias proponit? de quo *Paulus: Vivus est sermo DEI & efficax, & penetrans-*

netrantior quovis gladio ancipiti. Ebræor. 4. v. 15. Validum est Solatium Evangelii 11. excipientium Infirmitate, quorum *vita militia super terram Jobi 7. vers. 1.* Sumus enim omnes & singuli etiam obnoxii *Diaboli* tentationibus, & experimur sæpè, quàm verum illud *Petri: Adversarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens circumit, quærens quem devoret. 1. Epist. cap. 5. v. 8.* sumus omnes etiam & singuli obnoxii Mundi odio, & experimur sæpè, quàm verum illud *Christi: Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos Mundus. Joh. 15. v. 19.* sumus omnes etiam & singuli obnoxii propriæ carnis infirmitati & pravitati, & experimur sæpè quàm verum illud *Pauli: Caro concupiscit adversus Spiritum; Spiritus autem adversus carnem, hæc enim sibi mortem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis. Gal. 5. v. 17.* Validum quidem fuit Solatium Evangelii, quod annunciatum pressis Exercitu *Sennacheribi*, miseris & afflictis ab *Esaiâ 2. Reg. 19. v. 32, 33, 34.* At quid illud ad Solatium Evangelii N. T. quod *Messias* expressit dicens: *Unxit Dominus me, ad evangelizandum afflictis misit me, ad alligandum contritos corde, ad prædicandum captivis liberationem, & vinctis apertionem carceris, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis DEI nostri, ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem fortitudinem lugentibus Sion & darem eis ornatum pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro Spiritu mœroris, & vocabuntur in eâ arbores justitiæ plantatio Domini, ut glorificetur. Esaiæ 61. v. 1, 2, 3.* Validum denique est Solatium Evangelii 111. Promissi Qualitate, quod Adventus seu Reditus *Christi*, qui plenum Gaudii Argumentum *Joban. 16. v. 22.* Venit ille etiam ad nos adhuc tanquam *Victor mortis*, & dicit: *Habeo claves mortis & inferni. Apoc. 1. v. 18.* Venit ille etiam ad nos adhuc tanquam Dispensator Spiritus, & dicit: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, & Juvenes vestri visiones videbunt. Joel. 2. v. 28.* Veniet denique ille etiam ad nos tanquam Judex universæ Carnis, & dicit: *Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii, DEI, & qui audierint, vivent. Joban. 5. v. 26.* Validum quidem fuit Solatium Evangelii *Jebasielis* Prophetæ Domini, quod annunciavit de reditu victorioso ex pugnâ *Josaphati* Re-

gis & Judicis, de quo 2. *Paral.* 20. *v.* 15, 27, 28, 29. At quid illud ad Solatium Evangelii N. T. quod promittit Reditum *Salvatoris* non tantùm per Spiritum in hâc vitâ, sed & ad extremum Judicium, juxta illud: *Ecce in diebus illis & in tempore illo cùm convertero captivitatem Juda & Jerusalem, Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi, super populo meo, & hæreditate meâ Israel, quos dispersérunt in nationibus, & terram meam diviserunt. Joël.* 3. *v.* 1. & 2.

USUS I. DEHORT.

SI tam validum est Solatium Evangelii, peccant gravissimè, qui specie patientis & proponentis offenduntur, & dicunt: *Non est species ei neque decor & non erat aspectus, ita ut ipsum delectari potuerimus. Esaiæ* 53 *v.* 2. memores illi deberent esse, quod ipse dixit: *Lapidem, quem reprobavêrunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Psalm.* 118. *v.* 22. & 23. Peccant gravissimè, qui nolunt se agnoscere infirmos, obnoxios variis tentationibus, sed *quiescunt securè super fæces suas ut Moab*, de quo *Jeremiæ* 48. *v.* 11. memores illi deberent esse illius: *Erit in tempore illo: scrutabor Jerusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis: non faciet benè Dominus & non faciet malè. Zephan.* 1 *v.* 12. Peccant gravissimè, qui reditum Salvatoris nec desiderant, nec expectant & dicunt in corde suo: *Moram facit Dominus meus venire.* ex *Matth.* 24. *v.* 48. memores illi deberent esse illius *Pauli: Cùm dixerint: pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti & non effugient.* 1. *Thess.* 5. *v.* 3.

USUS II. ADHORT.

SI tam validum est Solatium Evangelii, studeamus omnes & singuli, ut excipiamus illud attento corde ex labiis *Salvatoris* nostri, de quo *Paulus: Unus Deus, unus & mediator DEI & hominum, homo Jesus Christus, qui dedit precium redemptionis semetipsum*

pro

pſum pro omnibus. 1. Timoth. 2. v. 5. & 6. Studeamus omnes & ſinguli, ut nobis preſſis, infirmis & tentatis illud applicemus, & dicamus: *Niſi quòd lex tua gaudium meum eſt, tunc periiſſem in afflictione meâ, in æternum non obliviſcar juſtificationes tuas: quia in ipſis vivificâſti me Pſalm. 119. v. 92. & 93.* Studeamus denique omnes & ſinguli, ut cum gaudio & corde probè parato deſideremus & expectemus reditum Domini, dicentes: *Etiam veni Domine Jeſu.* ex *Apoc. 22. v. 20.*

USUS III CONSOL.

SI tam validum eſt Solatium Evangelii, bono ſint animo, quibus illud adhuc hodiè proſtat in Eccleſiâ, quique ſemel illud *exceperunt, tanquam Verbum DEI 1. Theſſ. 2. v. 13.* Si affligat illos *Lex*, atque æternum maneat illud: *Maledictus, qui non permanet in ſermonibus hujus legis, nec eos opere perficit, & dicat omnis populus. Amen. Deut. 27. v. 26.* norunt prædicaſſe & annunciaſſe Evangelium *Salvatorem* noſtrum, qui paſſus pro nobis & paſſione ſuâ à maledictione redemit, juxta illud *Pauli: Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Gal. 3. v. 13, 14.* paſſione ſuâ in palatio & prætorio ſatisfecit Legi, juxta illud *Pauli: Perfectio legis eſt Chriſtus ad juſtitiam omni credenti. Rom. 10. verſ. 4.* qui paſſione ſuâ legem delevit, juxta illud *Pauli: Delendo chirographum quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci. Coloſſ 2 v. 14.* ſi affligat illos etiam *Diabolus, Mundus*, & propria *Caro*, atque dicendum: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis Rom. 7. v. 23.* norunt prædicaſſe & annunciaſſe Evangelium *Chriſtum* iſtiusmodi tentatis & mœrore preſſis, & viciſſe *diabolum & diſſolviſſe opera ejus. 1. Johan. 3. v. 8.* viciſſe *Mundum* & dixiſſe: *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite: Ego vici mundum Johan. 16. v. 33.* viciſſe *Carnem, & deſtruxiſſe corpus peccati ut ultrà non ſerviamus peccato. Rom. 6. v. 6, & 7.* ſi denique illos affligat *Mors*, atque æternùm maneat illud: *Perpetuum hæc fœdus eſt mortis, quòd morieris, & ſicut folium fructificans in arbore viridi. Syr. 14. v. 18.*

v. 18. norunt prædicasse & annunciasse Evangelium Salvatorem nostrum de Reditu suo, qui ostensurus sese illis tanquam victorem mortis, & dicere: *Adhuc modicum, & mundus me jam non videt; vos autem videtis me, quia ego vivo & vos vivetis. Johan. 14. vers. 19.* qui denique ostensurus se illis, tanquam Dominum Cœli, Judicem universæ Carnis, & dicturus: *Venite benedicti patris mei, hæreditate accipite regnum vobis paratum à constitutione Mundi. Matth. 25. v. 34.* AMEN.

IN FESTO TRINITATIS, JOH. III. ℣. 8.

Τὸ πνεῦμα, ὅπου θέλει, πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις· ἀλλ' οὐκ οἶδας, πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει. οὕτως ἐστὶ πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος.

Spiritus, ubi vult spirat, & vocem ejus audis: sed nescis unde veniat, & quò vadat. Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.

FÆcunda quondam fuit præsentia Spiritus in primâ Creatione, cùm scil. ille incubuisse dicitur aquis, de quo *Gen. 1. vers. 2.* Fæcunda fuit hæc præsentia Spiritus. Ut enim Ventus aliquis est valdè potens & efficax, ita Spiritus ille, qui ferebatur super aquas, eo tempore non fuit ἀεργος, sed maximè fæcundus, operosus & efficax, movit, agitavit aquas, excluſit, tanquam *Avis incubans Ovo pullos*, creaturarum Sobolem numerosam, tot corporum seriem & Numerum, ut *David* profundè dixerit: *Verbo Domini cœli formati sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. Psalm. 33. v. 6.* Fæcunda fuit hæc præsentia Spiritus. Ut enim ventus sibilat & resonat in orbe, ita Spiritus ille, qui ferebatur super aquas, eo tempore jussit existere creaturas, fovit, calefecit, & tandem fecit, ut in aquis se moverent pisces, in aere resonarent aves, in terrâ bruta varios ederent sonos, atque omnia ab ipso condita creatorem, pro varietate gradus & di-

& dignitatis, modoque vario concelebrarent, atque ipso Opere exhiberetur, ad quod *David* animat dicendo: *Omnis Spiritus laudet dominum. Psalm. 150. v. 6.* Fæcunda denique fuit hæc præsentia Spiritus. Ut enim Ventus fæcundat terram illâ nihil, utpote quæ expers animæ, sciente de illo fructu & Effecti venti; Ita Spiritus ille, qui ferebatur super aquas eo tempore, non quidem agnitus fuit ab aquâ & terrâ, talem tamen tot seminum vim dedit & infudit illi, ut aquæ ebullirent, terra germinaret adeoque longè alia facies esset orbis sequentibus diebus, quàm primo, & quod tunc fecit, id adhuc continuat, ut *David* proinde dixerit: *Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Psalm. 104. v. 30.* Ut quondam *Spiritus*, qui instar alicujus Venti ferebatur super aquas fuit fæcundus suâ præsentiâ, ita quoque adhuc dum in regeneratione Orbis & hominis sese exhibet, ut Verba proposita docent, de quibus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

Dixerat *Christus Nicodemo: nè mirêris me dixisse tibi, oportet vos iterum gigni*; pergit itaque & probat posse hominem ex Spiritu nasci, utut senex sit singulari & invisibili modo & dicit: *Spiritus ubi vult, spirat & vocem ejus audis*; proponit primò protasin & subjungit Apodosin dicendo: *Ita est quisquis genitus est è Spiritu*, seu ita quoque res se habet in regeneratione, de quâ hactenus tecum locutus fui. Observandum I. in protasi quòd dicat, Ventus quo vult, spirat, adeoque mentionem facit Venti, qui naturæ est penetrantis, celeris & tenuis, unde DEUS adhibuit Ventum eum in finem, tanquam efficax medium *Gen. 8. v. 1.* Venti, qui dissipat, tenebricosas nubes dispellit, & Lucem adducit, undè *Elihu: Nunc non vident lucem, ipsa in nubibus candet, sed ventus transiens mundabit eas. Job. 37. v. 21.* Venti denique, qui spirat, flat & hinc inde se movet, unde *David* de illo: *flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ. Psalm. 147. vers. 18.* II. Observandum in protasi, quòd dicat, Ventus quo vult, Spirat, non activoluntate aliquâ feratur, sed liberum ejus à natura Impetum indicando juxta *Chrysostomum*, & *vocem seu sonum ejus audis*, quandoque fortem & validum, qualem quidem

audivit *Jonas*, de quo *Jonæ 1. v. 4.* quandoque lenem & suavem vel tenuem, qualem quidem audiverunt *Ægyptii*, de quo *Sap. 17. v. 18.* quandoq; medium, & de utroque secundùm vices participantem, qualem tribuit ipsi *DEO David 2. Sam. 22. v. 11.* Observandum est III. in protasi, quòd dicat, Ventus, ubi vult, spirat & vocem ejus audis, sed nescis undè veniat, & quò vadat, nescis unde veniat, quo ex principio, unde *David: Ascendere facit nubes de finibus Terræ, item fulgura & pluviam facit. Psalm. 135. v. 7.* nescis quò vadat, aut in quid se recondat, undè *Solomon: Quomodo nosti quæ sit via Spiritus. Ecclesiastis 11. v, 5.* nescis & tamen sentis, ut *Ezechielis 3. v. 12.*

L. D.

VIdemus, Quàm egregiè à Christo adumbratus sit & delineatus Spiritus regenerans. Egregiè delineatur nobis sub Symbolo Venti Spiritus regenerans I. In Naturæ Conformitate. Est enim Spiritus regenerans talis Ventus, qui efficax & penetrans, unde *Christus* eum vocat *Virtutem ex alto*, dicens *Apostolis: Ecce mittam promissum patris mei in vos, vos autem sedete in urbe, quoad usque induamini virtute ex alto. Lucæ 24. v. 49.* talis, qui dispellens tenebricosa & lucidus, undè *Johannes* eum vocat *ignem* illustrem dicens: *hic baptizabit igni. Matth. 3. vers. 11.* talis, qui spirans & movens, unde *Paulus* vocat illum principium movens, *quo agimur, & in quo clamamus: Abba pater. Rom 8. v. 14.* Ut quondam *Ventus* ille, qui animavit ossa arida tempore *Ezechielis*, fuit efficax, lucidus & movens, ut constat ex *Ezech. 37. v. 9, & 10.* ita quoque *Spiritus regenerans* Symbolo Venti adumbratus est efficax, lucidus & movens, ut *Paulus* dicat: *Litera occidit, Spiritus autem vivificat. 2. Corinth. 3. v. 6.* Egregiè delineatus est nobis sub Symbolo Venti Spiritus regenerans II. in Organi Symbolicâ Qualitate; auditur sonus hujus Spiritus legalis, qui vehemens & terrens, ut *David* dicat: *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas: vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ. vox Domini confringentis cedros, & confringens Dominus cedros Libani. Psalmo 29. v. 3, 4, 5.* auditur sonus hujus Spiritus

ritus Evangelicus, qui leniter influit, ut *David* dicat: *Cantate DEO, psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, qui vehitur cum suavitate, Dominus nomen illi. Psalm. 68. v. 5.* auditur sonus hujus Spiritus ex utroque temperatus, qui & dirigit & adflat, ut *David* dicat: *Viam mandatorum tuorum curram; cùm dilataveris cor meum. Psalm. 119. v. 32.* Ut quondam *Ventus* ille, qui circumfudit *Eliam*, fuit partim grandis, partim lenis, & ita quidem, ut in leni fuerit Spiritus S. *1. Reg. 19. v. 11, & 12.* ita *Spiritus quoque regenerans* Symbolo Venti adumbratus est grandis, lenis, & ex utroque temperatus in Verbo, ut *Paulus* dicat: *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingens usque ad divisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Ebr. 4. v. 12.* Egregiè delineatus est nobis sub Symbolo Venti Spiritus regenerans III. in Effectus consimilis Dignitate; nescimus undè sit Ventus regenerantis Spiritus & quomodo nos aggrediatur & operetur in nobis, & nihilominus sentimus illum esse à DEO, esse virtutem divinam, ut dicamus: *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex DEO est, ut sciamus, quæ donata sunt nobis à DEO. 1. Corinth. 2. v. 12.* nescimus quid in nobis operetur, & nihilominus sentimus illius opus esse immutationem Cordis saxei, & deprehendimus, quàm verum illud: *Dabo vobis cor novum & Spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestrâ, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis & judicia mea custodiatis & operemini. Ezech. cap. 36. v. 26, 27.* nescimus quò vadat Ventus regenerantis Spiritus, & nihilominus sentimus Effectum relictum, quòd sc. fructus ejus sint *charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, continentia, castitas. Gal. 5. v. 22, & 23.* Ut *Spiritus*, qui fuit in *Rotis* visis ab *Ezechiele*, non agnitus est ab ipsis rotis, sed tamen motum illius receperunt illæ *Ezechiel. 1. vers. 20.* ita quoque *Spiritus regenerans* Symbolo Venti adumbratus nescitur & tamen sentitur, ut *Paulus* dicat: *Divisiones gratiarum sunt, unus autem Spiritus. & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, & divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus, unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem 1. Cor. 12. v. 4, 5, 6, 7.*

USUS I. DEHORT.

SI tàm egregiè Spiritus regenerans sub Symbolo venti est adumbratus & delineatus, peccant omnes & singuli, qui Spiritui efficaciæ se opponunt, & tales se exhibent, quales describuntur à querulo hoc *Spiritu, nempe qui non judicare sinunt hunc Spiritum. Gen. 6. v. 3.* quid ipsis imminet, quàm illud, quod *Paulus* pronunciavit: *Qui seminat in carne suâ, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. Gal. 6. v. 8.* Peccant omnes & singuli, qui sonum hujus Spiritus, Verbum Legis & Evangelii audire nolunt, & exhibent se tales, qui dicunt: *sermonem quem locutus es ad nos in nomine domini, non audiemus ex te.* quales describuntur *Jeremiæ 44. v. 16.* quid ipsis imminet, quàm illud quod *Christus* pronunciavit: *qui spernit me & non accipit verba mea, habet qui judicet eum; sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in die novissimo. Joan. 12. vers. 48.* Peccant omnes & singuli, qui nec scire, nec sentire hunc Spiritum desiderant, & tales se exhibent, *qui durâ cervice & incircumcisis oculis & auribus, semper Spiritui S. resistunt.* quales describuntur *Actor. 7. vers. 51.* quid ipsis imminet, quam illud quod DEUS pronunciat: *In tempore illo dicetur populo huic: Ventus urens in sublimioribus in deserto ad viam filiæ populi mei non ad ventilandum, & ad purgandum: Spiritus plenus ex his veniet mihi, & nunc ego loquar judicia mea cum eis, ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas est currus ejus; Jeremiæ 4. vers. 1, 2, 3.*

USUS II. ADHORT.

SI tàm egregiè Spiritus regenerans sub Symbolo Venti est adumbratus & delineatus, studeamus omnes & singuli, ut huic Spiritui nos submittamus, atque dicamus jugiter: *Spiritus tuus bonus deducet me in terrâ rectâ: propter nomen tuum vivificabis me, in æquitate tuâ. ex Ps. 143. v. 11.* Studeamus, ut sonum Verbi avidè excipiamus inprimis Evangelii, & dicamus: *Emitte lu-*

cem

am tuam & veritatem tuam, ipsa me deducant & adducant in montem anctum tuum & in tabernacula tua. ex *Psalm. 43. v. 3.* Studeamus denique omnes & singuli, ut hunc Spiritum, quem sentimus in Corde nostro, retineamus, & dicamus: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis; ne projicias me à facie tuâ, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me; redde mihi lætitiam salutis tuæ, & spiritu spontaneo confirma me.* ex *Psalm. 51. vers. 12, 13, 14.*

USUS III. CONSOL.

SI tàm egregiè Spiritus regenerans sub Symbolo Venti est adumbratus & delineatus, bono sint animo, quotquot *renati ex aqua & Spiritu*, & describuntur *Joban. 1. v. 13.* Si *Spiritus malus* nos aggredi *tentet* vi suâ, tanquam *Leo rugiens 1. Petr. 5. v. 8.* novimus *Spiritum S.* esse longè potentiorem Spiritum, qui dicatur *virtus & digitus DEI, dæmonia pellens Lucæ 11. v. 20. Spiritus Lucis*, qui tenebras discutiat, secundùm illud *Pauli: Dominus Spiritus est. ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini tanquam in speculo recipientes in eandem Imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Spiritu Domino. 2. Corinth. 3. v. 17, & 18.* Spiritum denique animantem, flantem & spirantem, qui nos *facit flare & vincere Eph. 6. v. 73.* Si *Spiritus malus* nos aggredi tentet fraude per Pseudo prophetas, tanquam Serpens astutus, qui se *transformat in Angelum Lucis 2. Cor. 11. v. 13.* novimus Spiritum sanctum per Verbum sonare ita, ut non simus *pharisaicè* fastuosi, sed agnoscamus illud Pauli: *Scimus autem, quoniam quæcunq; lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur, ut omnes os obstruatur, & reus fiat omnis mundus DEO, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Rom. 3. v. 19, & 20.* resonare ita, ut non simus impiè desperabundi, sed agnoscamus ex Evangelio illud: *Lex subintravit, ut abundaret delictum, ubi autem abundavit delictum, superabundavit & gratia. Rom. 5. v. 20.* resonare ita, ut non simus licentiosi in vita, sed agnoscamus illud: *Vos in libertatem vocati estis fratres; tantùm ne libertatem in occasionem carnis,*

sed per charitatem servite invicem; omnis enim lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut teipsum. Gal. 3. v. 13. & 14. Si denique *Spiritus malus* nos aggredi tentet vi & fraude, ut abnegemus Spiritum planè, & illius Imperio nos submittamus, adeoque *cribrare tentet ut triticum Luc. 22. v. 31.* novimus *Spiritum sanctum*, & regenerantem facere nos sentire, se in *corda nostra à DEO esse missum Gal. 4. v. 6.* facere nos sentire *cor nostrum esse immutatum Jeremiæ 31. v. 33.* facere denique nos sentire *Effectus illius se exserere in nobis, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Rom. 8. v. 26.* AMEN.

DOMINICA I. POST TRINITATIS, LUC. XVI. ℣. 26.

Καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται, ὅπως οἱ θέλοντες διαβῆναι ἐντεῦθεν πρὸς ὑμᾶς, μὴ δύωνται, μηδὲ οἱ ἐκεῖθεν πρὸς ἡμᾶς διαπερῶσιν.

Et super hæc omnia inter nos & vos hiatus ingens firmatus est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transcendere.

ADmiranda & Mysterio fœcunda fuit quondam illa dispositio & ordo, quem constituit Josua post peregrinationem populi in deserto, in Ingressu terræ Canaan, dum partem Israelitarum consistere voluit in monte Garizim, partem in monte Ebal, inter quos montes media vallis Sichem, quæ divisit ambos, de quo *Josuæ 8. v. 30. & seq.* Mysterio fœcundus fuit ille Ordo institutus, quia pars populi ad mandatum illius se contulit in montem Garizim. Erat hic Mons in terrâ *Samariæ* amœnus, fructibus fœcundus in hortis, & à DEO dotatus fontibus, ex quibus hauriri potuit salubris aqua in refectionem, quapropter *Josua* ita disponit, ut præcipuæ sex tribus nempe *Simeon & Levi, Juda & Isaschar, Joseph & Benjamin* se eò conferrent, & ad

& ad pronunciatas benedictiones voce *Amen* concludant, atque illas obsignent, ut indicaretur, qui Evangelio adhærent, esse præcipuam partem *Israelis* spiritualis, christianæ Ecclesiæ, quâ *pastor Israelis* curet, ut oves, qui præ *Ephraim*, *Benjamin* & *Manasse*, quòd illi *sint arbores justitiæ*, & *plantæ Domino in gloriam*, quòd illi hauriant aquam solatii in hoc Regno gratiæ, quæ in *fontem proficiat fluentem in vitam æternam*, ut *Christus* propè hunc montem loquitur *Joban. 4. v. 14.* Mysterio fœcundus fuit ille Ordo institutus, quia divisus fuit mons à monte, pars populi à populi parte. Erat inter hunc montem & alterum media vallis, quæ divisit illos montes, in quam collocavit *Josua* Arcam fœderis humeris Sacerdotum impositam, ut indicaret esse præsentem *Messiam*, Mediatorem DEI & hominum, qui discriminet ita, ut, qui credunt in illum, eos salvet, qui non credunt, eos abjiciat à facie suâ & damnet, ferè ut in Egressu *Israëlitarum* ex *Ægypto* in formâ Columnæ Nubis & Ignis se medium interposuit, *Ægyptiis* formidandum, suis verò gratiosum & *Israëlitas* & *Ægyptios divisit*, de quo *Exod. 14. v. 19. 20.* Mysterio fœcundus fuit ille ordo institutus, quia altera pars populi ad mandatum illius recepit se ad montem Ebal. Erat hic mons non procul à *Jericho*, quæ typus mundanæ Instabilitatis, saxosus, sterilis & destitutus fontibus, qui reficere potuissent, quapropter *Josua* vult, ut sequiores tribus in illum se conferant, nempe *Ruben*, *Gad*, *Asser*, *Dan*, *Sebulon*, *Naphtali*, & maledictiones pronunciatas, voce *Amen* finiant atque obsignent, ut indicaretur, quotquot sub Lege, esse sub maledictione, steriles & destitutus fontibus solatii, quorum opsonium Mors æterna, quique tanquam *filii seculi*, *aliquando damnandi*, prout *Christus Judæis* dicit: *Est qui vos accusat & condemnat consequenter, Moses nempe Joban. 5. v. 45.* Ut quondam ordinem & dispositionem singularem instituit *Josua* ita cœlestis noster *Josua* in verbis prælectis, de quibus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

POstquam actum eum *Epulone* ex æquitatis Regulâ, continuatur discursus, & dicitur: *Et super hæc omnia inter nos & vos hiatus ingens*

ingens firmatus est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transcendere. In quibus Verbis observandum I. Inter quos Chasma magnum ex unâ parte. Dicit autem *inter nos*, adeoque respicit beatos & *Lazarum* ejusque similes, qui jam recepti in Sinum, in quo defenduntur quo sensu *Moses* dicit: *se populum in sinu suo ferre & portare Num. 11. v. 12.* qui recepti in sinum, in quo requiescunt & foventur, quo sensu *Sunamitis* recepisse in *Sinum* dicitur *filium suum 2. Reg. 4. v. 20.* qui recepti sunt in Sinum, quo reficiuntur, cubantur & potantur, quo sensu *Uriæ* dicitur habuisse *Uxorem in sinu suo, tanquam oviculam, quæ & cibum & potum cum illo capiebat 2. Sam. 12. v. 3.* II. Observandum, Quid & quale Chasma dicatur esse inter illos. In græco occurrit vox χάσμα, quæ notat hiatum, & quidem additur, *magnum* sive ingentem, similitudine desumptâ ab hiatu terræ, qui facit, ut, qui in una parte extremitatis illius sint, ad alteram non possint transire, sed fixi maneantque discreti, & respicitur quidem hâc phrasi non tam distantia Cœli & Inferni, quàm Diversitas status immutabili Decreto firmata, partim, quia genus dicendi parabolicum; partim, quia anima utpote Spiritus facilè etiam, etsi interveniat hiatus, ab uno ad aliud extremum, se movere posset; partim, quia Patres ex Græcis & Latinis ita exponunt, dicitur autem hoc *Chasma magnum* ἐστήκτου, quod quidam exponunt expansum, esse scil. ad dextram & sinistram, adeoque esse valdè latum, prout vox vicina רקע *Rakah* ita legitur *Esai. 42. v. 5.* quidam exponunt ad voluntatem divinam firmatum esse, quo sensu hæc vox legitur *Luc. 22. v. 32.* quidam denique exponunt constitutum vel collocatum esse, adeoque esse peculiariter constitutum, ut vox כון *Chun* ita legitur *Job. 31. v. 1.* III. Observandum, inter quos Chasma illud ex alterâ parte, dicit autem *Abraham inter nos & vos*, adeoque respicit *Epulonem* & consimiles damnatos, illos scil. qui sunt in inferno, qui *satiari nequit Proverb. 27. vers. 20.* qui sunt in βασάνοις torminibus nefandis & cruciatibus ex flammâ, ut quidem de summo dolore correptis hæc vox usurpatur *Matth. 4. v. 24.* qui denique sitiunt & vel guttulâ aquæ irrorari in linguâ desiderant, destituuntur autem & experiri coguntur *calicem iræ divinæ*, de quo *Apoc. 14. v. 10.*

L. D.

L. D.

Videmus, Quàm post hanc vitam, quæ gratiæ, Impiis præcisa sit omnis spes Solatii, Refectionis aut Libetionis. hoc docent verba explicata. Præcisa est juxta illa omnis es Impiis I. ex Beatorum Qualitate, sunt enim illi soli in tu Beatitudinis, soli pii sunt in sinu defensionis, in quo servantur, ta illud: *Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces illum, & cogitatio illorum apud altissimum; ideò accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini, quoniam dextrâ suâ teget eos, & in brachio sancto defendet illos. Sap. 5. v. 16, 17.* soli pii sunt in u Quietis, in quo foventur, juxta illud: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur à modo, etiam dicit Spiritus, quòd requiescant à laboribus suis, & opera illorum sequuntur illos. Apoc. 14. v. 13.* soli pii sunt sinu Refectionis, in quo lautè agunt, juxta illud: *Vos estis, qui mansistis mecum in tentationibus meis. & ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam, & regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. c. 22. v. 28, 29, 30.* Ut sola *Ruth* recepta fuit sub alas *Boazi*, i requiem illi conciliavit atque eandem nutrivit & refecit, de quo *th 3. v. 1, 9, 15.* ita tantùm animæ piorum receptæ censendæ t sub alas cœlestis Boasi in requiem, & ad refectionem, lætitiam gaudium, juxta illud: *Redemti à Domino revertentur & venient in n cum jubilatione: & lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium & lætitiam cordis obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Esa. 35. s. 10.* Præcisa est juxta illa omnis Spes impiis II. ex Decreti mutabilitate, quia tantum Chasma inter utrosque. Expansum Chasma latissimum inter utrosque Decreto divino, ut in Judicio antur *divisim*, juxta illud: *Congregabuntur ante eum omnes gentes, separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, & stat oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris suis. Matth. v. 32, 33.* firmatum est Justitiâ divinâ Chasma immutabile, ut nis benè, malis malè fiat, juxta illud: *Justum est apud Deum reddere qui affligunt vos, afflictionem: & vobis, qui tribulamini requiem no-*

biscum 2. Theſ. 1. v. 6. & 7. conſtitutum eſt Voluntate divinâ Chaſma ſeparatim conſtituens utrosque in alterâ vitâ, juxta illud: *Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Apoc. 22. v. 15.* Ut magnum fuit ſpatium quondam inter *Rutham* & *Arpam* à Regione ſcil. *Moabitarum* per varios tractus & *Jordanem* interfluentem usque ad *Bethlehem*, in qua illa fuit eo perducta & collocata *Ruth. 4. v. 11.* ita magnum *Chaſma* Decreto, Juſtitia & Voluntate divinâ firmatum eſt *inter pios & impios*, ut nullus ad alterum poſſit remeare, juxta illud *Pauli: Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem Judicium. Ebræor. 9. verſ. 37.* Præciſa eſt juxta illa omnis Spes Impiis III. ex Damnationis æternitate; ſunt enim poſt judicium damnati non in loco defenſionis, ſed deglutitionis, & experiuntur illud: *Dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum, absque ullo termino, & deſcendent fortes ejus, & populus ejus, & ſublimes, & divites ac læti in eum. Eſaiæ 5. v. 14.* ſunt damnati non in loco Quietis ſed Conturbationis, & experiuntur illud: *Fumus tormentorum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum: non habent requiem die ac nocte, qui adoravérunt beſtiam ac imaginem ejus, & ſi quis acceperit characterem nominis ejus. Apoc. 14. v. 11.* ſunt damnati non in loco refectionis, ſed remoti à menſâ cœleſti, in loco defectus, privationis & abſentiæ omnis cibi & potus, & experiuntur illud: *Mittite eum in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium, multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. Matth. 22. v. 13, & 14.* Ut *Arpa* diviſa à *Rutha* convertit ſeſe ad *Camoſum*, qui *Saturnus*, ab abſcondendo dictus, qui conſcientiam dolore affecit, nec guttam ſolatii ſuppeditare potuit, de quo *Ruth. cap. 1. v. 14.* ita *animæ* impiorum *damnatæ* ſunt ad infernum deglutientem, nec conſumentem, affligentem, nec ſolatium adſpirantem, juxta illud: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt abominatio omni carni. Eſaiæ 66. v. 24.*

USUS I. DEHORT.

SI impiis poſt hanc vitam præciſa omnis ſpes Solatii, Refectionis & Liberationis, caveamus, ne noſmet ipſos indignos faciamus ſinu Gratiæ in tempore Gratiæ, & ambiamus ſinum

num *Dalilæ* hujus Mundi & voluptatum illius, de quo *Judic. 16. v. 15.* ne aliquando experiendum, quàm verum illud, sed nimis serò: *Mundus transit & concupiscentia ejus. 1. Joh. 2. v. 17.* Caveamus, ne saltem tantum non distare Cœlum & Infernum, Gratiæ Januam semper patere & propterea *licitum esse peccare in Gratiam divinam*, ut *Judas* loquitur *Epist. v. 4.* ne aliquando experiendum, sed nimis serò, quantus hiatus, quæque *diversitas inter justum & injustum &c. Malach. 3. v. 18.* Caveamus, ne cum Epulone pompam & cæteram vanitatum hujus seculi sectemur, sed à piis jam in hac vitâ dividamus, dicentes: *Gravis est nobis ad videndum; quoniam dissimilis est illis vita illius & immutatæ sunt viæ illius. Sap. 5. v. 15.* ne aliquando nobis experiendum, quanta vis inferni, cruciatuum, & summi dicetur: *Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos; non liberabunt animam suam de manu flammæ, non sunt prunæ, quibus caleficant, nec focus ut sedeant ad eum*, de quo *Esa. 47. v. 14.*

USUS II. ADHORT.

Si impiis post hanc vitam præcisa est omnis spes Solatii, Refectionis & Liberationis, studeamus, ut in hoc tempore gratiæ patienter feramus cum *Lazaro*, quod ferendum, ut mereamus discreti ab *Epulone*, memores illius *Pauli: Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem DEI facientes reportetis repromissionem: adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet & non tardabit. Ebræor. 10. v. 36. & 37.* Studeamus, ut Chasma magnum admiremur inter nos & impios, memores illius *Pauli: Imitatores mei estote fratres, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis nos pro exemplari; multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt, nostra enim civitas in cœlis est, unde etiam Salvatorem nostrum expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ secundùm operationem, quâ potest subjicere sibi omnia. Philip. 3. v. 17, 18, 19, 20, 21.* Studeamus, ut pœnitentiâ & sanctitate vitæ fulgeamus

discreti à damnatis, vanitatem totius mundi calcantes & contemnentes, memores illius: *Cùm hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore liquescent. 2. Pet. 3. v. 11. & 12.*

USUS III. CONSOL.

SI impiis post hanc vitam præcisa est omnis Spes Solatii Refectionis & Liberationis, bono sint animo, qui non ex numero impiorum, sed piorum & proinde salvandorum *Ebr. 10. v. 39.* Si in hac *vitâ* sæpè cum *Lazaro* experienda *inopia, ægritudo, nuditas* & cætera *Miseriarum Tela*, atque conquerendum: *Cibas eos pane lachrymarum, & potes eos lachrymis copiosè.* ex *Psalm. 80. vers. 6.* novimus vertendos esse tales, & cùm impii immutabiliter damnati, nos in alium statum transferendos, ubi *Animæ in Manu* DEI, defensæ *Sap. 3. v. 1.* in domos *pacis* & *quietis Esaiæ 32. v. 18.* in *refectionis æternæ* locum *Psalm. 36. v. 9.* Si in hac vitâ sæpe experiendus Chasmatis defectus, ut reputemur impiis pares, & conquerendum: *Sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egissent impiorum, & sunt impii, quibus talia eveniunt, quasi justorum facta habeant. Eccles. 8. v. 14.* novimus Chasma magnum fore post hanc vitam, dividendos nos esse ut oves ab hædis *Ezech. 34. v. 7.* Justum ab injustis *Sap. 5, v. 1, 8, 9.* cives cœlestis *Hierosolymæ* ab *Hagarenis Gal. 4. v. 26.* Si denique in hac vitâ experiendum sæpe Epulonibus & impiis omnia fluere ex voto, atque conquerendum: *Quare impii vivunt, senescunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, filii eorum sunt in conspectu eorum. Domus eorum pacatæ sunt à timore, & non est virga Dei super illos; bos eorum erit, & non in vanum conjicit semen, vacca peperit, & non est privata fœtu suo, educunt tanquam oves parvulos suos, & infantes eorum exultant lusibus; tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & momentum ad infernum conturbantur.* ex *Jobi 21. v. 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13.* novimus, ut infernus paratus impiis ita *Christum* nobis *paratum locum Johan. 14. v. 2.* ut cruciatus in flammâ illos circumdant & cingunt, ita *Christum* promisisse *Splendorem Solis*

Solis Matth. 13. v. 43. ut sitierit nec guttâ solatii reficiantur, ita *Christum* dixisse: *Ego sum alpha, & omega, initium & finis; ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis, qui vicerit, hæreditate consequetur omnia, & ero illi DEUS, & ipse erit mihi filius. Apoc. 21. v. 6. & 7.* AMEN.

DOMINICA II. POST TRINITATIS, LUC. XIV. ℣. 23.

Καὶ εἶπεν ὁ Κύριος πρὸς τὸν δοῦλον, ἔξελθε εἰς τὰς ὁδοὺς καὶ φραγμούς, καὶ ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, ἵνα γεμισθῇ ὁ οἶκός μου.

Et ait Dominus servo, Exi in vias & sepes & compelle intrare, ut impleatur domus mea.

INsignis fuit quondam Favor, quem Abrahamus ostendit apparatu convivii & advocatione non tantùm unius & alterius, sed & admissione ipsis Ismaelis, de quo *Gen. 21. v. 8. & 9.* Insignis fuit Favor iste, quia illum ostendit Abraham. Erat hic non Vir aliquis vulgaris, sed Princeps Orientis, qui magni æstimatus etiam ab illis, quorum in terrâ tanquam peregrinus versabatur, nec tantùm ipse coram hominibus honoratus, sed & coram DEO, qui ipsius Nomen immutavit & *Abrahamam*, quasi patrem multorum populorum, dici voluit, Reges ex ipso descendentes illi promisit & magni semper æstimavit, ut etiam *Syracides* dixerit de illo: *Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non inventus est similis illi in gloriâ, qui conservavit legem excelsi, & fuit in testamento cum illo. cap. 44. v. 20.* Insignis fuit Favor iste, quia usus est famulorum operâ. Non dubium est, ut laudum fuit Conviviam, ita fuisse illum usum opera *Eleazeris*, servi *Damasceni*, quem aliàs adhibuit in reliquis quoque negotiis & cui curam Domus commisit, adhibuisse famulos, qui appararent, advocarent & invitarent, siquidem ipse fuerit sat copiosus numerus, ut *Moses* etiam dicat: *Ipsum potuisse trecentos vernas armare & in prælium educere*, de quo *Genes. 14. v. 14.* Insignis fuit Favor iste, quia etiam ad ipsum Ismae-

lem sese extendit. Erat hic *Ismael* natus ex Ancillâ *Hagare Ægyptiâ*, erat irrisor, & Ingenii non admodùm probi, erat talis, qui judicio divino tanquam peregrinus ratione matris removendus, nec hæreditatis participatione dignus, nihilominus *Abrahamus* permittit illum versari intra familiam suam, admittit ad esum & potum, conviviumque quoque eidem indulget, & illa quæ faciunt ad lætitiam, nec averso ab ipso fuit animo, sed jam antea DEUM pro ipso rogavit & dixit: *Utinam Ismael vivat coram te. Gen. 17. v. 18.* Ut quondam *Abrahamus* favorem suum illustri ostendit Convivio, ita quoque de consimili actu aliquid refertur in præsenti Evangelio, nec non verbis illis: *Tunc ait Dominus servo: Abi in vias & sepes & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* de quibus ἀὐτῷ Θεῷ.

EXEGESIS.

DIxerat *Servus* post invitatos quamplures: *Domine factum est, ut imperasti, & adhuc locus est.* Quapropter refertur, quid ad hanc relationem fuerit dictum; Verba autem *Christi* ita se habent: *Tunc ait Dominus Servo, Exi in vias & sepes.* Ubi observandum I. quis locutus fuerit, quis imperarit. *Christus* dicit: tunc, quum scil. deprehensum, supereße adhuc spatium, *Dominum* dixisse: scil. illum, qui fecit cœnam magnam, tanquam *Rex & Dominus summus*, ut describitur *Psalm. 47. v. 3.* tanquam magnos sumptus faciens & Lautitias cibosq; & potum, quibus ornat Mensam Gratiæ, inter quæ *Caro & sanguis Messiæ Joh. 6. v. 55.* tanquam continuans hanc Cœnam per satis ingens tempus in æternitatem, & ad quamplures illam extendens, imò tandem ad omnes & *exclamans: Si quis est insipiens, veniat ad me, ut insipientibus locutus sit: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Proverb. 9. v. 4, & 5.* II. Observandum, cui locutus fuerit. *Christus* dicit: *dixisse Dominum servo*, per *Servum* hunc intelligitur totus Ordo *Apostolorum* & discipulorum, qui ad *Ministerium vocati Matth. 10. v. 1.* qui probè informati & instructi in hunc finem, ut ipse *Christus* dixerit: *Non dico vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus; vos amicos autem dixi, quia omnia, quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis. Joban. 15. v. 15.* qui denique tandem emissi Spiritu acti, ut Officio

suo

suo satisfacerent *Marc. 16. v. 20.* III. Observandum, quid locutus fuerit, quid imperarit. Dixit autem: *Exi vel abi in vias & sepes*, hoc est ad *gentiles* hactenus sibi relictos, in vias sive ὁδοὺς, per quas intelliguntur viæ latæ ignorantiæ & Iniquitatis, variarum opinionũ & diversorum rituum superstitiosorum, quales *viæ complanandæ Luc. 3. v. 5.* In sepes sive φραγμοὺς, quibus alias designantur villæ rusticæ, adeoque inhumanum vivendi genus, vel sepes ut quidem hæc vox legitur, *Matth. 21. v. 33.* denique in compita, sive exitus earum ἐξόδους, in quibus omnia inordinata & confusa, erronea & indisposita, ut *Matthæus* hâc voce utitur *cap. 22. v. 9.*

L. D.

Videmus, Quàm insignis, quàm benigna, quàm ampla fuerit Gratia N. T. Evangelica. Insignis fuit gratia N.T. Evangelica I. ex Invitantis Dispositione, paravit enim Cœnam Evangelii ille Dominus magnus, qui omnibus præest, *excelsus & sublimis, habitans æternitatem.* qui describitur *Esaiæ 57. v. 15.* ille Dominus magnus, qui omnis generis exhibet cibos & potus, dulcedinem Evangelicam referentes, ut ipse dicit: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite; venite, emite absque argento, & absque ullâ commutatione vinum & lac; quare appenditis argentum non in manibus, & laborem vestrum non in saturitate? audite audientes me, & comedetis bonum, & delectabitur in pinguedine anima vestra; inclinate aurem vestram & venite ad me, audite & vivet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Esaiæ 55. vers. 1, 2, 3.* ille DEUS, qui omnibus mensam gratiæ pandit, sua evangelica Bona exponit, de quo *Esaiæ: Faciet Dominus Exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vini defecati, convivium pinguium medullatorum vini defecati, & absorbebit in monte isto superficiem operimenti, quo aperti sunt omnes populi, & velum, quo velatæ sunt omnes gentes: absorbebit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet, de universâ terrâ, quia Dominus locutus est. cap. 25. v. 6, 7, 8.* Insignis fuit quon-

quondam *Gratia*, quam ostendit *Pharao*, quia ipse tanquam Rex instituit convivium ex lautiore cibo & potu, & quidem omnibus servis suis, de quo *Gen. 40. v. 20.* At quid *Gratia Pharaonis*, *ad Gratiam DEI in N.T. Evangelicam*, quæ Regis Regum, consistens in consummato apparatu, & ad omnes sese homines porrigens, ut *Paulus* dicat: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Timoth. 2. v. 4.* Benigna fuit Gratia N. T. Evangelica II. ex Apostolorum Missione, missi enim fuerunt illi, qui à *Christo* vocati & selecti, ut ipse dicat: *Jam non dico vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi ex patre meo, nota feci vobis. Johan. 15. v. 15.* illi, qui à *Christo* instructi & informati, ut ipse dicat: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo; tui erant, & mihi eos dedisti & sermonem meum servarunt. Johan. 17. v. 6.* illi, qui ab ipso Spiritu dotati donati, & ex ornati, ut ipse dicat: *Cùm venerit Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. Johan. 16. vers. 13.* Benigna quondam fuit *Gratia*, quam ostendit *Ahasuerus*, quia is ad convivium apparatum invitavit *Vasthim* per Satrapas, & ministros principes, de quo *Esther 1. v. 10.* At quid Gratia *Ahasueri* ad Gratiam *DEI in N.T.* qui ad convivium Cœleste invitavit per *Apostolos* & principes, atque complevit, quod *David* dixit: *Pro patribus tuis contingent tibi filii: constitues eos principes super universam terram. Psalm 45. v. 17.* Amplissima denique fuit Gratia N. T. Evangelica III. ex invitatorum Conditione, fuerunt enim illi gentiles, qui ambulabant in viis ignorantiæ & Superstitionis, ut *Paulus* dicat: *Deus non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de cœlo dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda nostra. Actor. 14. v. 16.* qui ad sepes vitiosæ inhumanitatis, recumbentes, ut *Paulus* dicat de omnibus & singulis: *Non est justus, ne unus quidem, non est intelligens, non est requirens Deum. Rom. 3. v. 10, 11.* qui ad compita Errorum declinant, ut *Paulus* dicat: *Vos aliquando ambulastis secundùm seculum mundi hujus, secundùm principem potestatis aëris, Spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus nos aliquando*

con-

versati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum: & eramus naturâ filii iræ sicut & cæteri. Eph. 2. v. 3. Ampla fuit quondam *Gratia*, quam ostendit *Rex Israelis* convivio etiam excipiens illos, qui à via aberrarunt, inhumaniter hactenus ergà *Israelitas* se gesserunt & variis vitiis indulserunt, *Syros* & de quo 2. *Reg. 6. v. 22, & 23.* Atquid Gratia *Regis Israelis*, si Gratiam DEI in N. T., qui paravit convivium etiam gentibus, ut DEUS dicat: *Expandi manus meas totâ die ad populum contumacem, qui graditur in viâ non bonâ post cogitationes suas. Es. 65. v 2.*

USUS I. DEHORT.

Si gratia N. T. fuit tam insignis, benigna & ampla, caveamus ne hanc Gratiam negligamus, atque simus ex illorum numero, *quorum alius ivit in villam suam, alius verò ad negotiationem suam. Matth. 22. v. 5.* ne scil. Dominus, qui hanc gratiam offert, exardescat, atque loco *refectionis infundat ex vino Iræ Apoc. 14. v. 10.* Caveamus ne ministros missos contemnamus, atque simus ex illorum numero, *qui dixerunt de apostolis: hi qui orbem concitant, huc venêrunt.* qui describuntur *Actor. 17. v. 6.* ne nobis ingeratur illud, quod *Judæis: ut nempe ascendat furor Domini & nulla sit sanitas. Paralip. 36. v. 15, 16.* Caveamus ne Tempus gratiæ patiamur elabi, atque simus ex illorum numero, *qui nonagnoscunt tempus visitationis suæ.* qui describuntur *Luc. 19. v. 41.* ne elapso illo porta claudatur & dicatur nobis, *nescio vos.* ex *Matth. 25. v. 10. 11.*

USUS II. ADHORT.

Si gratia N. T. fuit tam insignis, benigna & ampla, studeamus, ut Gratiam DEI corde grato deprædicemus, & dicamus: *Quam preciosa est misericordia tua Deus? filii hominum à torrente voluptatis tuæ potabis eos. Psalm. 36. vers. 8, & 9.* Studeamus, ut missos & invitantes audiamus, illisque obtemperemus & eos sequamur dicentes: *Sunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus, ad montem Domini & ad montem Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit Lex*

& verbum domini de Jerusalem. Esaiæ 2. v. 3. Denique studeamus, ut relictâ viâ seculi viam Cœli eligamus, atque desideremus fruitionem plenam convivii cœlestis & gaudiorum, atque dicamus: *Quemadmodum rugit Cervus ad rivos aquarum, ita rugit anima mea ad te Deus, sitivit anima mea ad DEUM vivum, quando veniam & apparebo ante faciem DEI? Psalm. 42. v. 2, 3.*

USUS III. CONSOL.

SI gratia N. T. fuit tam insignis, benigna & ampla, bono sint animo, qui verè & ex animo agnoscunt illud: *Magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua; Psalm. 57. v. 11.* Si videatur imminere Gratiæ aliqua *Subtractio* vel diminutio, atque ingemiscendum illud: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam, à facie iræ & indignationis tuæ, quia elevans allisisti me.* ex *Psalmo 102. v. 10, & 11.* novimus illum, qui Dominus dominantium, magnam apparasse Cœnam, esse illum DEUM, qui nos post nubila ducat ad jubila, ut dicamus: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi: exuisti me sacco & cinxisti me lætitiâ, ut cantet tibi gloria mea, & non fileat domine Deus meus, in æternum confitebor tibi. Psalm. 30. v. 12, & 13.* esse illum, qui nos epulis Spiritualibus pascat, ut dicamus: *Quid bonum ejus est, & quid pulchrum ejus nisi frumentum juvenum, & vinum germinans Virgines?* ex *Zach. 9. v. 17.* esse illum, qui continuet usque in viram æternam suam gratiam, ut possimus dicere: *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se.* ex *Apoc. 19. v. 7.* Si videatur imminere *Subductio Ministerii*, atque conquerendum: *Signa nostra non vidimus, & non est amplius propheta: & non est nobiscum, qui sciat, quousque.* ex *Ps. 74 v. 9.* novimus illum, qui semel misit vocatos, adhuc mittere. *Dominus dare Verbum Evangelistas magno Exercitu. Ps. 68. v. 12.* qui semel misit instructos, mittere instructos adhucdum. secundùm illud: *Dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientiâ ac doctrinâ. Jerem. 3. v. 15.* qui semel misit Spiritu dotatos, adhuc mittere. & promittere, secundùm illud: *Dabit vobis doctorem ad justitiam & descendere faciet dominus ad vos imbrem fœcundantem, & serotinum sicut in principio. Joel.*

fuel. 2. *v.* 23. Si denique videatur imminere rejectio ad priſtinas vias, ſepes & diexodos, atque conquerendum: *Ut quid deſtruxiſti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? vastavit eam aper de ſylvâ & fera ſylveſtres depaſcantur eam.* ex *Pſalm.* 80. *v.* 13, & 14. novimus illum, qui vocavit ad Cœnam illos, qui in viâ, adhuc ingeminare: *intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpaciosa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam: quoniam anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci intrant per eam. Matth.* 7. *v.* 13, & 14. illum, qui nec à ſepibus vocavit, *parietem intergerinum ſuſtuliſſe Eph.* 2, *v.* 14, 15. illum, qui à diverticulis nos adduxit ad Eccleſiam, deducturum ad illam *Hieroſolymam, cujus portæ margaritæ, plateæ aurum Apoc.* 21. *v.* 21. AMEN.

DOMINICA III. POST TRINITATIS, LUC. XV. *vſ.* 9.

Καὶ καλέσας συγκαλεῖται τὰς φίλας, καὶ τὰς γείτονας, λέγουσα συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον τὴν δραχμὴν ἣν ἀπώλεσα.

Et cùm invenerit, convocat amicas & vicinas dicens: Gaudete mecum, quia inveni drachmam, quam perdideram.

NOn indecorè ſeſe quondam geſſerunt filii Jacob, quum enim inveniſſent Argentum in ſaccis, manifeſtarunt illud Diſpenſatori Joſephi, qui ipſis fuit congratulatus de illo, ut conſtat ex *Gen.* 43. *v.* 19, 20, 21, 22, 23. Non indecorè ſe geſſerunt illius temporis filii Jacobi, invenerunt enim argentum ſive pecuniam non absque alteratione. Habuerant illi pecuniam, ſive argentum, intulerantque in *Ægyptum*, verùm cùm eſſent in reditu, in viâ, illam inveniunt in ſaccis, non tantùm DEO ita miſcricorditer illud diſponente, ſed & ipſo *Joſepho* ordinante, qui illud man-

daverat, de quo *Gen. 42. v. 25.* Non indecorè se gesserunt tunc temporis filii Jacobi, invenerunt enim argentum, quod putaverant jam alteri cessisse. Dederant illi pecuniam pro frumento, abalienaverat illam, & existimabant illam cessisse in altera jura, verùm illud quòd abalienatum redit, denuo conspicitur & prehenditur, ut etiam de iniquitate aliquâ adhærente ipsis oboriatur cogitatio, nec aliâs absque sordibus peccatorum, argentum sine scoriis, hæc materia etiam in contractibus, ut proinde dicat *Syracides: Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum. cap. 27. v. 2. & 3.* Non indecorè se gesserunt tunc temporis filii Jacobi, invenerunt enim pecuniam sive argentum ita, ut illius Inventionem etiam manifestarint. Potuissent illi tacere & retinere, potuissent cogitare, quid si erratum sit, bono nostro erratum est, nos silentio involvemus, quod nobis ac. esset, tueri, clam habebimus, in sinu gaudebimus, verùm alia longè ipsis mens est, aperiunt enim, quid contigerit ipsis Dispensatori, qui præerat domui *Josephi*, qui ipsis congaudet & gratulatur, consummaturque tandem illorum gaudium & filiorum *Jacobi* & Dispensatoris, atque reliquorum ministrorum *Josephi*, cùm ipse *Joseph* se illis ostendit, atque in gratiam recipit faventerque illos compectitur & exosculatur, de quo *Gen. 45. v. 14, & 15.* Quod quondam ut non indecorè actum deprehensum est in filiis *Jacobi*, idem quoque in illâ quæ nobis sistitur fœminâ & Matrefamiliâs conspicitur, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

COmmendaverat *Christus* Curam Matrisfamiliâs, vel Mulieris sollicitudinẽ, quæ perdiderit quidem drachmam unam de decem sed accensâ Lucernâ quærat accuratè illam, Pergit itaque in cæptâ similitudine & dicit: *Et cùm invenerit, convocat amicas & vicinas dicens: Gaudete mecum, quia inveni drachmam, quam perdideram.* In quibus Verbis observandum I. quòd dicatur invenire illam, scil. post diligentem inquisitionem & omnium Mediorum inveniendi adhibitionem. In græco occurrit vox εὑρεῖν. quæ usurpatur de *Leproso segregante se à cæteris & redeunte Luc. 17. v. 18.* usurpatur de *insigni fide in-*

de instructo Luc. 7. v. 9. usurpatur denique de *servo fideli*, qui quod decet agit, vigilat & *Dominum suum expectat Luc. 12. vers. 38, & 43.* II. Observ. quòd dicatur, invenire illam scil. Mulierem drachmam perditam, quæ scil. è thesauro excidit in terram, prout lapides & ligna domus concussa cadunt *Matth. 7. v. 27.* quæ scil. pulveri immixta delituit, oculos effugit, quemadmodum impius potuit sese *subterfugere posse oculos divinos Syr. 23. v. 26.* quæ scil. obscurata sordibus, contaminata & conspurcata, quemadmodum *Jerusalem*, sub nomine viduæ se ita conspurcatam esse conqueritur: *Sordes ejus in fimbria ejus, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem. Thren. 1. v. 9.* III. Observandum quòd dicatur, & quum invenerit, convocat amicas & vicinas, scil. quæ vel aliquo vinculo cognationis illam attingunt, vel in vicinia habitant; in græco non tantum est vox γείτονας, sed etiam præcedit vox φίλας, quæ usurpatur *de amicis centurionis*, qui accesserunt Christum, de quo *Luc. 7. v. 6.* usurpatur de *Amico* divitiis suis & opibus subvenienti alteri, qui illo indiget *Lucæ 11. vers. 5, & 6.* usurpatur denique de *Apostolis*, qui erant circa *Christum* & cum ipso, quoque *Solatio* instruxit ubertimo *Luc. 12. v. 4.*

L. D.

Videmus, Quodnam Ecclesiæ sit officium, si ad pœnitentiam attendat peccatoris, nempe Gaudium de illa conceptum diffundere & propagare. Diffundere debet Ecclesia Gaudium illud spirituale I. oblætam Inventionem; invenit enim illa peccatorem, ut corde contritum atque redeuntem, qui dicit cum *filio prodigo: Pater peccavi in cœlum & coram te, & non sum dignus vocari filius tuus. Luc. 15 v. 18, 19.* Invenit illa peccatorem in *Christum* credentem, qui dicit cum *Paulo: Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* ex *1. Timoth. cap. 1. vers. 15.* Invenit illa peccatorem ad emendationem vitæ & officia pietatis atque virtutum anhelantem, qui dicit cum *Davide: O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ; aperuisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, &*

de nomine DEI *prædicabo. Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini in medio tui Hieruſalem. Alleluja. Alleluja. Pſalm. 116. v. 16, 17, 18, 19.* Ut quondam lætata fuit *Lea* & Gaudium ſuum propagavit, cùm reverteretur *Ruben* ex campo inſtructus floribus, de quo *Gen. 30. v. 14.* ita longè magis & majori jure lætatur *Eccleſia* & gaudium ſuum diffundit redeunte peccatore per pœnitentiam, amplectente *Chriſtum* per fidem & amabili ſpecie pietatis denuò conſpicuum per Emendationem, atque experitur quàm verum illud: *Miſera, tempeſtate convulſa, absque ullâ conſolatione; ecce ponam in carbunculo lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam Smaragdum feneſtras tuas, & portas tuas in rubinos & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles, univerſos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis Iſrael. Eſa. 54. v. 11, 12, 13.* Diffundere debet Eccleſia gaudium illud ſpirituale II. ob **prævium perditionem**, qui enim invenitur erat perditus. Ceciderat ille è Theſauro Gratiæ divinæ, cui meritò dicitur: *Memor eſto, unde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac. Apoc. 2. v. 5.* fugit ille oculos divinos & optavit non eſſe DEUM, qui attendat, cui meritò dicitur: *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt DEUS: Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt usque ad unum.* ex *Pſalm. 14. v. 1.* contaminatus denique ſordibus & totus immutatus deprehenditur, cui meritò dicitur: *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, & vinum tuum miſtum eſt aqua. Eſa. 1. v. 22.* Ut quondam lætata fuit *Zarpathica* & gaudium ſuum propagavit, cùm reciperet filium, qui erat mortuus, vivum & ſpirantem *1. Reg. 17. v. 23.* ita longè magis & majore jure lætatur *Eccleſia*, & gaudium ſuum diffundit, ſi reddatur illi filius, qui mortuus ſpiritualiter atque experitur quàm verum illud: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venêrunt tibi, filii tui longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent, tunc videbis & affluës, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando converſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Eſa. 60. v. 4. & 5.* Diffundere debet Eccleſia gaudium illud ſpirituale III. **ob vicinam Conditionem**, habet enim illa amicos & amicas, quæ dignæ ut gaudium illis aperiatur, quæ congaudent & congratulantur,

habet

habet illa amicos & amicas, quæ Christum quoque acceſſerunt, de quibus *Paulus: Nunc in Chriſto Jeſu vos eſtis, qui aliquando eratis longè. Eph. 3 v. 13.* habet illa amicos & amicas, quæ charitate divites & opulentiæ, de quibus dici poteſt quod *Paulus* de quibusdam, *quòd ſupra vires voluntarii fuerunt. 2. Cor. 8. v. 3.* habet illa amicos & amicas, quæ *Chriſto* acceptæ & gratæ tanquam membra Capiti, de quibus *Paulus: Sicut corpus unum eſt, & membra habet multa; omnia autem membra corporis unius, cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt. 1. Cor. 12. v. 12. & 13.* Ut quondam lætata fuit *Hanna* & gaudium ſuum propagavit, cùm reverteretur *Tobias*, quia habuit vicinas & amicos atque amicas, quas etiam invitavit, ut gaudii faceret participes *Tobiæ 11. v. 18, 19, 20.* ita longè magis & majori jure lætatur *Eccleſia*, & gaudium ſuum diffundit redeunte peccatore amici & vicinis præſentibus, atque experitur, quàm verum illud: *Lætamini cum Jeruſalem & exultate in eâ omnes, qui diligitis eam: gaudete cum eâ gaudio univerſi, qui lugetis ſuper eâ, Eſaiæ 66. v. 10.*

USUS I. DEHORT.

Si officium Eccleſiæ eſt lætari & Gaudium ſpirituale propagare ad Exemplum Capitis Jeſu Chriſti, peccant graviter omnes illi in Eccleſiâ, qui parùm curant ſive inveniatur, ſive non inveniatur drachma, *qui, quod infirmum fuit, non conſolidârunt, & quod ægrotum non ſanârunt, quod confractum eſt, non alligârunt, & quod errans fuit, non reduxêrunt, & quod perierat, non quæſiverunt. Ezech. 34. v. 4.* experientur illi aliquando, quod Chriſtus dicit: *Non novi vos, diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Matth. 7. verſ. 23.* Peccant graviter omnes illi in Eccleſiâ, qui parùm curant miſeriam proximi & peccatorum ſordes, quibus eſt contaminatus, qui *bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti nihil patiuntur ſuper contritione Joſephi*, quales deſcribuntur *Amos. 6. v. 6.* experientur illi aliquando, quod Deus dixit: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis advenerit. Prov. 1. v. 26.* Peccant graviter omnes illi in Eccleſiâ, qui parùm curant vicinos & amicos, ut ad congratulationem veram

ram illos incitent, *qualis fuit frater filii prodigi &c. Luc. 15. vers. 28, 29, 30.* experientur illi aliquando, quod *Christus* dixit: *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos regnum DEI. Matth. 21. v. 31.*

USUS II. ADHORT.

SI Officium Ecclesiæ est lætari & Gaudium spirituale propagare ad Exemplum Captitis Jesu Christi, studeamus omnes & singuli, ut attendamus ad inventionem proximi, atque agnoscamus, quàm verum illud tempore N. T. quod *Esaias* prædixit nomine DEI: *Quæsiverunt me, qui ante non interrogabant, invenerunt, qui non quæsiverunt me, dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ nesciebat me, & non invocabat nomen meum. cap. 65. v. 1.* Studeamus omnes & singuli, ut consideremus miseriam proximi, atque agnoscamus quàm verum illud *Pauli: Omnes peccavérunt & egent gloriâ DEI. Rom. 3. v. 23.* Studeamus denique, ut omnes & singuli lætemur & amicos incitemus ad gaudium, atque animemus ad pœnitentiam proximi, atque agnoscamus, quàm verum illud *Salomonis: Animus gaudens erit bona medicina: Spiritus tristis exsiccat ossa. Proverb. 17. v. 22.*

USUS III. CONSOL.

SI Officium Ecclesiæ est lætari & Gaudium spirituale propagare ad Exemplum Capitis Jesu Christi, bono sint animo, qui illud propagant, atque illud *Pauli* observant: *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Rom. 12. v. 15.* Si *Caro nostra* nobis dictet, non esse Gaudium vel concipiendum, vel propagandum propter inventionem drachmæ, hominem pœnitentem & credentem, atque dictet potius illa: *Quomodo scit Deus, etsi est scientia in excelso? Psalm. 73. vers. 11.* novimus Spiritum aliud dictare, utpote cujus fructus longè alterius ordinis quæ recensentur *Gal. 5. v. 22.* Si *Mundus* dictet non esse gaudium vel concipiendum vel propagandum propter perditam drachmam sive peccatorem, si non permaneat in peccato, sed potius, si in viâ seculi persistat atque dictet illa:

illa: *Sit fortitudo noſtra lex injuſtitiæ, quod enim infirmum eſt utile reperitur. Sap. 2. v. 11.* novimus Spiritum aliud dictare lapſos ſcil. erigendos: *Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtaurate in Spiritu lenitatis, conſidera teipſum, ne & tu tenteris. Gal. 6. v. 1.* & non tantùm notandum, ſed & in id mandum, ut peccatores convertantur, juxta illud: *Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, ſcire debet, quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore ſuæ viæ, ſalvabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Jacob 5. v. 19. 20.* Si denique *Diabolus* non dictet eſſe Gaudium vel concipiendum vel propagandum propter drachmam recuperatam apud amicos, atque dictet potius illud ὄλωλε τελεσκακίας Effatum: *Deſtruite, deſtruite uſque ad fundamentum in eâ. Pſalm. 137. v. 7.* novimus Spiritum aliud dictare & velle, ut ad lætitiam excitemus ſuper pœnitente peccatore amicos & vicinos, qui acceſſerunt ad *Chriſtum*, & *lapides, vivi ædificantur* in illo, & propterea facilè lætantur cum cæteris ſibi conjunctis *1. Pet. 2. v. 4.* qui divites charitate & propterea facilè congaudent, obſervantes illud *Pauli: Pax DEI palmam obtineat in cordibus noſtris. Coloſſ. 3. v. 14.* qui denique ipſo Salvatori grati, accepti & amici, imò membra illius, & propterea ipſo tanquam Capite lætante unà, lætantur, experti, quàm verum illud: *Ecce vir germen nomen ejus, & ſub eo germinabit. Zach. 6. v. 12.* AMEN.

DOMINICA IV. POST TRINITATIS, LUC. VI. ℣. 41.

Τίβλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου· τὴν δὲ δοκὸν τὴν ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ οὐ κατανοεῖς;

Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui: trabem autem, quæ in oculo proprio eſt, non animadvertis?

Imis acutùm vidit quondam Saul primus Rex Iſraelis, dum præceptum transgredientem Jonathanem & per ſortem deſignatum allocutus

est præcipitanter *1. Sam. 14. v. 44.* Nimis acutùm vidit Saul Rex, quia nimium attendit præcepto suo, in populum curiosiùs justo inquisivit. Conscientias temerariè hic Rex obligárat, nec ex zelo gloriæ divinæ, sed victoriæ persequendæ studio & appetitu calido, adjuraverat præsentes, & dixerat: *maledictus unusquisque, qui comederit aliquid usque ad vesperam, quo persequi possim hostes meos*, quapropter accuratè observat, num hoc præceptum fuerit observatum, dispicit in toto populo, & in omnes se exhibet intentum, cùm tamen ille divinum fuerit transgressus mandatum, graviter paulò antea peccarit, ut dixerit eidem *Samuel: Stultè egisti, non custodisti mandata Domini, DEI tui, quæ præcepit tibi. 1. Sam. 13 v. 13.* Nimis acutùm vidit quondã Saul & severum se exhibuit, quia exiguum, quod deliquit Jonathan, si delictum vocandum, exaggeravit & reprehendit. Venerat populus in *Sylvam* mediam i. e. inter *Michmas* & *Ajalon*, ubi mel fluebat ad indolem terræ sanctæ, quia itaque *Jonathan* lassus & fatigatus, nec de præcepto patris quicquam noverat, utpote qui non erat in castris, cùm promulgaretur, sed extra illa, & proinde gustasset aliquid mellis intincto baculo, unde *oculi illius vegeti redditi*, utpote qui antea ex lassitudine obtenebrati & languidi, confestim *Saul* hanc transgressionem æstimat, expendit, ut grande quid adspicit & pronunciat: *ut DEUS vivit, Jonathan morietur*, nec dubium illum exsecuturum fuisse, ni populus interveniisset, qui dixit: *num Jonathan morietur, qui tantam salutem fecit in Israël*, respice quæso Rex in te, quid dixeris cum *bestiis* subveniisses, *1. Sam. 11. vers. 13.* Nimis acutùm vidit Saul Rex, quia oculos suos direxit in Jonathanem. Erat hic *Jonathan* caro & sanguis illius, qui affectionis non potuisset esse vinculi, unà cum ipso liberatus è manu & potestate *Philistæorum*, ejusdem Exercitus *Israëlitici* & Ecclesiæ V. T. membrum, qui ut *David* loquitur in Spiritu: *morte non fuit divisus & divulsus à Saule*, nihilominus torvum videt *Saul*, oculos minaces in illum dirigit & vult sublatum, eum qui successor futurus, quique jam constitutus Dux super mille viros, feliciterque hactenus gessit commissum officium de quo *1. Sam. 13. v. 2. & 3.* Non tam severum Censorem sese exhibuit quondam *Saul*, æquè severos sese exhibuerunt *Pharisæi*, unde *Christus*:

fac: Quid vides festucam in oculo fratris tui: trabem autem, quæ in oculo proprio est, non animadvertis? de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

Quod *gentilibus* etiam ex Lumine Naturæ notum, illud *Salvator* noster in *Pharisæos* torsit, dum dixit: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: trabem autem, quæ in oculo proprio est, non animadvertis?* Dixit I. Quid vides? quid adspicis cur oculos divagari sinas, & nunc huc nunc illuc flectis, ut omnia accuratè explores? In græco occurrit vox βλέπεις, quæ usurpatur de *incredulis* & cœcis spiritualiter talibus *Matth. 13. v. 13.* quæ usurpatur de homine illo prope *Bethsaidam*, qui cum oculos sustulisset, vidit homines ire, *tanquam arbores Marc. 8. v. 24.* denique de *Discipulo illo*, qui putavit, se uno oculo posse respicere cœlum, altero verò terram, de quo *Simone Luc. 9. v. 62.* Dixit II. Quid vides festucam? per *festucam* intelligitur hîc infirmitas quædam humana, defectus aliquis, aliquorum quoddam bonæ mentis. In græco occurrit vox κάρφος, quæ notat paleam vel stipulam, culmum ex herbâ vel stramine, adeoque notat aliquid infirmum, unde *Jobus: Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris* ex *cap. 13. v. 25.* quæ notat festucam ein Splitter oder Spreißlein ex ligno, cujus tam quippe trabi, adeoque aliquid vile, unde de *Paulo Actorum*, quod *collegerit* ejusmodi *ramenta in ignem excitandum Act. 28. v. 3.* quæ denique notat flocculum & minutum apparens in *stramine*, quod Phrenetici & moribundi solent legere & colligere, adeoque aliquid exiguum. unde *Esaias* Regem *Assyrium* introducit loquentem: *Invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: & sicut colligantur ova, quæ derelicta sunt, universam terram ego congregavi, & non fuit qui moveret alam, & aperiret os, & ganniret.* ex *cap. 10. v. 14.* Dixit III. Quid vides festucam fratris tui? cum quo vivis, conversaris & agis, qui ex eodem tecum luto & origine, ut *Paulus* dicat: *Deus fecit ex uno sanguine genus humanum. Act. 17. v. 26.* qui eodem tecum sanguine redemptus, ut *Paulus* dicat: *Unus Deus, unus & mediator DEI & hominum, homo Christus Jesus, qui*

precium redemtionis semetipsum dedit pro omnibus, 1. Timoth. 2. v. 5. & 6. qui denique eodem tecum gaudet Spiritu, vocante ad Ecclesiam, ut *Paulus* dicat: *Fratres sancti vocationis cœlestis participes considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Christum Jesum. Ebræor. 3. v. 1.*

L. D.

VIdemus, Quòd nimis intensa Inspectio & Observatio vitæ & actionum proximi extra Officii conditionem & obligationem planè à Christo non probetur, sed potius rejiciatur, reprobetur & condemnetur. Jure reprobatur nimis Intensa Inspectio vitæ & actionum proximi I. ex visionis vitiositate, quia illa est curiosa Oculorum circumductio. Vident istiusmodi homines oculo obtenebrato non videntes, ut *Ecclesiastes* dicat: *Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris ambulat. cap. 2. v. 14.* vident istiusmodi homines oculo perverso arbores pro hominibus & viciſſim, ut *Salomon* dicat: *Homo belial, vir iniquus, graditur ore perverso, & annuit oculis, terit pede, loquitur digito, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat. Prov. 6. v. 12, 13, 14.* vide nt istiusmodi homines oculo terreno, qui etiam cum proximi malo & damno in illa prospicit, ut *David* dicat: *Sedet in insidiis vestibulorum, in occulto interficit innocentem. Psalm. 10. v. 8.* Ut maximè peccaminosum & reprehensibilem se stitit *Laban*, cujus facies non amplius serena, quia oculus illius perversè *Jacobum* fuit intuitus, de quo *Gen. 31. v. 5.* ita peccaminosos sese exhibent maximè illi & reprehendendos, qui oculo obtenebrato, perverso & terreno adspiciunt proximum, nec oculus attendunt illud *Christi: Lucerna corporis tui tuus; si igitur oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum est, si autem oculus tuus fuerit malus, totum corpus tuum tenebrosum erit. Matth. 6. v. 22, & 23.* Jure reprobatur nimis intensa Inspectio vitæ & actionum proximi II. ex Infirmitatis Levitate, quia illa nihil aliud nisi stipularum prehensio, festucarum Collectio & flocculorum sectatio. Non expendunt istiusmodi homines, quòd vivamus in agro hujus mundi, ubi semper aliqua stipula Infirmitatis oculos petit, ut cum *Salomone* dicendum: *Curvum non potest fieri rectum: & defectus non possunt*

possunt numerari. ex *Eccles. 1. v. 15.* non expendunt, quòd vivamus extra paradisum in deserto hujus seculi, ubi semper aliqua festuca scandali ex arboribus scandalosis sese oculis insinuat, ut cum *Jeremiâ* dicendum: *Quemadmodum mox obliviscitur mei populus meus, vanitati adolentes thymiamata, & offendicula excitantes in viis suis & in semitis extricatis, ut ambularent per semitas, itinere non trito.* ex *cap. 18. v. 15.* non expendunt, quòd vivamus in hoc *Nosodochio* Mundi, ubi semper flocculi aliqui oculis advolant, ut dicendum cum *Salomone: quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato?* ex *Proverb. 20. v. 9.* Ut maximè peccaminosum & reprehensibilem se stitit *Aaron* & *Miriam*, quia leve quid in *Zipporâ* culparunt & *Moysi*, de quo *Num. 12. v. 1.* ita peccaminosos se exhibent maximè illi & reprehendendos, qui stipulas festucas & flocculos in proximo videndunt & reprehendunt, nec observant illud *Pauli: Charitas omnia sustinet. 1. Cor. 13. v. 7.* Jure reprobatur nimis intensa Inspectio vitæ & actionum proximi III. ex Fraternitatis propinquitate, quia illa est deliquium charitatis fraternæ. Non attendit oculus talis obtenebratus, quòd unum habeamus Creatorem, qui ex eâdem mihil omnes finxit, negligitque illud: *Nunquid non pater unus omnium vestrum? nunquid non Deus unus creavit nos? quare ergò prævaricatur unusquisque vestrum fratrem suum, violans pactum Patrum vestrorum. Mal. 2. v. 10.* non attendit talis perversus, quòd unum habeamus Redemptorem, qui omnes sanguine suo emit, negligitque illud *Pauli: In hoc Christus & mortuus est, & resurrexit, ut & vivorum & mortuorum dominetur; tu autem quid judicas fratrem tuum, aut tu, quare spernis fratrem tuum; omnes enim sistemur ante tribunal Christi. Roman. 14. vers. 9. & 10.* non attendit Oculus talis terrenus, quòd unum habeamus Spiritum præsidem Ecclesiæ, qui secundùm Legem nos vivere vult & diligere proximum, negligitque illud: *Nolite detrahere alterutrum fratrem mei: qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem. Si autem judicas Legem, non es factor Legis, sed judex. Jacob. 4. v. 11.* Ut maximè peccaminosum & reprehensibilem se stitit *Ismael*, quia fratrem *Isaacum* non observavit *sed risit* & persecutus fuit *Gen. 21. vers. 9.* ita peccaminosos se exhibent maximè illi & reprehendendos, qui fraternitatem non attendunt, judicium, que illâ non attentâ sibi arripiunt, nec

attendunt illud *Christi*: *Volo eum manere, donec veniam, quid ad te? Joh. 21. v. 23.*

USUS I. DEHORT.

SI jure reprobatur à Christo nimis intensa Inspectio vitæ & actionum proximi, peccant graviter, qui curiosos oculos circumferunt & ad alios semper reflectunt, *qui gressus nostros nunc circumdederunt, oculos suos posuêrunt, ut nos detrudant in terram.* quales describuntur *Psalm. 17. vers. 11.* sanè quemadmodum maledictio prehendit *Labanem* ita & illos, memores potius esse deberent illius: *Stultus à fenestrâ respiciet in domum: Vir autem eruditus foris stabit.* ex *Syracidis cap. 21. v. 25.* Peccant graviter, qui etiam minima in proximo attendunt, carpunt & reprehendunt, quales *Pharisæi*, qui *evulsionem Spicarum* taxavêrunt *Matth. 12. v. 2.* sanè, quemadmodum Lepra ad hæsit *Miriam*, ita illi digni calamitate, memores potius esse deberent illius: *Ne te extollas in consilio reprehensionis, nec folia tua consumantur, fructus tui pereant, & relinquaris tanquam aridum lignum. Syracidis 6. v. 2. & 3.* Peccant graviter, qui fratris propinquitatem non observant, sed negligunt, similes *Caino, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum.* quales describuntur *1. Joh. 3. v. 12.* sanè quemadmodum *Ismael* ejectus fuit domo *Abrahæ*, & conversatione Ecclesiasticâ, ita illi, spirituali fraternitate movendi, memores potius esse deberent illius: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ tibi præcepta sunt, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fis curiosus, non est enim tibi necessarium ea scire, quæ abscondita sunt, in supervacuis rebus ne scrutari multipliciter, & pluribus operibus ejus ne fis curiosus: plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Syracides 3. vers. 21. 22, 23, 24, 25.*

USUS II. ADHORT.

SI jure reprobatur à Christo nimis intensa Inspectio vitæ & actionum proximi, studeamus, omnes & singuli, ut cau-

ut candidus & ingenuus sit nobis in Corde Oculus, atque observemus, ut vestigii *Jobi* insistentes dicere possimus: *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam.* ex *Jobi 29. v. 15, 16.* Studeamus, ut stipulas, & festucas, atque flocculos proximi lubenter toleremus, atque observemus illud *Pauli: Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instaurate in Spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Galat. 6. vers. 1, & 2.* Studeamus omnes & singuli, ut fratrem observemus & fraternè tractemus, atque observemus illud *Petri: Ministrate in pietate amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis charitatem: hæc si vobis copiosè adfuerint, non vacuos nec sine opere vos constituent in Domini nostri Jesu cognitione. 2. Epistola cap. 1. v. 7, & 8.*

USUS III. CONSOL.

Si jure reprobatur à Christo nimis intensa Inspectio vitæ & actionum proximi, bono sint animo, qui in se ipsos inspiciunt, atque verè cum *Davide* dicere possunt: *Quando non flevi, & flere feci animam meam &c.* ex *Ps. 131. v. 2.* Si *Diabolus* nos in nostrum quoque suffundere studeat, ut *fiat nequam Matth. 20. v. 15.* novimus, si DEUM rogemus pro assistentiâ suâ, largiturum nobis oculum clarum, ut *videamus mirabilia in Lege Psalm. 119. v. 18. oculum rectum, ut simus benedicti Proverb. 22. v 9.* Oculum denique cœlestem, qui ad cœlestem Societatem intendat & potius remirat, quam censeat *Actor. 7, v. 56. & 60.* Si *Caro* nostra nobis dictet minima etiam esse sub censuram vocanda, & *illotis manibus* sucenseat cum *Pharisæus Matth. 15. v. 2.* novimus, si DEUM rogemus pro Assistentia suâ, illum non stipulas, festucas & flocculos proximi sed charismata illius exhibiturum, ut non in *Chamo* nuditatem spectemus *Noachi*, sed cum *Semo* & *Japheto* pallio charitatis operiamus & in illo splendorem pietatis admiremur *Gen. 9. vers. 23.* non festucam *Abrahami* in *Ægypto* & *Gerare*, sed illius fidem & fiduciam *Gen. 44. v. 21.* non flocculos *Jacobi* ex deceptione *Labanis*, sed robur Spiritus, dum depugnavit *Gen. 32, v. 28.* Si denique

Mun-

Mundus fraternitatem arctet, & noſtros tantùm velit amari, non cenſeri *Matth. 5. v. 47.* novimus ſi DEUM rogemus pro Aſſiſtentiâ ſuâ, exhibiturum proximum ſub ſpecie fratris, quem ipſe nobiscum creavit, ut dicamus: *Nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus eſt, & formavit eum in utero.* ex *Jobi 31. v. 15.* ſub ſpecie fratris, quem Chriſtus redemit, ut dicamus: *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes: propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te.* ex *Ebr. 2. v. 11, 12.* ſub ſpecie fratris, qui à Spiritu ſancto eodem Verbo & Sacramentis ornatus, coronatus, ut dicamus: *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive gentiles, ſive ſervi, ſive liberi & omnes in unum Spiritum potati ſumus. 1. Corinth. 12. v. 13.* atque hunc ſenſum in nobis conſervaturum, usque dum ex imperfectâ charitate fratrum deducendi ad perfectam, in vitâ æternâ, AMEN.

DOMINICA V. POST TRINITATIS, LUC. V. ℣l. 8.

Ἰδὼν δὲ Σίμων Πέτρος, προσέπεσε τοῖς γόνασι τοῦ Ἰησοῦ, λέγων, Ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι, Κύριε.

Quod cùm videret Simon Petrus procidit ad genua JEſu, dicens, diſcede à me, Domine, quia homo peccator ſum.

INgenuè quondam Mephiboſeth, agnoſcens ſuam ſuorumque Miſeriam dixit coram Rege Davide: *Non fuit domus Patris mei, niſi morti obnoxia Domino meo regi. 2. Sam. 19. v. 28.* Ingenuè egit & locutus eſt Mephiboſeth, quia de ſeipſo hoc dixit. Erat hic *Mephiboſeth* filius *Jonathanis*, qui in ſummâ erat gratiâ quondam apud *Davidem*, lætum nuncium acceperat, cum adhuc ageret privatus, in domo *Machir*, & *conſtanter* adhæſerat *Davidi*, etiam tempore perſecutionis, utut à *Ziba* falſo delatus fuerit, nihilominus fatetur

fatetur se esse cum Domo Patris & fuisse filium mortis, agnoscit se esse debilem corpore & animo, atque se humiliat, ut quondam, cùm primùm vocaretur ad mensam regiam, de quo 2. *Sam. 8. vers. 8.* Ingenuè egit & locutus est Mephiboseth, quia agnovit se cum suis esse filium mortis vel fuisse. Ceciderat ille in primis vitæ annis & tenerâ ætate, factus inde miser & claudus pedibus, corporis erat infirmi & animi, nec ad Sceptrum vel regimen aptus, peccaverat domus *Saulitica*, ex quâ oriundus non uno modo contra *Davidem*, quapropter hoc humiliter agnoscit, dicit omnes è domo patris sui, & sese mortis fuisse reos & potuisse pœnâ extremâ affici, ut quidem postea contigit filiis *Saulis*, de quo 2. *Sam.* 21. *v.* 6, 7, 8, 9. Ingenuè egit & locutus est Mephiboseth, quia laesus hoc ipsum erat coram Rege. Peccaverat *Saul* in innocentem *Davidem*, illum persequendo, in Exilio nunc hic nunc illic quærendo, mortemque ei aliquoties intentando, quapropter agnovit *Mephiboseth* domum patris sui fuisse nocentem, *Davidem* autem Regem innocentem, integrum & nullius sceleris, cujus accusabatur, reum, adeoque agnoscit, quod agnoverunt tribus *Israelis* 2. *Sam.* 5. 1, 2. Quod quondam ingenuè fecit & loquutus est *Mephiboseth* coram *Davide*, illud ingenuè & candidè quoque fecit & loquutus est coram filio *David Petrus*, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

Jusserat *Petrus*, *Christum* discedere, & dixerat, *Discede à me*, ne itaque videretur hoc dixisse absque causâ addit: *Nam homo peccator sum Domine.* In quibus Verbis observandum I. Quis se peccatorem vocet; fuit autem ille unus ex Discipulis *Christi*, qui aliàs dicitur filius *Jonæ* sive *Johannæ*, quasi dicas gratiosi, ut constat ex *Matthæo* 16. *v.* 17. qui aliàs dicitur *Simon*, sive auditor scil. Verbi divini, quique illud auribus & corde devoto excepit, ut constat ex *Lucæ* 22. *v.* 32. qui denique dicitur *Cephas*, sive *Petrus*, quasi dicas firmum & constantem, qui petræ Ecclesiæ inhæret & se totum committit, ut constat ex *Joban. 1. vers.* 42. II. Observandum quem se vocet. Dicit autem: *homo peccator sum*, ἀνὴρ ἁμαρτω-

λός εἰμι, sum in peccato conceptus & natus, *caro de carne Joban. 3. v. 6.* sum corruptus in omnibus meis facultatibus per naturam *& figmentum cordis mei est tantùm malum Gen. 6. v. 5.* sum denique maximè sordidus in omnibus actionibus meis, quibus huc usque aliquid adhæsit, quod contaminavit, adeoque nimis verum esse deprehendo, quod dixit *Solomon: Non est homo, qui non peccet. 1. Reg. 8. v. 46.* III. Observandum quomodo se peccatorem vocet. Loquitur autem ita, ut comparet se *Christo*, nihil commune illum habere cum peccatore homine agnoscat & dicat: *homo peccator sum Domine, tu* solus es conceptus absque peccato, & natus ex Virgine, juxta prædictionem *Angeli: Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius DEI. Luc. 1. v. 35.* tu solus in omnibus facultatibus tuis es integer & absque labe, juxta prædictionem *Esai: Ecce servus meus, sustentabo eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea; dedi Spiritum meum super illum, judicium gentibus proferet. cap. 42. v. 1.* tu solus in omnibus actionibus, & viis tuis es mundus & absque sordibus, juxta prædictionem *Jeremiæ: Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terrâ: in diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter, & hoc est nomen, quo vocabunt eum, Jehova justitia nostra. cap. 23. v. 5, & 6.*

L. D.

VIdemus, Quid omnibus & singulis humiliter non tantùm agnoscendum, sed & publicè confitendum, nempè illud quod *Paulus* dicit: *Omnes peccavêrunt & egent gloriâ DEI. Rom. 3. v. 23.* Omnibus profitendum est se esse peccatores I. ex Regenitorum Conditione, quia etiam illi, qui regenerati, non excipiuntur è numero peccatorum, sed profitentur se tales esse. Peccatores sunt etiam illi, qui ex *Johannâ* sive Jonâ aliquo in gratia constituto procreati, de quibus *Tobias: Nolite loqui, quoniam filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam daturus est DEUS his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. cap. 2. v. 17, & 18.* Peccatores sunt etiam illi, qui *Simones*, sive auditores Verbi, de quibus ipse

ipse *Christus*, quòd semen sint quod in bonam terram cecidit; *qui corde bono & sincero audientes Verbum retinent, & fructum afferunt in patientiâ. Luc. 8. v. 15.* peccatores denique sunt etiam illi, qui *Petri*, petræ *Christo* inhærentes, de quibus *Paulus: Qui ergò in Christo, nova est creatura. 2. Corinth. 5. v. 17.* Ut quondam etiam illi, qui rubrum mare transiverunt, miraculosè à DEO liberati, nihilominus confestim murmurarunt in *Mara* & cordis indolem manifestarunt, de quo *Exodi 15. v. 22, 23, 24.* ita quamvis homines sint regeniti, liberati à DEO, transeuntes per mare rubrum Baptismi, tamen sunt peccatores, de quibus dicendum: *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non, quæcunque vultis, illa faciatis.* ex *Gal. 5. v. 17.* Omnibus profitendum est se esse peccatores II. ex mali Extensione, quia nativitatem, Facultates & actiones omnes nostras conspurcat peccatum. Ingemiscendum est singulis & dicendum ob peccaminosam conceptionem & nativitatem: *Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere? ecce inter sanctos ejus nemo integer, & cœli non sunt mundi in conspectu ejus? quantò magis abominabilis & putridus homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* ex *Jobi 15. vers. 14, 15, 16.* Ingemiscendum est omnibus & singulis. & dicendum ob peccaminosam Facultatum Corruptionem: *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ, emarcuimus quasi folium Universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* ex *Esa. 64. v. 6.* Ingemiscendum est singulis & dicendum ob peccaminosam actionum corruptionem: *Omnes declinavérunt, simul inutiles facti sunt omnes, non est qui faciat bonum, non est qui ad unum: Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum; quorum os maledictione & amaritudine plenum est, Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognovérunt, non est timor DEI ante oculos eorum.* ex *Roman. 3. v. 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18.* Ut quondam sese contaminarunt profunde & internè *Israelitæ* sanguine crudo, qui erant cum *Saule*, de quo *1. Sam. 14. v. 33.* ita omnes & singuli homines contaminant se sanguine peccati, de quibus dicendum: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra abscondérunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret; manus enim vestræ pol-*

lutæ sunt sanguine & digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur. ex *Esaiæ 59; v. 8, & 3.* Omnibus profitendum est se esse peccatores III. ex Unius Exceptione, quia unus cui se comparat Petrus, Dominus, qui sanctissimus & peccati expers solus. Salvator noster absq; peccato conceptus est, natus ex Virgine absque virili semine, ut *Esaias* dicat: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Immanuel; butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum. cap. 7. v. 14, 15.* solus Salvator noster absque peccato, & labe est in omnibus facultatibus suis, ut Sponsa dicat. *Dilectus meus candidus & rubicundus est inter decem millia, Caput ejus massa auri purissimi; comæ ejus crispæ nigræ quasi corvus: oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & existentes in plenitudine; genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis, labia ejus rosæ distillantes myrrham primam, manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis, venter ejus est ebur nitens distinctum sapphiris: crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundata sunt super bases aureas, species ejus ut libanis, electus ut cedri: guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis, talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Jerusalem. Cant. 5. v. 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16.* solus Salvator noster absque peccato est, & fuit in omnibus actibus suis & per omnem vitam, ut *Paulus* dicat: *Talis decebat, ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, Segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis factus. Ebræor. 7. v. 26.* Ut quondam solus *Josua* fuit vir, in quo Spiritus Domini præ omni populo *Numer. 27. v. 18.* ita solus Salvator est absque carnali affectu & peccato, plenusque Spiritu, de quo dicendum: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & timoris Domini erit in eo, & odoratus erit in timore Domini, non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet, sed judicabit in justitiâ pauperes, & arguet æquitate mansuetos terræ, & percutiet terram virgâ oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* ex *Esaiæ 11. v. 2, 3, 4.*

USUS

USUS I. DEHORT.

Si omnibus hominibus profitendum se esse peccatores, caveamus, ne opinemur regenerationem & renovationem nostram in hac vitâ ita esse perfectam, ut peccatum excludat, dicentes: *Dives sum, paravi mihi vires, in omnibus laboribus meis non inveniet mihi iniquitas, quæ sit peccatum.* ex *Oseæ 12. vers. 8.* memores quid *David* dicat: *Pro hâc orabit te omnis sanctus, in tempore opportuno, veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt Psalm. 32. v. 6.* Caveamus, ne opinemur corruptionem nostram non tam esse profundam, dicentes cum *Pharisæis: Numquid & nos cæci sumus? Joan. 9. v. 40.* memores, quid *Jobus* dicat: *Non justificatur homo comparatus DEO; si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum de mille. cap. 9. vers. 2, & 3.* Caveamus denique, ne opinemur nos Christo esse æquales, dicentes: *Omnia hæc custodivi à juventute mea, quid mihi adhuc deest? Matth. 19. v. 20.* memores, quid *Esaias* dicat: *Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus, omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum. cap. 53. v. 6, & 3.*

USUS II. ADHORT.

Si omnibus hominibus profitendum est se esse peccatores, ingenuè etiam peccata, utut simus in Ecclesiâ & membra Christi, confiteamur, atque dicamus: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, rebelles fuimus, declinavimus à mandatis tuis & judiciis, non obedivimus servis tuis Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo Regibus nostris, principibus nostris, omnique populo terræ; tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei. Dan. 9. v. 5, 6, & 7.* omnes & singulos tam profunda corruptione suspiremus, atque dicamus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis; infelix homo, quis me liberabit de corpore hujus mortis. Rom. 7. vers. 23. & 24. &*

tandem ad unicum *Christum*, qui absque peccato, nos recipiamus atque dicamus: *Ego per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam, Christo sum Cruci confixus, vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus, quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii DEI, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Gal. 2. v. 19. & 20.*

USUS III. CONSOL.

SI omnibus hominibus profitendum est se esse peccatores, bono sint animo, qui agnoscunt & profitentur se esse peccatores & quotidiè ingemiscunt: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam: & secundùm multitudinem miserationum tuarum, multùm lava me ab iniquitate meâ; & à peccato meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper. Psalm. 51. v. 3, 4, 5.* Si etiam nobis regenitis conquerendum: *Scio, quia non habitat in me, hoc est in carne meâ, bonum; nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio, non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ego. Rom. 7. v. 18, 19.* novimus DEUM per regenerationem nos fecisse dilectos in dilecto, ut simus filii gratiæ, juxta illud: *Peccatum vobis non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratiâ. Rom. 6. v. 14.* Esse nos auditores Evangelii. & audire illos, qui dicunt *pax, pax Esaiæ 52. v. 7.* Esse nos *petrinos lapides in lapide angulari Eph. 2. v. 20, 21.* Si etiam nobis conquerendum ob profundam corruptionem & dicendum: *Omne caput languidum & totum cor ægrotum, à plantâ pedis usque ad verticem non est in eo integrum quiddam, vulnus & livor & plaga humida, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Esa. 1. v. 5, 6.* novimus nos regenitos esse ex *Semine incorruptibili verbi 1. Pet. 1. v. 23.* nos in facultatibus nostris esse reformatos & factos esse *lucem in Domino, qui quondam Tenebræ Eph. 5. v. 8.* nos denique *in incursionibus nostris à Spiritu juvari Rom. 8. v. 2.* Si denique etiam nobis conquerendum & dicendum: *Domine non sum dignus, ut intres tectum meum. Matth. 8. v. 8.* novimus *Christum* natum esse absque peccato, ut peccaminosam nostram nativitatem sanctificet, & omnes simus *filii DEI per fidem baptizati sc. Gal. 3. v. 26, 27.* fuisse in omnibus facultatibus suis absque peccato, ut

omnes

omnes facultates noſtras ſerenet & ſanctificet atque compleat, quod promiſit: *Dabo eis cor ſanum, & viam unam, ut timeant me univerſis diebus. & benè ſit eis & eorum filiis poſt eos. Jerem. 32. v. 39.* fuiſſe denique in omnibus ſuis actionibus & totâ vitâ absque peccato, ut vel tandem nos poſt hanc vitam in alterâ nos ſiſtat absque peccato & ſibi *ſimiles*, juxta illud: *Chariſſimi nunc filii DEI ſumus, & nondum apparuit quid erimus: ſcimus autem, quoniam, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. 1. Joban. 3. v. 2.* AMEN, AMEN.

DOMINICA VI. POST TRINITATIS, MATTH. V. ℣ſ. 26.

ἀμὴν λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν. ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην.

Amen dico tibi, Non exibis illinc, donec perſolveris extremum quadrantem.

Riſte fatum fuit quondam, quod ſenſit Zedekias cum ſuis, Judicium quippe Rex Nabuchodonoſor habuit, eidem peccatum & transgreſſionem, quâ ſe contaminavit, objecit & condemnatum, oculisque privatum captivum abduxit, ita ut nunquam redierit in terram ſanctam, de quo *Jerem. 39. v. 5, 6, 7.* Triſte fatum fuit, quod expertus Zedekias, quia Judicium ſuper illum fuit habitum. Erat Rex *Nabuchodonoſor* jure ſummo inſtructus, qui præſcripſerat *Zedekiæ*, quid faciendum, quid omittendum, potens ſatis ad tuendum Verbum ſuum, quod ipſi publicarat & tandem etiam ipſum vocans ad Judicium; quapropter adductum in Urbem *Riblath* ſitam in Urbe *Naphtali*, judicat, damnat tanquam talis Rex de quo *Daniel*: *Rex Regum es, & Deus cæli regnum & facultates & potentiam dedit tibi, & gloriam, & omnia in quibus habitant filii hominum, & beſtiæ agri, volucres quoque cæli dedit in manu tuâ, & ſub ditione tuâ univerſa conſtituit*

cap. 2.

cap.2.v.37,38. Triste fatum fuit, quod expertus Zedekias, quia impius & pacti transgressor. Erat hic *Zedekias* non ad legem divinam animum componens, nec satis reverens DEUM suum; quapropter etiam aliis peccatis contra homines sese contaminavit, unde non mirum fuit, transgressum illum, quod constituerat *Nabuchodonosor*, adeoque pactum & jusjurandum violasse, atque hoc ipso supplicio dignum sese fecisse, ut propterea populo conquerendum: *Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccavimus.* ex *Thren. 5. v. 16.* Triste fatum fuit, quod expertus Zedekias, quia in perpetuam captivitatem fuit abductus. Non tantùm occidi jussit *Nabuchodonosor* liberos omnes coram oculis illius & principes Juda, sed & ipsi Regi oculos effodi, & vinctum cum cæteris abduci in *Babelem*, quæ à *confusione* nomen accepit, Urbs fuit amplissima & locus captivitatis talis, ex quo ille nunquam rediit in terram lacte & melle fluentem, de quo DEUS pronunciari jussit: *Sicut fice pessimæ, quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ: ita dabo Sedekiam Regem Juda, & principes ejus, & reliquos de Jerusalem, qui remanserunt in urbe hâc, & qui habitant in terrâ Ægypti. Jeremiæ 24. v. 8.* Ut quondam triste fatum sensit *Zedekias*, ita consimile vel tristius annunciatur in verbis prælectis, de quibus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

UT aliàs sententiæ finiuntur graviter, ita & hæc. Dicitur quippe: *Amen dico tibi, nequaquam exibis illinc, donec persolveris novissimum quadrantem.* In quibus verbis observandum I. Quis dicat; dicit autem ille, qui quondam legem tulit in monte *Sinai*, inter *fulgura & fulmina* teste *Stephano Actor. 7. v. 38.* qui legem malè expositam à *Pharisæis* & glossis conspurcatam repurgavit, vindicavit atque apertè dixit: *Nolite putare, quoniam solvere veni legem aut prophetas, non veni solvere, sed adimplere. Matth. 5. v. 17.* ille, qui secundum legem impios & infideles judicabit & condemnabit, cujus ministerium propterea *ministerium damnationis* dicitur 2. *Cor. 3. v. 9.* Observandum II. Cui dicat; dicit autem illi, qui fratrem quocunque modo vel *cogitatu* vel *gestu* vel *voce occidit*, qualis describi-

tur

tur *1 Johan. 3. v. 15.* illi, qui vult aliquid offerre DEO in altari, exhibere victimam vel suffitum devotionis aut precum, & cum *Davide* dicit: *Ego in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo. Psalm. 5. v. 8.* illi, qui in viâ ad Beatitudinem & proinde cavere debet, ne indecenter ambulet, sed pacificè cum illo agat, qui etiam est adversarius, juxta illud *Amos 3. v. 3.* III. Observandum, Quid dicat, dicit autem: *non exibis illinc*, nempe è custodiâ vel carcere infernali, loco obscurissimo, qui per *exteriores tenebras* significatur *Matth. 8. v. 12.* loco molesto & *insatiabili*, qui ita describitur *Proverb. 27. v. 20.* loco profundo & à Beatitudine remotissimo, qui per *Abyssum* significatur *Luc. 8. v. 31.*

L. D.

Videmus, Quòd nulla sit spes damnatis evadendi, sed æternum teneantur concluſi. Nulla est Spes evadendi damnatis I. ex Legislatoris Authoritate, qui enim damnatis irascitur, est ille Legislator, qui inter terribilia fulgura, tonitrua & fulmina legem promulgavit, & veniet cum fulminibus in impios, *quia dixit: Justum est apud Deum reddere vobis, qui tribulamini, requiem vobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo, cum Angelis virtutis ejus, in flammâ ignis, dantis vindictam iis, qui non novérunt Deum, & qui non obedierunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt interitum æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 7, 8, 9.* qui damnatis irascitur, est ille Legislator, qui legem latam in diebus carnis suæ vindicavit & complevit illud *Malachiæ: Quis sustinebit ad videndum eum, cum apparuerit; ipse enim quasi ignis conflans & quasi herba fullonum, & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & fundet eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitiâ. cap. 3. vers. 2, & 3.* ille, qui damnatis irascitur, est ille Legislator, qui juxta legem à se promulgatam judicabit & condemnabit, de quo *Paulus: Deus reddet unicuique secundùm opera sua; his quidem secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam, his autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati*

tati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia, in omnem animam hominis operantis malum. Rom. 2. v. 6, 7, 8, 9. Ut quondam nulla spes evadendi fuit *Core, Dathan & Abiram*, quia à Legislatore non tantùm inferiori damnati, sed & supremæ fovex addicti *Num. 16. v. 32, 33.* ita quoque nulla spes evadendi est *damnatis*, quia addicti à summo Legislatore damnationi, de quo *Samuel: Triumphator in Israël non fallet, & non pœnitebit eum, neque enim est homo, ut pœnitentiam agat. 1. Sam. 15. v. 29.* Nulla est spes evadendi damnatis II. ex Mentis Impietate, sunt enim illi, qui damnantur tales, qui proximum non sincerè amarunt, sed omnibus quibus potuerunt modis, occiderunt & dixerunt pertinaciter: *Venite & cogitemus contra Jeremiam cogitationes: Venite & percutiamus eum linguâ, & non attendamus ad universos sermones ejus.* ex *Jerem. 18. v. 18.* sunt, qui damnantur, tales, qui Altare & Templum habuerunt, illud ingressi fuerunt, sed nec victimas nec suffitus placentes obtulerunt, de quibus ipse DEUS: *Cùm veneritis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? ne offeratis ultrà sacrificium, incensum abominatio est mihi; Neomeniam & Sabbathum, quando convocatis Ecclesiam, non feram fatigationem & coactionem, calendas vestras & solennitates vestras odit anima mea, defatigatus sum sustinendo. Esaiæ 1. v. 13, 14, 15.* sunt, qui damnantur tales, qui ambularunt in viâ ad Beatitudinem, sed distortè, quales describuntur à *Paulo: Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non agnoverunt, non est timor DEI ante oculos eorum. Rom. 3. v. 15, 16, 17.* Si quondam nulla spes evadendi fuit *Ægyptio* illi, qui in captivitatem ductus, quia impius in DEUM & proximum, cum quo litigabat *Levitici 24. v. 10, 11, 12.* ita quoque nulla spes evadendi est *damnatis*, quia impii & irreconciliabiles, de quibus *Johannes: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. 1. Epist. cap. 3. v. 15.* Nulla est spes evadendi damnatis III. ex Carceris Qualitate, est enim infernus carcer illis destinatus locus tenebricosissimus, ubi nulla lux vel spes affulget, juxta illud *Christi: Ligatis pedibus & manibus ejus mittite eum in tenebras exteriores Matth. 22. v. 13.* Locus capacissimus,

mus, qui nunquam arctitate suâ excludit, juxta illud: *Præparata est ab heri Tophet, pro Rege præparata, profunda & dilatata, habitatio ejus ignis & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Esaiæ 30. v. 33.* Locus denique profundissimus, qui nullo tempore recludendus, juxta illud *Christi: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Matth. 25. v. 41.* Ut quondam nulla spes evadendi fuit viro illi *ligna colligenti* in Sabbatho, sed carcer illius initium mortis, quia in id custodius *Num. 15. v. 33, 34, 35.* multò minus spes evadendi erit *damnato*, qui in hâc vitâ collegerunt ligna ad infernalem ignem, quia carcer ille æternus, ut *Esaias* dicat: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt abominatio omni carni.* ex *cap. 66. v. 24.*

USUS I. DEHORT.

Si nulla spes evadendi damnatis, caveamus, ne Legislatorem vilipendamus & dicamus: *Quis ostentet nobis bona?* ex *Ps. 4. v. 7.* memores illius: *Unus est legislator & judex, qui potest perdere & liberare. Jacobi 4. v. 12.* Caveamus, ne impios nos & irreconciliabiles sistamus & dicamus: *Venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* ex *Genes. 27. v. 41.* memores illius: *Judicium sine misericordiâ illi, qui non fecerit misericordiam. Jacobi 2. v. 13.* Caveamus denique ne ad carcerem relictâ libertate contendamus & dicamus: *Insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem, fruſtrà deglutiamus eum, sicut infernus viventem, & integrum quasi descendentem in puteum. Proverb. 1, v. 11. & 12.* memores illius: *Subditi estote DEO, resistite diabolo & fugiet à vobis. Jacobi 4. vers. 7.*

USUS II. ADHORT.

Si nulla spes evadendi damnatis, studeamus, ut primò omnium Legislatorem nostrum revereamur & veneremur, dicentes: *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis; apparuit de monte Pharan, & cum eo fuêrunt Sanctorum myriades in dexterâ ejus ignea lex. Deut. 33. v. 2.* Studeamus, ut cum fratre & proximo

nostro pacificè vivamus, ambulemus, dicentes cum *Abrahamo: Ne quæso sit jurgium inter me & te, inter pastores tuos & meos, fratres enim sumus.* ex *Gen. 13. v. 8.* Studeamus, ut denique ad libertatem ex hoc carcere suspiremus, dicentes: *Educ de custodiâ animam meam, ad confitendum nomini tuo: me enim cingent justi, quando retribues mihi.* ex *Psalm. 142. v. 8.*

USUS III. CONSOL.

SI nulla spes evadendi damnatis, bono sint animo, qui cum *Johanne* dicere possunt: *Charissimi, nunc filii DEI sumus, & nondum apparuit quod erimus, scimus autem, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* ex *1. Epistola cap. 3. v. 2.* Si Legislator nos terreat, utpote peccatores, juxta illud: *Scimus, quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur, ut omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus DEO. Rom. 3. v. 19.* novimus illum, qui Legislator est, esse quoque Evangelii promulgatorem, qui ipse: *Spiritus Domini super me, eò enim unxit Dominus me, ad Evangelizandum afflictis misit me, ad alligandum contritos corde, ad prædicandum captivis liberationem, & vinctis apertionem carceris, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis DEI nostri, ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis ornatum pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium gaudii pro Spiritu mœroris, & vocabuntur in eâ arbores justitiæ plantatio Domini ut glorificetur. Esaiæ 61. v. 1, 2, 3.* esse Evangelii Illustratorem in N. T. Lucem illam, qui ipse dixit: *Ego sum Lux Mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Joh. 8. v. 12.* esse qui ex Evangelio sententiam dicturus: *Venite benedicti Patris mei, hæreditate accipite regnum vobis paratum à constitutione Mundi. Matth. 25. v. 34.* Si viæ nostræ nos angant atque ex carne proclives simus *ad istam viam*, in quâ Inimicitia quoque sparsa adversus proximum & philautia *Matth. 7. v. 13.* novimus DEUM esse *Charitatem* & illam in nobis *accendere 1 Joh. 4. v. 16.* DEUM esse, cui placeant nostræ preces, cui dicere possimus: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* ex *Psalm. 141. v. 2.* DEUM esse, qui in viâ pedes nostras dirigat & vent-

venerit eâ de causâ *in carnem Luc. 1. v. 79.* Si denique *Diabolus* nos urgeat & rapere ad carcerem gestiat, *tanquam Leo rugiens, circumiens, quærens quem devoret. 1. Pet. 5. v. 8.* novimus Christum nos Verbo suo ducere ad Lucem æternam Libertatis & civitatem, *quæ non eget Sole, neque Lunâ, ut luceant in eâ; nam claritas Omnipotentis illuminabit eam, & lucerna ejus est agnus.* de qua *Apoc. 21. v. 22, 23.* ad domus *capacissimas* & *numerosas*, de quo *Job. 14. v. 2.* ad Beatitudinem æternam, de qua *Philo: Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces illorum, & cogitatio illorum apud Altissimum. ideò accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini, quoniam dextrâ suâ tegit illos & in brachio suo sancto defendet illos.* ex *Sap. 5. v. 16, 17.* AMEN.

DOMINICA VII. POST TRINITATIS, MARC. VIII. ℣. 6.

Καὶ παρήγγελε τῷ ὄχλῳ ἀναπεσεῖν ἐπὶ τῆς γῆς· καὶ λαβὼν τοὺς ἑπτὰ ἄρτους, εὐχαριστήσας ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα παρατιθῶσι· καὶ παρέθηκαν τῷ ὄχλῳ.

Et præcepit turbæ discumbere super terram: Et acceptu septem panibus, cùm gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis, ut apponerent: & apposuerunt turbæ.

Conformiter divino mandato & revelationi quondam egerunt Moses & Aaron in Deserto, dum voluerunt, ut in populo Israelitico ex Mannâ cœlitus delapso cederet unicuique sua portio, de quo *Exodi 16. v. 16, 17, 18.* Conformiter egerunt Mandato divino Moses & Aaron, dum scil. sese ministros DEI exhibuerunt. Fuerat *Moses* vocatus à DEO ad Officium peculiare, cùm adhuc ageret in *Midian*, nec non frater illius *Aaron*, quoque destinatus ab illo Muneri sacro; quapropter se accingerant Voluntati DEI, excipiunt revelationem de dando pane cælitus,

litus, spectant etiam miraculum præsens, & populo quærente de rore incumbente terræ, dicunt, hoc ipsum esse panem illum, quo DEUS intendat illos cibare, & sese exhibent fideles ministros, ut quidem de *Mose* inprimis deprædicat *Syrach*: *Similem illum fecit in gloriâ sanctorum & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstro placavit. cap. 45. v. 2.* Conformiter egerunt mandato divino Moses & Aaron, dum scil. imperaruntappropriationem. Sufficienter & liberaliter DEUS depluerat panem, cælitus dederat, quod nutrire posset & miraculo ingenti suam probarat potentiam, quapropter *Moses* cum *Aarone* curat, ut unicuique aliquid cedat, atque Gomor sive quinque libræ minores & tres unciæ, ut quidam computant, approprientur, unicuique ex populo de pane illo, quem deprædicat *David* dicendo: *Panem Angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantiâ; transtulit Eurum sub Cælo, & induxit in virtute suâ Africum, & pluit super eos sicut pulverem carnem, & sicut arenam maris volatilia pennata, Psalm. 78. v. 25, 26, 27.* Conformiter egerunt mandato divino Moses & Aaron, dum toti populo avido satisfecerunt. Erant *Israelitæ* tum temporis in Deserto *Sin*, postquam septimâ mansione fixissent iterum tentoria super mare rubrum, destituebantur alimentis ad vitam sustentandam necessariis, expetebant saturari maximè, quapropter DEO panem dante, *Moses* & *Aaron* totum populum pascunt, & contingit, ut unusquisque ex illo satietur, turba numerosissima, quæ educta ex *Ægypto*, cujus multitudo recensetur *Exodi 12. v. 37, 38.* Ut quondam *Moses* & *Aaron* populo huic procurarunt cibum, ita *Apostoli* quoque ad mandatum Christi distribuerunt in præsenti dominicali Evangelio, de quo *σὺν Θεῷ*.

EXEGESIS.

QUemadmodum aliàs ad Imperium Domini servi assistere & exequi solent jussa, ita concisa, ut paucis Verbis hîc dicitur: *Et apposuerunt Turbæ.* In quibus Verbis observandum I. Qui apposuerint. Fuerunt autem illi Apostoli, à *Christo* ad Ministerium vocati, *Matth. 10. v. 1.* ab eodem hactenus informati & eruditi in capitibus veræ Religionis, ut etiam apti fuerint alios erudire & informare,

mare, & non tantùm emissi sint in terram *Judæam*, sed postea *induti virtute ex alto*, & aucti Spiritu in totum Orbem, juxta mandatum Domini, de quo *Marc. 16. v. 15.* denique hactenus ab eodem adhibiti ad spectanda miracula, quæ passim perpetravit, & quibus divinam authoritatem sibi asseruit, de quo *Lucæ 11. v. 20.* II. Observandum ipsum apponere, In græco est vox προστίθημι dicitur enim προσθήκαν, quæ usurpatur de *appositione benignâ*, atque ita usurpatur *Lucæ 10. v. 8.* quæ usurpatur de *appositione liberali Luc. 12. v. 48.* quæ denique usurpatur de *appositione amica Luc. 11. v. 6.* III. Observandum cui apposuerunt. Apposuerunt autem turbæ, illi cœtui, qui *Christum* secutus erat & desideraverat eundem audire, tanquam aliter loquentem quàm *pharisæi Matth. 7. v. 29.* illi cœtui, qui per triduum substiterat apud Christum, tanquam labiis suavibus solatia fundentem *Lucæ 4. v. 22.* illi cœtui, qui Verbi virtute pani & cibo naturali prætulit, atque maluit fame urgeri, quàm carere cibo spirituali & deserere *Christum*, tanquam *prophetam magnum Joh. 6. v. 14.*

L. D.

Videmus, Quomodo ad Exemplum corporalis hujus cibationis adhuc institui possit cibatio Spiritualis. Dicam Institui potest cibatio spiritualis ad præsens Exemplum I. Ministros constituendo, si scil. sint præsentes istiusmodi Ministri, qui legitimè vocati & missi à DEO, juxta vaticinium: *Ecce ad-fero, & Jerusalem Evangelistas dabo. Esaiæ 41. v. 27.* si sint præsentes istiusmodi Ministri, qui instructi sunt virtute pascendi & alios informare possunt, juxta vaticinium: *Dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientiâ atque doctrinâ. Jeremiæ 3. v. 15.* si sint præsentes istiusmodi Ministri, qui Mirabilium DEI Spectatores & deprædicatores, juxta vaticinium: *Pasce Populum tuum in virgâ tua, gregem hereditatis tuæ habitantes solos in saltu, in medio Carmeli, pascentur Basan & Galaad juxta dies antiquos, secundum dies egressionis tuæ ex Ægypto ostendam tibi mirabilia. Mich. 7. vers. 14, 15.* Ut quondam Cibatio fuit rectè instituta in *Regiâ Solomonis*, quia constituti

tuti Ministri, ad hoc Opus sufficientes *1. Reg. 4. v. 7.* ita quoque dextrè instituitur in Regiâ cælestis *Salomonis* Christi cibatio spiritualis, si constituantur Ministri, *qui fideles & prudentes, quos constituit Dominus suprà familiam suam, ut det illis cibum in tempore. Matth. 24. v. 45.* Dextrè institui potest cibatio spiritualis II. commode distribuendo, si scil. Verbum panis Vitæ rectè proponatur & distribuatur, distribuatur sincerè, ut Ministri dicere possint cũ *Paulo: Non sumus sicut plurimi adulterantes Verbum DEI, sed ex synceritate, sed sicut ex DEO, coram DEO in Christo loquimur.* ex *2. Cor. 2. v. 17.* distribuatur liberaliter, ut Ministri dicere possint cũ *Paulo: Qui nunc gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi, in carne meâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, cujus factus sum ego Minister, secundùm dispensationem DEI, quæ data est mihi in vobis.* ex *Col. 2. v. 24, 25.* distribuatur benignè amicè & fraternè, ut Ministri dicere possunt cum *Paulo: Non quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis: cùm possemus oneri esse, ut Christi Apostoli, sed facti sumus lenes, in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos; ita affectu propensi in vos cupidè, volebamus tradere vobis non solùm Evangelium DEI, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis. 1. Thess. 2. v. 6, 7, 8.* Ut quondam Cibatio fuit rectè instituta in *Regno & Convivio Ahasueri*, quia fercula & cætera curarunt probè distributa & proposita *Esther. 1. v. 7, & 8.* ita quoque dextrè instituitur in Convivio *cælesti Regis Regum Christi* Cibatio spiritualis, si Verbum dextrè proponatur, atque observetur illud: *Solicitè autem cura teipsum, probabilem exhibere DEO, inconfusibilem operarium, rectè secantem verbum Veritatis. 2. Timoth. 2. vers. 15.* Dextrè institui potest Cibatio spiritualis III. famem attendendo, si scil. attendatur ad Desiderium populi, ad Desiderium Cœtus, qui Christum sequitur, & cum *Petro* dicit: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius DEI vivi.* ex *Johan. 6. v. 68, 69.* ad Desiderium Cœtus, qui Christo inhæret & cum Ecclesiâ dicit *judaicâ: Inventi sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium & lætitiam cordis mei, quia denominatus sum à nomine tuo Domine Exercituum.* ex *Jeremiæ 15. v. 16.* ad Desiderium Cœtus, qui in calamitate

mitate & cruce perſeverat apud *Chriſtum*, & dicit: *Domine in illis vivent, & in omnibus illis eſt vita Spiritus mei, & ſomnum induxeras mihi & vivificâſti. Eſaiæ 38. v. 16.* Ut quondam Cibatio fuit rectè inſtituta in Urbe *Jeruſalem Davidis*, quia toti populo, reſpiciens ad devotionem, panem, Carnem & vinum exhiberi juſſit 2. *Sam. 6. v. 18, 19.* ita quoque dextrè inſtituitur in *Hieroſolyma* N. T. *Davidis* cœleſtis *Cibatio* ſpiritualis, ſi totus populus avidus Cibi ſatietur, ut acclametur illud: *Quare appenditis argentum in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? audite audientes me, & comedetis bonum, & delectabitur in pinguedine anima veſtra, inclinate aurem veſtram, & venite ad me, audite & vivet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias David fideles. Eſaiæ 55. v. 2, & 3.*

USUS I. DEHORT.

Si ita dextrè inſtitui poteſt Cibatio Spiritualis, peccant graviter, qui Miniſtros à DEO conſtitutos aſpernantur, contemnunt, averſantur, & cum illis pertinacibus *Judæis*, ſi DEUS mittat, dicunt: *Hi qui orbem concitant, huc venerunt.* ex *Actor. 17. v. 6.* manet enim fixum illud *Chriſti*: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. Luc. 10. v. 16.* Peccant graviter illi, qui ad diſtributionem Verbi & panis cœleſtis liberaliſſimam non debitè ſe exhibent, ſed ſe convertunt ad retrimenta & ſiliquas traditionum, ſimiles illis, de quibus *Eſaiæ 29. verſ. 8. & ſeq.* manet enim fixum illud: *Populus me labiis honorat, Cor autem eorum longè. Fruſtrà autem colunt me docentes mandata hominum. Matth. 15. verſ. 8. 9.* Peccant graviter, qui loco appetitus & deſiderii nauſeant ad cibum hunc & rari apparent in Eccleſiâ cum *Judæis* illis, qui dixerunt: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo.* de quibus *Numeri 21. verſ. 5.* manet enim fixum illud: *Ecce dies veniet, dicit Dominus, & emittam famem in terram: non famem panis, neque ſitim aquæ, ad audiendum verbum Domini; & vagabuntur à mari usque ad mare, & ab Aquilone usque ad orientem, circumibunt, quærentes Verbum Domini, & non invenient. Amoſ. 8. v. 11, & 12.*

USUS II. ADHORT.

SI ita dextrè instituì potest Cibatio Spiritualis, benè agunt, qui Ministros benevolo affectu excipiunt, ut *Galatæ Paulum, qui sicut Angelum DEI excepêrunt, sicut Christum Jesum, qui si fieri potuisset, oculos eruissent, & dedissent ipsi. Gal. 4. v. 14, 15.* Benè agunt, qui ad Verbi & panis cœlestis distributionem lætantur, & dicunt cum *Davide. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, stantes erunt pedes nostri in portis tuis Jerusalem. Psalm. 122. v. 1, & 2.* Benè agunt, qui & appetunt hoc Verbum & propterea frequentes comparent & conservant, adeoque ex illorum numero sese esse ostendunt, *qui corde bono & nobilissimo audientes verbum retinent, & afferunt fructum in patientiâ. Luc. 8. vers. 15.*

USUS III. CONSOL.

SI ita dextrè instituì potest Cibatio spiritualis, bono sint animo, qui fruuntur illâ, de quibus *Christus: Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Matth. 5. v. 6.* Si *Sathan* suos Ministros mittat, qui lapides pro pane exhibeant, *stramen* pro *frumento*, de quibus *Jeremiæ 23. v. 28.* novimus *Christum*, qui fortior *Sathanâ*, cœlestem *Elisam* jubere per suos ministros adhuc dum distribuere 2. *Reg. 4. v. 43.* ascendisse in Cœlum & Ministerium Verbi constituisse perenne in terris nostro bono, juxta illud: *Christus dedit quosdam Apostolos, quosdam prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad præparationem sanctorum in opus Ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii DEI in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ephes. 4. v. 10, 11, 12, 13, 14.* Si *Mundus* distributionem panis cœlestis impedire desideret ad suas delicias avocare intendat & dicat: *Qui est insipiens, declinet ad me, & vecordi locuta est: Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* ex *Prov. 9. v. 16, & 17.* novimus *Christum*, qui fortiorem

Mundo

Mundo, cœlestem *Davidem* nos revocare & absterrere à convivio *Absolonico* 2. *Sam.* 13. *v.* 25. constituisse in Ecclesiâ, qui distribuant cibos solidos debitè, juxta illud: *Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum DEI.* 1. *Corinth.* 4. *vers.* 1. Si denique *Caro nostra* nos retrahere velit à Cibatione cœlesti, appetitum sistere & insusurrare illud: *Ex eo tempore, quo cessavimus sacrificare Reginæ Cœli, & libare ei libamina, indiguimus omnibus, & gladio & fame consumti sumus. Jeremiæ* 44. *v.* 18. novimus *Christum*, qui fortior carne nostra, cœlestem *Elisam*, nos ducere ad *Vas farinæ & olei quod nunquam deficit* 1. *Reg.* 17. *v.* 14. reliquisse in terris, qui ipsius nomine jugiter invitent, & dicant: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis; relinquite insipientiam & vivetis, & ambulate per vias prudentiæ.* ex *Proverb.* 9. *vers.* 5, & 6. imò promisisse Satietatem ex Epulis cœlestibus in Beatitudine æternâ AMEN, AMEN.

DOMINICA VIII. POST TRINITATIS, MATTH. VII. *v.* 19.

Πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem conjicitur.



Triste quondam fuit Spectaculum in terrâ Ægypti, dum Dominus justo judicio immisit grandinem & cum illâ unâ Ignem furentem, qui Arbores feriit, accendit & vastavit, de quo *Exodi* 9. *v.* 23, 24, 25. Tristis fuit illa Calamitas, nam feriit arbores Ægypti exceptâ terrâ Gosen. Erat aliàs *Ægyptus* fœcunda terra ex *Nilo*, erant in illâ quoque varia germina & Arbores, quæ illo quidem tempore nullos adhuc fructus tulerant, cùm hæc Calamitas acciderit in Februario; hæc itaque germina tanguntur, hæ Arbores obnoxiæ, ut *David* dicat: *Posuit pluvias eorum grandinem,*

ignem coruscantem in terrâ ipsorum, & percussit vineas eorum & ficulneas eorum; & contrivit lignum finium eorum. Psalm. 105. v. 32, 33. Tristis fuit illa Calamitas, insignis quippe Tempestas coorta. Tentârat DEUS aliquoties *Pharaonem*, & ministros, imò cæteros quoque *Ægyptios* perducere desideravit ad pœnitentiam, Cor movere ad Obsequium; verùm frustra; quapropter immittit tempestatem ingentem, grandinem insolitam in hâc terrâ, fulmina & Ignem de Cœlo dejicit, Ventum concitat, & ut *Eusebius* refert ex *Artapano* terræ motum, ut arbores excisæ fuerint dejectæ & prostratæ, unde miratur hoc ipsum etiam *Philo* & dicit: *Impii flagellati sunt novis aquis & grandinibus, & pluviis persecutionem passi, & per ignem consumti sunt, quod enim mirabile erat in aquâ, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat. Sap. 16. v. 16, 17.* Tristis fuit illa Calamitas, nam Ignis arbores adussit & vastavit. Erat *Ægyptus* Hortus Domini, ut quidem in Scripturâ laudatur, erat quoque Ver pro illo Regionis Climate, in quo campi aliâs læti & virentes; verùm fulgura cum grandine, fulmina cum igne omnia sternebant germina & adurebant arbores, ita ut vastata ab Irâ divinâ appareret terra & de illâ verè potuerit tunc temporis dici, quod *Joel: Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum exurens flamma, quasi hortus Eden est, terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum. cap. 2. vers. 3.* Non tam triste Spectaculum quondam fuit *Ægyptus*, æque imò magis triste est illud damnatorum, quod *Christus* hîc exhibet dicendo: *Omnis Arbor quæ non facit fructum bonum excidituir, & in ignem conjicitur.* cùm itaque expenderimus malum privativum Excisionis & rejectionis à facie divinâ, nunc positivum, Conjectionem scil. in Ignem spectabimus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

QUanquam *Christus* in præsenti Evangelio agat de *Pseudo Prophetis* & fructibus doctrinæ, ex quibus agnoscendi, tamen generalia Effata suo substernit scopo, & non tantùm dicit: *Bonam arborem non posse malos fructus ferre, & malam non bonos, sed addit quoque omnem arborem non ferentem fructus bonos exscindendam & in ignem projiciendam.* In quibus verbis observandum I. Quid projicien-

jiciendum. Christus dicit: *omnem arborem non ferentem fructus bonos*, sive sublimis, sive humilis, adeoque sistit talem arborem, quæ malæ indolis & naturæ, similis Pseudoprohetis, oppositæ bonæ arbori, quæ suecum & vitam habet, quales arbores illæ post maledictam terram *Gen. 3. v. 18.* talem arborem, quæ fructus non fert, similis PseudoProphetis, oppositæ arbori fructum ferenti debito tempore, quæ non solis foliis superbit & fallit, quales illæ *Levit. 26. v. 20.* talem arborem, quæ convenienter naturæ nullos bonos, sed malos fert fructus, similis PseudoProphetis, oppositæ arbori fructum bonum edenti, quæ cibum potest exhibere & in nutrimentum cedere, quales illæ, de quibus *Deuteronomii 20. v. 20.* II. Observandum, Quid ipsum projicere. Servator dicit: *Omnis arbor non ferens fructum bonum, projicietur.* In græco est vox βάλλεται in præsenti, ut indicetur non moram fore longam, sed citò & certò esse talem arborem projiciendam, atque usurpatur hæc vox de *piscibus inutilibus & putridis*, qui, cùm cæteri in vas colliguntur, *rejiciuntur Matth. 13. v. 48.* usurpatur de impœnitente, qui in carcerem judice ita jubente per *ministrum conjicitur Matth. 5. v. 25.* usurpatur denique de *grano*, quod hodie stans, cras verò resectum *in clibanum projicitur Matth. 6. v. 30.* III. Observandum, Quò & quorsum projicienda istiusmodi arbor. Christus dicit: *Omnis arbor non ferens fructum bonum in ignem projicietur*, in ignem, qui tanquam Elementum maximè activum & rapacissimum omnia corripit & facilè *accendit palantes Ezechiel 19. v. 13.* qui tanquam Elementum fœcundissimum se propagat & crescit adeoque ipsas Sylvas, *& Cedros vastat Zacharie 11. v. 1. & 2.* qui tanquam Elementum maximè durabile consumit & ardet in reprobis, nec tamen consumitur *Esaiæ 10. v. 17.*

L. D.

Videmus, Quid immineat illis, qui exscindendi & abElectis separandi, nempe uno verbo Infernus, dura Expectatio Judicii quis æmulatio, quæ consumtura est adversarios. de quo *Ebr. 10. v. 27.* Imminet exscindendis Infernus secundum explicata I, ex Culpæ fœditate, quia sunt ar-

bores aptæ & dignæ igne. Sunt quippe palmites aridi, qui nullum succum & vitam ducunt ex *Christo*, de quibus ipse: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, ita nec vos, nisi in me manseritis. Joan. 15. v. 4.* Sunt ficus folioſæ, quæ ſpecie ſuperbiunt & maledicuntur, *quibus dicitur: Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Matth. 21. v. 19.* Sunt Rhamni, qui malos fructus ferunt *Judæ v. 12 & 13* Ut *Arbores* illæ, quæ in Regione *Sodomæ* ſucco deſtituuntur vitæ, & fructus ferunt *ſpecioſos* non *verò bonos & utiles ad Eſum Sapient. 10. v. 7.* ita exſcindendi & ſeparandi ab Electis ſunt *arbores*, quæ nullum ſuccum habent ex *Chriſto* vite ſpirituali, fructusq; nullos ferunt niſi malos, de quibus *Moſes: De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de agro Gomorrhæ, uva eorum uva felle, & botri amariſſimi. fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Deuter. 32. v. 32, 33.* Imminet exſcindendis Infernus ſecundum explicata II. ex Judicii Severitate. Excíſi enim projiciuntur. Projiciuntur illi contemptim, ita ut quando anima piorum cum *Davide* in vaſe & faſciculo viventium colligitur, illi projiciantur, *& rotentur quaſi in impetu & circulo fundæ. 1. Sam. 25. v. 29.* projiciuntur illi judicialiter & juſtè, ita ut, quando piis cum *Eliakimo* dantur claves ad Domum Domini, illi projiciantur tanquam à forti & robuſto: *Ecce Dominus hinc inde jactabit te, ſicut jactat vir fortis, & operiendo operiet te. Eſaiæ 22. v. 17.* projiciuntur illi celeriter, ita ut quando pii manent in terra viventium, illi citò ut gramen deſecentur, *tanquam fœnum velociter demetantur, & ſicut herba virens marceſcant. Pſalm. 37. v. 2.* Ut quondam *Jehu* juſto judicio *Baalitas* non tantùm exſcindere curavit, ſed & projici per miniſtros contemptim & celeriter 2. *Reg. 10. v. 25.* ita *DEUS* tanquam *Judex* non tantùm extrahit exſcindendos, ſed & projicit: *Juravit Dominus Deus per ſanctitatem ſuam: quia ecce dies venient ſuper vos, & attollent vos in columnis, & poſteriora veſtra in hamis piſcatorum, & fruſta egredientur, unum è regione alterius, & projicientur in locum maledictum, dicit Dominus. Amos 4. v. 2. & 3.* Imminet exſcindendis Infernus III. ſecundùm explicata ex Supplicii Gravitate. Projiciuntur enim in ignem, qui maximè dolores excitat & ſenſum torquet, juxta illud: *Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos, non liberabunt animam ſuam de manu flammæ; non ſunt prunæ, quibus calefiant,*

sant, nec focus, ut sedeant ad eum. Esaiæ 47. v. 14. projiciuntur in ignem, qui maximè se promovet & copiosus, juxta illud: *Præparata est ab heri Tophet, pro Rege præparata, profunda & dilatata; habitatio ejus ignis & ligna multa, flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam. Esaiæ 30. v. 33.* projiciuntur in ignem, qui maximè durat & æternùm ardet, juxta illud: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur & erunt abominatio omni carni. Esa. 66. v. 24.* Ut *Ignis* ille in Valle *Benhinnon* fuit ignis dolorificus, grassans & vastans, ex quo ejulatus & lamenta, de quo *Jeremiæ 7. v. 31. & 19.* ita *Ignis* ille, in quem conjiciuntur exscindendi, est Ignis dolores concitans maximos, fœcundus & æternùm durans, *ut & pulvis ardat in sulphur, & terra sit in picem ardentem; nocte & die non extinguatur, in sempiternum adscendat fumus ejus. Esaiæ 34. v. 9. & 10.*

USUS I. DEHORT.

Si exscindendis imminet ita Infernus horrendus, caveamus, ne simus palmites aridi absque succo & vitâ spirituali, similes illis, qui *extra Christum Eph. 2. v. 2.* memores illius: *Si quis in me non manserit, mittetur foràs, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Joh. 15. v. 6.* Caveamus, ne simus foliosa ficus absque fructibus, hypocritæ, similes illis, quos monet *Syrach: Ne fis inobediens timori Domini & ne accesseris ad illum duplici corde.* ex *cap. 1. v. 32.* memores illius: *Violenter decerpitur quasi botrus vineæ immaturus, & quasi oliva projiciens florem suum, congregatio enim hypocritæ sterilis erit, & ignis devorabit tabernacula eorum. Jobi 15. v. 33. & 34.* Caveamus, ne simus Rhamni, qui nullos producant fructus, similes illis, *qui communicant operibus infructuosis tenebrarum Eph. 5. v. 11.* memores illius: *Mittet filius hominis angelos suos & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Matth. 13. v. 41, 42.*

USUS II. ADHORT.

Si exscindendis imminet ita Infernus horrendus, studeamus, ut simus in Christo tanquam palmites vivi, qui dicere possunt:

possunt: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus, quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii DEI, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* ex *Galat. 2. v. 20.* ut *Christus* dicat nobis: *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* ex *Joan 15. v. 5.* Studeamus, ut simus ficus illa dulcis, quæ fructibus abundabat *Judic. 9. v 11.* ut *Esaias* nobis dicat: *Dicite justo: quoniam benè est, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. cap. 3. v. 10.* Studeamus, ut simus arbores in cœlum culminantes, quæ radices agant & insimul emineant *Esaiæ 37. v. 31.* ut *Paulus* dicat nobis: *Nostra civitas in cœlis est, unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum: qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem quâ etiam subjicere potest sibi omnia. Philipp. 3. 20, 21.*

USUS III. CONSOL.

SI exscindendis imminet ita Infernus horrendus, bono sint animo, qui Christum habent in Corde habitantem & per charitatem sunt *radicati & fundati Ephes 3. v. 17.* Si per naturam sumus indolis malæ & meritò DEUS conqueratur: *Ego te plantaveram vitibus generosis, & totam optimo semine, quomodo igitur conversa es mihi in palmites degeneres vitis alienæ?* ex *Jerem. 2. v. 21.* novimus filium DEI esse factum fructum terræ, lignum illud viride in passione incisum, ex quo dimanavit aqua & sanguis, ut hauriamus inde vitalem succum, ut possimus reflorescere instar arboris, *quæ rursum virescit, & cujus surculi pullulant, quæ ad recreationem aquæ germinat, & producit ramos ac si plantata esset. Job. 14. v. 7, 8. & 9.* Si per naturam simus ficus, quæ non fert fructus, & meritò Deus dicat: *Succide illam, ut quid etiam terram occupat?* *Luc. 13. vers. 7.* novimus filium DEI severum subiisse judicium divinum, rejectum fuisse quasi in morte & passione, ut dicendum illi: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? longè à salute mea verba rugitus mei.* ex *Psalm. 22. v. 2.* ut nos reconciliaremur DEO, *& fieremus arbores justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. Esaiæ 61. v. 3.* Si denique

que per Naturam simus *Rhamni*, qui fert etiam fructus malos atque illi, de quibus *Psalm. 58. v. 10.* vel *Ezechiel: Utramque extremitatem ejus devorat ignis: & medium ejus comburitur.* ex *cap. 15. v. 4.* nosimus filium DEI factum esse furculum ex terra & radice aridâ, despectum arsisse in Iræ divinæ incendio, *ut nos eriperet Inferno, & à pœna, in quo non est aqua. Zachar. 9. v. 11.* ut & hîc & maximè in æternum essemus ut Cedri, *tanquam palma quæ florebit, & sicut Cedrus Libani quæ creseet, etiam in senectute frugiferimus, germinemus, & vigebimus. Psalm. 92. v, 13. & 16.* AMEN.

DOMINICA IX. POST TRINITATIS, LUC. XVI. *vl. 9.*

Καὶ ἐπῄνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας ὅτι φρονίμως ἐποίησεν· ὅτι οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσι.

Et laudavit Dominus dispensatorem iniquum, quòd prudenter fecisset: quia filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in natione sua.

NOtabilis quondam fuit differentia inter Jacobum & Esavum, atque utriusque stirpis posteros, Esavus enim fuit Vir agri & ad seculum natus, Jacobus verò habitavit in tabernaculis atque contigit ex diversâ stirpe, ut Esavitæ sive Idumæi fuerint prudentiores in rebus seculi, quam Israelitæ, ut constat ex *Gen. 25. v. 27.* Notabilis fuit differentia inter Esavum & Jacobum, quia ille fuit vir agri. Exierat Utero materno rufus & villosus in indicium Ingenii ferocis & animosi, amabat lustra & sylvas, ferasque sternere erat maxima voluptas, *primogenitura* Jus vendebat de cœlestibus parum sollicitus, & in temporalibus acquiescens, unde etiam *Paulus* illum vocat profanum, & dicit: *Esau fuit prophanus, qui propter unam escam vendidit primitiva sua, scitote enim, quoniam & postea cupiens hæreditare benedi-*

tionem reprobatus est; non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis quæsivisset eam. Ebr. 12. v. 16, 17. Notabilis fuit differentia inter Esavum & Jacobum, quia hic vir bonus, simplex & integer. Erat hic *Jacobus* alterius animi & indolis, amabat Tabernacula & in illis habitabat, cum patre excipiebat monita & verba divina per traditionem, studebat sacris, atque præ opacis Sylvis amabat Lucem illam cœlestem, quæ & mentem illustrat & ad Serenitatis Lumina ducit, unde etiam adultior factus vidit cœlum apertum, scalam, & Angelos, de quo *Gen. 28. v. 12.* Notabilis denique fuit differentia inter Esavum & Jacobum & utriusque posteros. *Edomitæ* enim curabant temporalia, prudentes, industrios & solertes sese exhibebant in istiusmodi negotiis, unde ipse DEUS quærit: *Nunquid non ultra est sapientia in Theman? perit consilium à filiis, putrida facta est sapientia illorum. Jerem. 49. v. 7. Israëlitæ* verò seu *Jacobitæ* non tam prudentes solertes & industrii erant in rebus seculi, sed segniores & mutabiles, unde etiam *Moses: Gens sine consilio est, & sine prudentiâ, utinam saperent, & intelligerent, ac novissima sua providerent. Deut 32. v. 28. & 29.* Ut quondam ingens fuit discrimen inter *Esavum & Jacobum*, atque utriusque posteros, ita quoque notabilis diversitas inter *filios seculi & Lucis*, quapropter *Christus* dicit: *filios seculi esse prudentiores filiis Lucis in generatione suâ*, de quo *suo Θεῷ*.

EXEGESIS.

COmmendaverat *Dominus* iniquum Oeconomum non ob iniquitatem, quam detestatur, sed prudentiam singularem, quia sibi prospexit in futurum, addit itaque notabilem Gnomen & dicit: *Filii enim seculi prudentiores sunt filiis lucis in natione suâ.* In quibus verbis meminit primò filiorum seculi, atque per illos intelligit eos, qui ex mundo, nati *Caro de Carne*, ut aliàs loquitur *Christus Joh. 3. v. 6* eos, qui se totos mundo & illius stultitiis consecrant, amantes mundanis, & cum illis sese miscent, *fuique similes* quærunt *Syrach 13. v. 19, 20, 21.* eos, qui lucrum suum habent in hoc mundo, & illa *acquiescunt*, ut aliàs *Christus* loquitur *Matth. 6. v. 2.* Secundò meminit

nunt filiorum Lucis. Per *filios Lucis* intelligit pios tales, qui ex DEO tanquam Luce quadam geniti & actu sunt *Lux in Domino Ephes. 5. v. 8.* qui Luci divinæ se consecrant, consimiles amant, ad illam accedunt, juxta monitum *Davidis: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Psalm. 119. v. 105.* qui denique æternam Lucem quærunt, ad illam anhelant & *sustpirant illam civitatem, de qua Apoc. 21. v. 11.* Tertiò comparat hos filios seculi & Lucis hyc Cœli & dicit, prudentiores esse in generatione sua. Dicit esse prudentiores, hoc est magis perspicaces vel sagaciores, qui *agunt cum ratione*, ut aliâs loquitur *Solomon Proverb. 13. v. 18.* esse *sapientiores*, magis industrios & occupatos atque observare illud: *Egestatem operata est manus remissa; manus autem sedulorum divitias parat Prov. 10. v. 4.* esse magis pertinaces vel constantes in proposito, in generatione suâ, sive genere, & iis quæ pertinent ad commoda humanæ vitæ imitantes formicas, quæ præparant in messe cibum sibi. de quibus *Proverb. 30. v. 25.*

L. D.

Videmus, Quomodo Christiani maximè esse debeant solliciti de prudentiâ, quæ collimat ad bona æternaturi. Prudentes debent esse *Christiani* in rebus Cœli juxta explicatum I. VI Oppositionis, quia illi oppositi filiis seculi, qui tam prudenter agunt in suis negotiis, sunt illi *de terra & terreni teste Christo Joan. 3. v. 31.* sunt illi, qui terrenis & mundanis sese associant, teste *Jacobo cap. 3. v. 23.* sunt illi, qui terrenis & mundanis inhiant, & in illis felicitatem suam quærunt & sitam esse existimant, *qui existimaverunt lusum esse vitam nostram, & conversationem vitæ compositum ex lucro, & oportere etiam undecunque ex malo acquirere.* teste *Baruch Sap. 15. v. 12.* Ut quondam ad prudentiam spiritualem parcerum stimulare *Israelitas Ægyptii*, quia fuerunt prudentes & in lino, nec non opificiis mechanicis peritissimi, de quo *Esaiæ 19. v.* 9. quantomagis ad prudentiam spiritualem provocare debent *Israëlitæ* N. T. & pios Christianos *filii seculi*, qui ex mundo in mundo omnia ad mundum referunt, de quibus *David: Ab hominibus manus*

tuæ Domine, ab hominibus, qui sunt de mundo, quorum pars est in vita, quorum ventrem imples thesauro tuo. Psalm. 17. v, 14. Prudentes debent esse Christiani in rebus Cœli secundum explicata II. Vi Descriptionis, sunt enim filii Lucis, filii Lucis ratione originis à *Patre Luminum* quippe geniti *Jacobi 1. v. 17. & 18.* filii Lucis ratione normæ & directionis, habentes quippe *sermonem propheticum, lucentem in loco caliginoso, donec dies illucescat, & phosphorus oriatur in cordibus eorum. 2. Petri 1. v. 19.* filii Lucis ratione termini & scopi, collimantes quippe ad Lucem æternam, in quâ ambulabunt sancti *Apoc. 21. v. 24.* Ut quondam ad prudentiam spiritualem potuerunt stimulare *Israelitas*, Lumina nubis de die & noctu, quæ illis apparebant & ducebant, de quo *Exodi 13. v, 21, 22.* quantò magis ad spiritualem prudentiam provocare debet *Israelitas* N. T. & pios christianos Elogium filiorum Lucis, qui possunt dicere: *Dominus est illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Psalm. 27. v. 1.* prudentes debent esse Christiani in rebus Cœli secundum explicata III. Vi Collectionis; comparantur enim inter se filii seculi & Lucis, quòd illi sint prudentiores, si illi itaque prudentes quantò magis debent esse prudentes *Christiani*, atque attendere ad illud Christi. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Matth. 10. v. 16.* si illi solertes & industrii, quantò magis *Christiani*, atque attendere ad illud *Pauli: Cum metu & tremore salutem vestram operamini. Philip 2. v. 12.* si illi indefessi & constantes in rebus seculi & commodis hujus vitæ, quantò magis Christiani atque attendere ad illud *Petri: Vos curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestrâ virtutem, in virtute autem scientiam; in scientia autem abstinentiam, in abstinentiâ autem patientiam; in patientiâ autem pietatem; in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem; hæc si vobis copiosè adfuerint, non otiosos nec sine opere constituent vos in Domini Jesu cognitione. 2. Epist. cap. 1. v. 5, 6, 7, 8.* Ut quondam ad prudentiam spiritualem potuerunt stimulare *Israelitas Tyrii & Sidonii* vicini, quia fuerunt prudentes solertes & indefessi in mercibus & opibus comparandis *Ezech. 27. v. 12. & seq.* quantò magis ad prudentiam spiritualem provocare *debent Israelitas* N. T. & pios Christianos filii seculi, qui tam prudentes, solertes & constantes, de quibus

bus *David: Tabernacula sua à generatione in generationem, ut celebrent celebrent nomina sua super terram. Psalm. 49. v. 12.*

USUS I. DEHORT.

Sic ita debent esse prudentes Christiani in rebus Cœli, peccant graviter, qui filiis seculi sese aggregât, atq; nil nisi temporalia desiderant, atq; dicunt illud: *Asser, asser. Prov. 30. v. 16.* memores illi esse debent illius *Davidici: Erue me de manu filiorum alienorũ, quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis; quorum filii nostri sint sicut plantæ crescentes, in adolescentiâ suâ: filiæ nostræ sint sicut anguli excisi, quasi palatia: promptuaria nostra sint plena, eructantia de frumento in frumentum: oves nostræ in millia multiplicentur, in myriades in pagis nostris: boves nostri operibus exerceantur, non sit ruptura, & non sit egressio neque sit clamor in plateis nostris; beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. Psalm. 144. v. 11, 12, 13, 14, 15.* Peccant graviter, qui in filios tenebrarum degenerant, unde illis se associant, *qui dicunt malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* de quibus *Esaiæ 5. v. 20.* memores illi deberent esse illius *Christi: Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus, qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in DEO facta sunt. Johan. 7. v. 20, 21.* Peccant graviter, qui segnes & remissi sunt in Operibus spiritualibus comparandis, Tempus gratiæ negligunt, & *Talentum defodiunt. Matth. 25. v. 18.* memores illi deberent esse illius *Pauli: Videte, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut Sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt; propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas DEI. Eph. 5. vers. 15, 16, 17.*

USUS II. ADHORT.

Sic ita prudentes esse debent Christiani in rebus Cœli studeamus, ut *lucremur talento commisso Matth. 25. v. 16, 17.*

Studeamus, ut simus ipso *facto & opere filii Lucis Eph. 5. v. 9, 10.* Studeamus, ut prudentiâ cœlesti superemus industrios, atque indefessos nos exhibeamus observantes illud *Christi: Thesaurizate vobis thesauros in Cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Matth. 6. v, 20.*

USUS III. CONSOL.

SI ita prudentes debent esse Christiani in rebus Cœli, bono sint animo, qui *divites sunt spiritualiter*, tales, *in omni Verbo, & in omni scientiâ, quibus nihil deest in ullo dono*, quales describit *Paulus 1. Corinth. 1. v. 5. & 7.* Si *filii seculi nos* allicere gestiant ad seculares Curas, atque ingeminent illud: *Omnem preciosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis, sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit nobis. Prov. 1. v. 13, 14.* norunt esse diversos esse à filiis seculi, quibus dictum: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo, quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia Carnis & concupiscentia oculorum & superbia vitæ, quæ non est patre sed ex mundo. 1. Joan. 2. v. 15, 16.* Si *Diabolus* Spiritus tenebrarum Cor ducat in montem & prastigiis divitiarum ludat *Matth. 4. v. 8.* norunt esse esse Filios *Lucis, qui nati ex DEO Joan. 1. v. 13.* & colliment ad DEUM Lumen illud, in *cujus Lumine visuri Lumen, cujus justitia abyssus multa: & in cujus lumine videbimus lumen. Psalmo 36. vers. 10.* Si denique *Caro* segnes faciat, ad opes spirituales conquerendas, jubeat accedere illis, *quorum finis interitus & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* de quibus *Philipp. 3. v. 19.* norunt Spiritum animare ad prudentiam spiritualem, ut sint *Sapientes & margaritam parent Matth. 13. v. 45, 46.* ut sint solertes, atque illud *Pauli* observent: *Divites fieri in omnibus bonis operibus, facilè tribuere communicare; 1. Tim. 6. v. 18.* ut sint constantes in bono, atq; agnoscant illud: *Bonum facientes non defatigemur; tempore enim suo metemus non delassati: ergò dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei. Gal. 6. v. 9, & 10.* ut audiant aliquando illud: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gloriam Domini tui. Matth. 25, vers. 21.*

AMEN, AMEN.

DOMI-

DOMINICA X. POST TRINITATIS, LUC. XIX. ℣. 45.

Καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ ἱερὸν, ἤρξατο ἐκβάλλειν τοὺς πωλοῦντας ἐν αὐτῷ, καὶ ἀγοράζοντας.

Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo & ementes.



Gregium Specimen Zeli quondam edidit Judas Maccabæus, dum scil. post victoriam ascendit in Montem Sion, Templum repurgavit, & quæ erant profana, ejecit, ut constat ex 1. *Macab.* 4. *v.* 36, 43. Egregium fuit hoc Specimen Zeli, quia Judas ascendit montem Sionæum. Erat ille princeps populi, Dux belli, ex sacerdotali genere oriundus, quapropter cùm cognovisset profanos hostes hactenus contaminasse Templum, Zelo accensus ascendit montam *Sion*, adit Templum profanatum, postquam *Gorgiæ* acies straviſſet, & ipsum *Lysiam Syriæ* proregem debilitasset & fugasset, nitori illud restituit pristino, tanquam Sedem DEO, non Idolis consecratam, ut constat ex 2. *Regum 8. v. 12, & 13.* Egregium fuit hoc Specimen Zeli, quia Judas repurgavit Templum. Occuparant gentiles & profani *Hierosolymam*, Templum & Arcem *Sionæam*, contaminarant Altare; quapropter post justam indignationem aggreditur opus *Judas*, & quanquam Arcem teneant, hostes & *Antiochi* milites ibidem agerent, nihilominus contra illos militem purgat Templum, & instituit in memoriam operis festum singulare Encæniorum, quod adhuc observatum fuit tempore *Christi*, cujusque mentio fit *Joban. 10. v.* 22. Egregium denique fuit hoc Specimen Zeli, quia Judas ejecit quoque omnia profana. Constituxerant gentiles idololatræ ex variis lapidibus varia Idola statuas & aras, quibus & lapides & Templum tantum profanarunt; quapropter ejicit illa, curat tolli & lignis quam in lignos, ulterius tam sancto loco, removeri vult in *Tophet sive Gehennam* locum immundissimum & execrabilem in quo *Moloche* cremabantur Infantes, de quo 2. *Reg.* 23. *v*, 10. Ut quondam

dam *Judas Maccabæus*, Heros fortissimus repurgavit Templum *Hierosolymitanum*, & generosè hoc opus suscepit, ita quoque Salvator noster vi prælecti Evangelii, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

PRædixerat *Christus* tristia Urbi illustri; adveniens itaque illo ipso die intrat Templum, *ejicit vendentes & ementes*, ut habent Verba Evangelii. In quibus observandum I. Quorsum Christus se contulerit Jerusalem accedens. Contulit autem se non ad arcem *Sionæam*, ut ut Rex fuerit proclamatus, sed justo itinere contendit exiens è *Bethaniâ* & ex *Betphage*, transiens montem *Oliveti* per vallem *Josaphat*, ad portam, quæ ducit ad Templum, quod erat Locus sanctus in honorem DEI ædificatus à *Solomone*, & restauratum ab *Herode*, de quo loquuntur *Judæi Joh. 2. v. 20.* quod erat Locus atrii exterioris, seu porticus *Solomonis*, in quo gentiles quoque comparere solebant, sacrificia spectare & preces fundere, de quo *Johannes cap. 8. v. 59.* quod denique erat locus prædicationis *Christi*, in quo ambulare conversari & frequenter docere, imò se Messiam profiteri solebat, ut constat ex *Joban. 10. vers. 23, 24, 25,* II. Observandum quid illo in loco egerit. Lucas dicit: *illum cœpisse ejicere*. In græco habetur vox ἐκβάλλειν, quæ notat aliquid vi adhibitâ expellere, atque ita usurpatur, *de Christo expellente Dæmonia Luc. 11. vers. 20.* quæ notat egerere & excernere aliquid tanquam *retrimentum*, atque ita usurpatur, *de excrementis egestis Ventre Matth. 15. vers. 17.* quæ denique notat *repudiare, rejicere tanquam regno vel gratiæ vel gloriæ indignum*, atque ita usurpatur de *Christo* prono in suos *Job. 6. vers. 37.* III. Observandum quos ita ejecerit, ejecit *verò vendentes in eo & ementes*. Divinitus quidem concessum fuit, ut qui è remotioribus locis Hierosolymam accedebant, pro pecuniâ victimas emerent, verùm in Templo illud non erat licitum, quapropter dicitur *Christus* ejecisse vendentes & ementes, Sacerdotibus Locum aliis destinatum Usibus à DEO clocantibus, qui toti avaritiæ dediti ut *Pharisæi*, quos *Christus* propterea perstringit *Luc. 16. v. 14.* Mensas nummulariorum evertisse, qui mutabant aurum argento, peregrinam usitatâ & cathedras sive sedilia

in quibus commoditatis causa toto die sedebant, vendentium colum-bas evertisse, ut addit *Matthæus cap. 21. v. 22.* imò non permisisse, ut quisquam deportaret vas, sive Utensilia per Templum, ut habet *Marcus cap. 11. v. 16.* Insigne Opus, quod factum non sine Lumine Vultus singulari & splendore extraordinario Lyranus asserit, quod filii proprium boni *Chrysostomus* statuit, quod maximum miraculorum *Hieronymus* censuit factum ab illo, quem *David* deprædicavit: *Benedictus Dominus Deus Israelis, qui facit mirabilia solus, & benedictum nomen majestatis ejus, in æternum, & repleatur majestate ejus omnis terra. Psalm. 72. v. 18, 19.*

L. D.

VIdemus, Quàm egregiè ipso facto miraculoso sese Christus demonstrarit potentem Reformatorem Ecclesiæ. Potentem Reformatorem Ecclesiæ suæ se demonstravit *Christus*, I. Templum adeundo, adiit enim Templum tanquam locum sanctum sibi destinatum & consecratum, ut Dominus sanctissimus, adeoque complevit illud: *Dominus in templo sancto suo; fiat à facie ejus omnis terra. Habac. 3. v, 20.* adiit Templum tanquam gentium quoque receptaculum, ut desiderium gentium, atque complevit illud: *Adhuc modicum est, & ego commovebo cœlum & terram & mare & aridam: Et movebo omnes gentes, delicium omnium gentium & implebo domum istam gloriâ dicit Dominus Exercituum: meum est argentum & meum est aurum, dicit Dominus Exercituum; magna erit gloria domus secundæ, plus quàm primæ dicit Dominus Exercituum. Aggæi 2. v. 7, & 10.* adiit Templum tanquam locum suæ conversationi & prædicationi idoneum, ut præco Templi adeoque complevit illud: *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad Templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos desideratis, ecce venit, dicit Dominus Exercituum, & quis poterit sustinere diem adventus sui? & quis stabit, cùm apparuerit? ipse enim quasi ignis conflans & quasi herba fullonum, & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & fundet eos, quasi aurum, & erunt Domino offerentes sacri-*

ficia in justitiâ. Mal. 3. v. 1, 2, 3. Contulit quidem etiam se quondam *Samuel* in *Silo* ad Templum & ibidem sedem sibi legit, de quo *1. Sam. 3. v. 3.* At quis *Samuel* ad *Salvatorem nostrum Christum*, qui Templum adiit tanquam Sanctum Sancto consecratum præludens Gentium Vocationi, & Loci Conditionem declarans, de quo *David: Dominus in templo sancto suo: Dominus in cœlo suo: oculi ejus respiciunt pauperem, palpebræ ejus probant filios Hominum: Dominus probat justum & impium, qui autem diligit iniquitatem, eum odit anima ejus. Psalm. 11. v. 4, 5, 6.* Potentem Reformatorem Ecclesiæ suæ se demonstravit *Christus*, II. Virtutem exerendo. Exseruit enim Virtutem infinitam expellendo, atque demonstravit se esse illum, qui aliquando dicturus: *Filii regni ejicientur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Matth. 8. vers. 12.* exseruit virtutem profundissimè penetrantem removendo, atque demonstravit se esse illum, qui aliquando *remoturus impios ut scorias Psalm. 119. v. 119.* exseruit virtutem validè excludentem dejiciendo à Regno Gloriæ atq; demonstravit se esse illum, qui aliquando dicturus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Matth. 25. v. 41.* Exeruit quidem etiam virtutem singularem quondam *David* removendo cœcos & claudos *Jebusæorum* ex arce *Sionis*, de quo *2. Sam. 5. v. 7, & 8.* At quis *David* ad *Christum* Salvatorem nostrum, qui divinam virtutem exeruit & expulit potentissimè sibi adversos & invisos, & se demonstravit illum, de quo ipse *David: Non es Deus volens iniquitatem, nec; habitabit juxta te malignus. Psalm. 5. v. 5.* Potentem Reformatorem Ecclesiæ suæ se demonstravit *Christus*, III. Stipulas Consumendo, non passus est ille vendentes & ementes, quia ipse gratis gratiam offert & dicit: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque ullâ commutatione vinum & lac: quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate, audite audientes me, & comedetis bonum, & delectabitur in pinguedine anima vestra. Esaiæ 55. v. 1, 2.* non passus est ille Mensas nummulariorum, & cathedras columbas vendentium, quia ipse Mensam paravit gratiæ & edici jussit: *Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Matth.*

22. v.

12. v. 4. non passus est ille portantes vasa & utensilia, quia ipse destinarat ad Officia sacra *Apostolos*, de quibus *Paulus: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas virtutis sit Dei, & non ex nobis; dejicimur sed non perimus, semper mortificationem Jesu in corpore vestro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. 2. Corinth. 4 v. 7, & 10.* Submovit quidem etiam *Nebemias* quondam *Ammonitas* & *Moabitas*, & ejecit omnia, quæ in Templum invexerat *Eliasib* ex *Tobiæ* Bonis *Nebemiæ 13. v. 7, 8, 9. &c.* At quis *Nehemia* ad *Salvatorem* nostrum *Christum*, de quo *Malachias: Ecce venit dies succensa quasi caminus, & erunt omnes contemtores & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit dominus Exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & ramum. cap. 4. v. 1.*

USUS I. DEHORT.

Etiam potentem Reformatorem se demonstravit Christus, peccant gravissimè, qui Templum profanant cum illis, quos *Jeremias* alloquitur: *Nunquid Spelunca latronis facta est domus ista super quâ vocatum est nomen meum in oculis vestris. cap. 7. v. 11.* quid talibus superest præter illud *Christi* comminatorium Verbum: *Ecce relinquetur domus vestra deserta. Matth. 23. v. 38.* Peccant gravissimè, qui putant virtutem divinam non sese exerturam, & dicunt cum illis apud *Jeremiam: Templum Domini, templum Domini, templum Domini. cap. 7. v. 4.* quid talibus superest, præter illud: *Ecce Dominus hinc inde jactabit te, sicut jactat vir fortis, & operiendo operiet te; circumagitatione circumagitabit te, quasi pilam in terram unde egressam. Esaiæ 22. vers. 17, 18.* Peccant gravissimè, qui vitia sese contaminant & nihilominus dignos Templo Domini profitentur cum illis, quos describit *Jeremias: Qui furantur, occidunt, adulterantur, jurant mendaciter, adolent Baalim, & eunt post Deos alienos. cap. 7. v. 9.* quid talibus superest præter illud: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis Spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ & invisæ. Apoc. 18. v. 2.*

USUS II. ADHORT.

SI tam potentem Reformatorem se demonstravit Christus, studeamus, ut illum adeuntem Templum sequamur devotè, & dicamus: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, stantes erunt pedes nostri in portis tuis Jerusalem.* ex *Psalm. 122. v. 1, & 2.* Studeamus, ut illius virtutem deprædicemus & si quid in nobis sordidi aut avari ejiciamus quoque & repellamus, juxta illud: *Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi: dissolve colligationes impietatis, aperi colligationes jugi, dimitte eos, quibus est violenter actum est liberos, & omne jugum dirumpe. Esaiæ 58. vers. 6.* Tandem studeamus, ut ad opes Domini simus attenti & illas in tempore nobis comparemus, observemus illud *Pauli: Divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare thesaurizari sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant æternam vitam. 1. Tim. 6. vers. 18, 19.*

USUS III. CONSOL.

SI tam potentem Reformatorem se demonstravit Christus, bono sint animo, quotquot eundem *fide recipiunt Johan. 1. v. 12.* Si contingat ab hostibus profanari Templum Domini, atque dicendum: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluêrunt templum sanctum tuum: posuerunt Jerusalem in tumulos..* ex *Psalm. 79. v. 1.* novimus venisse ad Templum Salvatorem nostrum, ut Templum suum Ecclesiam scil. præsentiâ suâ gratiosâ dignaretur & contra hostes & adversarios tueretur, manere fixum illud: *Qui confidunt in Domino sicut Mons Sion; non commovebitur in æternum permanebit: montes sunt in circuitu Jerusalem, & Dominus in circuitu populi sui ex hoc, nunc, & usque in seculum. Psalm. 125. vers. 1, & 2.* Si contingat videri nobis Virtutem Christi quiescere, atque dicendum: *Expectatio Israel Salvator noster, in tempore tribulationis, quare quasi peregrinus es in terrâ, & quasi viator declinans, ad pernoctandum? quare futurus es velut vir obstupefactus, & fortis qui non potest salvare;*

care; tu autem in nobis es Domine, & nos à te denominati sumus, ne derelinquas nos. ex *Jeremiæ 14. v. 8, & 9.* novimus Christum adhuc posse ἐκβαλεῖν, manere fixum illud: *Nunquid abbreviata est, & parum fortis est manus mea, ut non possim redimere, aut non est in me virtus liberandum? ecce in increpatione meâ desertum faciam mare, ponam flumina in siccum computrescent pisces sine aquâ & morientur in siti.* *Isaiæ 50. v. 2, & 3.* Si denique contingat venditiones & emptiones in sacro Mensas nummulariorum erigi &c. atque dicendum: *Vos dereliquistis Dominum, obliti estis montem sanctum meum, parastis Gad mensam, & impletis Meni libamen.* ex *Esaiæ 65. v. 11.* novimus Christum tales ementes & vendentes, stipulas istius generis conflumisse, manere fixum illud: *Precio emti estis nolite fieri servi hominum. 1. Corinth. 7. v. 23.* fixum illud: *Parásti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me, impinguásti oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est. Psalm. 23. vers. 5.* fixum illud: *Si quis se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum. 2. Timoth. 2. v. 21.* AMEN.

DOMINICA XI. POST TRINITATIS, LUC. XVIII. vl. 14.

λέγω ὑμῖν, κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ ἢ ἐκεῖνος· ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται, ὁ δὲ ταπεινῶν ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται.

Dico vobis: descendit hic justificatus in domum suam, magis quàm ille. Quia omnis qui se extollit, humiliabitur, & qui se humiliat, extolletur.

MEmorabile quondam fuit Judicium DEI, quod contigit circa Abelem & Cainum, dum sc. ad illum & ejus sacrificium respexit, hunc verò cum adductis rejecit & reprobavit. de quo *Gen. 4. v. 3. & 4.* Memorabile fuit hoc Judicium DEI, quia DEVS gratiosè respexit Abelem. Erat hic filius *Adami*, se-

cundum Nomen vel Luctus, vel ut alii maluerunt vertere, mera miseria & vanitas, qui sæpius memor lapsus *protoplastorum*, quòd scil. tam graviter peccarint, Legem de non comedendo fructu vetito transgressi fuerint & super se atque totam posteritatem, maledictionem induxerint appendicem Verbi Comminatorii *morte morieris*, quapropter sæpius memor luxit, & cum ipse etiam per hoc peccatum factus vanitas, expendit, quòd vita esset *brevis fumus*, qui *facilè dissipatur*, ut *Jacobus* loquitur *cap. 4. v. 14.* Memorabile fuit hoc Judicium, quia placuit in illo DEO sacrificium Abelis. Obtulerat die, ut volunt, *Sabbathi*, non lac & lanam, quæ quorundam Opinio, sed de grege suo primitias & adipem illorum in sacrificium, quod Typus fuit consummati illius Sacrificii *Messiani* in tempore exhibendi, quapropter DEO placet cor offerentis, mittit in indicium Gratiæ suæ de Cœlo flammam, quæ oblatum consumat, ut postea tempore *Abrahami*, *Gideonis* & maximè *Eliæ*, ubi de Cœlo respondit & in illo se DEUM ostendit, de quo *1. Reg. 18. vers. 38.* Memorabile denique fuit Judicium hoc, quia in illo Deus postposuit Cainum Abeli. Erat *Cain* superior quindecim annis *Abele*, primogenitus *Adami*, qui postea insigni in *Patriarchalibus* familiis gaudebant prærogativâ, superiores in regno & sacrificio, fructus *Evæ*, quem maximè amabat, de quo multa sibi pollicita dicens, *possedi virum Jehova* in illius partu, verùm *Abel* minor præponitur, *Cain* verò postponitur, tanquam hypocrita, cui cor introspexit Deus probè cognoscens, quod *esset ex malo 1. Joh. 3. v. 12.* Causam Judicii genuinam exposuit *Paulus Ebr. 11. v. 4.* Ut quondam *Judicium* notabile & sententia rationi dissona fuit lata circa *Abelem* & *Cainum*, ita *Salvator* noster desumit & decidit in præsenti Evangelio de duobus in Templum euntibus, dicens: *Descendit hic justificatus præ illo.* de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

QUod DEUS dixit: *Non cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ. Esaiæ 55. v. 8.* id maximè elucet è Judicio *Salvatoris* nostri circa finem Evangelii, cum ita loquitur: *Dico vobis*

vobis descendit hic justificatus in domum suam, magis quàm ille. Quia omnis qui se extollit, humiliabitur, & qui se humiliat, extolletur. In quibus verbis observandum I. Quem Christus intelligat per hunc, intelligit verò publicanum, de quo in proximè præcedentibus facta est mentio, illum, qui respiciendo intra mentis viscera cor pulsare debuit, nihil videns nisi peccati sordes & maculas; publicani enim fuerunt notorii peccatores, ut etiam *Pharisæi* admirabundi dicant: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Matth. 9. v. 11.* illum, qui suspiciendo in Cœlum oculos demittere debuit, nihil videns nisi iram divinam & Legis Speculum; publicani enim parum conformiter se legi exhibebant, nec, quod imperat, observabant *Matth. 5. v. 46, 47.* illum, qui infra respiciendo procul à Templi intimo stare debuit, nihil videns, nisi Infernum, exclusionem à regno gratiæ & gloriæ; publicani enim remoti fuerunt ab *Ecclesiâ militante & triumphante Matth. 18. v. 17.* II. Observandum, Quid de hoc publicano dicat. Dicit autem, *descendisse illum justificatum in domum suam.* In græco est vox δεδικαιωμένον, quæ notat talem, cui remissa peccata; cui *Justitia imputata*, qui liberatus à pœnâ; sic enim justificare ita passim in Scripturis accipitur, adeoque *Christus* hoc vult, hunc publicanum fuisse justificatum in foro divino & absolutum à peccatis, ut quidem hæc loquendi ratio usurpatur *Deut. 25. v. 1.* fuisse justificatum in foro divino & reputatum justum ex Evangelio ob justitiam alienam *Messiæ scil. prædicatam*, ut quidem hæc vox usurpatur *Rom. 5. v. 9.* fuisse justificatum in foro divino, & liberatum à pœnâ condignâ, ut quidem hæc loquendi ratio occurrit *Gen. 44. v. 16.* III. Observandum, Quomodo Christus hunc publicanum cum Pharisæo componat. Dicit, *justificatum descendisse præ illo*, nempe *Pharisæo*, non quòd etiam *Pharisæus* justificatus descenderit, publicanus verò tantùm majori in gradu, sed plurali *Ebraïcâ*, secundùm quam per comparationem aliquid alicui ita tribuitur, ut illud ab altero simpliciter removeatur, ut constat ex *Osea 6. v. 6.* adeoque Christus dicit, justificatum fuisse *publicanum*, non verò *Pharisæum*, qui sibi imaginatus, se esse absque peccato exclamare divis: *Gratias ago, quòd non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic publicanus*, secundùm nomen sepa-

paratum à plebe promiscuâ peccaminosâ, similis cæteris, qui dicere solebant: *Turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. Johan. 7. v. 49.* qui sibi imaginatus est sese Legem adimpleviſſe & omnia in illâ præcepta feciſſe dixit: *Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ possideo.* esse sanctum, similis cæteris, qui corpus coercebant, jejunabant & *decimas pendebant Matth. 9. v. 14.* qui sibi imaginatus se esse in viâ justitiæ ad Cœlum, dixit propterea gratias ago me esse Candidatum beatitudinis similis cæteris, qui dicere solebant: *Beatus qui manducabit panem in regno DEI. Luc. 14. v. 15.*

L. D.

VIdemus, Quàm firmum fundamentale & æternum verum illud Pauli: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus Legis. Rom. 3. vers. 28.* hoc docet *Christus* in Judicio & sententiâ definitivâ hujus Evangelii. Justificatur homo secundum explicata in districto DEI Judicio per solam fidem I. ex Subjecti Conditione, quia non justificantur, nisi similes publicano; justificantur enim illi, qui convicti agnoscunt se esse peccatores, quique cum *Paulo* dicunt: *Omnes peccavêrunt & egent gloriâ DEI, & justificantur gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus ad ostensionem justitiæ suæ per remissionem præcedentium delictorum. Rom. 3. v. 23, 24, 25.* justificantur illi, qui convicti agnoscunt se esse sub irâ & maledictione Legis, quique cum *Paulo* dicunt: *Quoniam in lege nemo justificatur apud DEUM, manifestum est, quia justus ex fide vivet; lex autem non est ex fide, sed qui fecerit, vivet in iis; Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum, sicut scriptum est: maledictus omnis, qui pendet in ligno, ut in gentes benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. Galat. 3. v. 11, 12, 13, 14.* justificantur illi, qui convicti agnoscunt se esse reos æternæ damnationis, quique cum *Paulo* dicunt: *Quis accusabit adversus electos DEI? DEUS est, qui justificat: quis est, qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui & est ad dextram DEI, & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 33, & 34.*

Ut si-

Ut *Jacob* dextram imposuit juniori & minori *Ephraimo*, sinistram autem majori natu *Manasse* in benedictione, de quo *Gen. 48. v. 17.* ita cœlestis *Jacobus* dextram absolutionis & benedictionis imponit illis, qui minores, qui peccatores, ut *Paulus* dicat: *Ei verò qui non operatur, credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam secundùm propositum gratiæ DEI. Rom. 4. v. 5.* Justificatur homo secundum explicata in districto DEI Judicio II. per solam fidem ex Justificationis Descriptione, quia Justificatio describitur, ut gratiosa DEI & merè gratuita actio. Est enim justificatio, absolutio à peccatis quâ DEUS ex gratiâ remittit illa, unde pium pectus expendit illud: *Beatitudinem Hominis, cui DEUS imputat justitiam sine operibus, beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum. Rom. 4. v. 6, 7, 8.* est justificatio, reputatio justi in *Christo*, unde pium pectus quærit, ut in *Christo* inveniatur: *Arbitror ut jactura, ut Christum lucrifaciam, ut & inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ est ex fide Christi, quæ ex DEO est, justitia in fide. Philip. 3. v. 9. & 10.* est justificatio liberatio à pœna & supplicio, unde pium pectus dicit: *Stimulus mortis peccatum est, virtus verò peccati lex; DEO autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non inanis est in Domino.* ex *1. Cor. 15. v. 56, 57, 58.* Ut quondam *Boaz* alas suas expandit super *Ruthum*, non meminit peccatorum in *Moab*, pallio illam involvit suo, atque ab omni infamia liberavit & miseria præsente *Ruth. 3. v. 9. & seq.* ita cœlestis *Boazus* justificat nos non peccatorum nostrorum remittendo, pellibus suæ justitiæ operiendo & à morte liberando, juxta illud: *Transiens per te vidi te inquinatam in sanguine tuo, & dixi tibi, cum esses in sanguine tuo, vive! iterumq; dixi, vive! & transivi juxta te, & vidi te. & ecce tempus tuum, tempus amantium, & expandi alam vestimenti mei, super te & operui ignominiam tuam: & juravi tibi & ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi uxor. Ezech. 16. v. 6, 8.* Justificatur homo secundum explicata in districto DEI Judicio per solam fidem III. ex operum oppositione, quia

omnia opera *Pharisæorum* cum illis removentur ab hoc Beneficio. Non descendunt justificati in domum suam, quotquot sibi blandiuntur & putant se non tam grandes esse peccatores, dicente illis *Christo* quod *Pharisæis: Facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum, siquidem ex fructu arbor cognoscitur: progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum mali sitis, ex abundantiâ enim cordis os loquitur. Matth. 12. v. 33. & 34.* non descendunt justificati in domum suam, quotquot sibi blandiuntur & putant sese esse operibus divites & fœcundos, dicente illis *Christo: Væ vobis Scribæ, Pharisæi & Hypocritæ, quia decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquistis, quæ graviora sunt Legis, judicium & misericordiam & fidem. Matth. 23. v. 23.* non descendunt justificati in domum suam, quotquot sibi blandiuntur & putant sese esse in viâ justitiæ ad Regnum cœlorum dicente *Christo: Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5. v. 20.* Ut quondam *Samuel* rejecit *Eliabum*, utut formæ elegantis & staturæ proceræ præ *David*, DEO dicente: *Ne respicias aspectum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam reprobavi eum, nec juxta intuitum hominis ego judico, homo enim videt ea, quæ apparent, Dominus autem intuetur cor. 1. Sam. 16. v. 7.* ita cœlestis *Samuel* removet istiusmodi externè splendidos, tumidos & operarios, atque verificat illud *Pauli: Scimus, quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur, ut omne os obstruatur, & reus fiat omnis Mundus DEO, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo, per legem enim agnitio peccati. Rom. 3. v. 19. & 20.*

USUS I. DEHORT.

SI tam firmum justificari hominem solâ fide, caveamus, ne nos meliores æstimemus in Judicio DEI publicano hoc, atque cum perversis *Judæis* dicamus: *Absque peccato & innocens ego sum, & propterea avertatur furor tuus à me.* ex *Jerem. 2. v. 35.* cogitantes illud *Solomonis: Quis potest dicere, mundum est cor meum, pura sum à peccato? Proverb 20. v. 9.* Caveamus, ne putemus nos posse consistere justos in Judicio divino, atque cum perversis *Judæis* agamus

agamus: *Me de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens, quæ justitiam fecerit, & judicium DEI sui non dereliquerit, rogent me judicia justitiæ, & appropinquare DEO volunt. Esaiæ 58. v. 2.* cogitantes illud: *Verè scio, quòd ita sit, & quòd non justificetur homo comparatus DEO. Job. 9. v. 2, 3.* Caveamus, ne in operibus nostris gloriemur atque vitam æternam illis tribuamus, & cum pertinaci Judæis dicamus: *Omnia hæc custodivi à juventute meâ, quid adhuc mihi deest. Matth. 19. v. 20.* cogitantes illud *Christi: Publicani & meretrices præcedunt vos regnum DEI. Matth. 21. v. 31.*

USUS II. ADHORT.

Si tam firmum justificari hominem solâ fide, studeamus, ut compareamus coram DEO corde contrito cum publicano, & dicamus: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus & rebelles fuimus, & declinavimus à mandatis tuis & judiciis: tibi Domine justitia: nobis autem confusio faciei.* ex *Danielis cap. 9. vers. 5. & 7.* Studeamus, ut compareamus corde, fiducia pleno apprehendente meritum *Christi* & imprimamus illud: *Gratiâ estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, DEI donum & non ex operibus, ut ne quis glorietur. Eph. 2. v. 8, 9.* Studeamus, ut compareamus coram DEO corde humili & depresso operibus renuntiantes nostris, & dicamus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me, Dominus est. 1. Cor. 4. v. 4.*

USUS III. CONSOL.

Si tam firmum justificari hominem sola fide, bono sint animo, qui in hoc fundamento triumphant, hunc *Typum sanorum verborum de fide observant 2. Timoth. 1. v. 13.* Si angat *peccatum*, cum publicano è longè standum, oculi demittendi, pectus tundendum atque agnoscendum: *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, acuto adamante, exaratum super tabulam cordis eorum, & in cornibus altaris eorum.* ex *Jerem. 17. v. 1.* novimus *Christum* esse socium publicanorum & peccatorum *Matth. 11. v. 19.* ipsum dicere: *Non est opus medico valentibus, sed malè habentibus, non veni vocare justos ad*

pœnitentiam, sed peccatores. Matth. 9. v. 12, 13. sequi Paulum: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quòd Christus Jesus veniat in mundum, peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. 1. Timoth. 1. v. 15.* Si angat *Lex Mosis, Ira divina*, fulmina è Sinai & cum *Davide* dicendum: *Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* ex *Psalm. 143. v. 3.* novimus *Christum esse finem Legis Rom. 10. v. 4.* ipsum dicere: *Nolite putare quoniam veni solvere Legem aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Matth. 5. v. 17.* sequi *Paulum* dicentem: *Notum igitur sit vobis fratres, quia per Christum vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in Lege Mosis justificari. Actor. 13. v. 38.* Si denique angat nos *Infernus Mors* temporalis & æterna ob imperfectionem justitiæ operum, & agnoscendum illud *Ecclesiæ Judaicæ: Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ; & emarcuimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Esaiæ 64. v. 6.* novimus *Christum esse Justitiam nostram 1. Cor. 1. v. 30.* ipsum dicere: *De manu inferni redimam eos, de morte liberabo eos: ero pestilentia tua ô mors, ero lues tua ô inferne. Oseæ 13. v. 14.* sequi *Paulum: Eum qui non noverat peccatum Deus pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur justitia DEI in ipso. 2. Cor. 5. v. 21.* Salvatori nostro, qui in Carnis similitudine peccatricis nostri causa venit, legem implevit & ex Inferno eripuit Cœloque asseruit sit pro tanto beneficio Fide & Affectu, Honor & Gloria in sempiterna secula,

AMEN.

DOMI-

DOMINICA XII. POST TRINITATIS, MARC. VII. ℣. 37.

Καὶ ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες. Καλῶς πάντα πεποίηκε· καὶ τοὺς κωφοὺς ποιεῖ ἀκούειν, καὶ τοὺς ἀλάλους λαλεῖν.

Et supra modum stupebant dicentes, Bene omnia fecit: & surdos facit audire, & mutos loqui.

Debitè quondam sese exhibuerunt Tobias senior & junior erga illum, qui comitatus juniorem & tot beneficia in illam familiam contulit, dicendo *Tobiæ 12. v. 6.* Debitè sese exhibuerunt hi erga illum Evergetam, dum scil. illum accesserunt. Acceserat ille in illorum domum quondam, præstitit le Medicum, qui salutare consilium suggessit, mirabiliter curari fecit & beneficia alia in seniorem & juniorem contulit, quapropter & ipsi accedunt cum seorsim agunt cum illo, agnoscunt ipsum esse qui facto verba comprobarit & robur promisso addiderit emisso quondam dicens: *Ego ducam & reducam eum, Tobiæ 5. v. 16.* Debitè sese exhibuerunt hi erga illum Evergetem, dum scil. admirati sunt illius Beneficentiam. Præstiterat ille omnis generis Bona, ut ipse junior *Tobiæ* dixerit Patri *versiculo tertio: Reduxit me tibi incolumē & uxorem meam curavit & pecuniam meam attulit, deniq; te curavit consulter.* quapropter admirantur illius virtutē & beneficentiam & deprædicant Deum, ut constat ex *Tobiæ 13. v. 1.* Debitè se exhibuerunt hi erga Evergetam, dum scil. valde fuerunt læti & perculsi. Declaraverat ille Evergeta sese esse Angelum, qui missus & ad benefaciendum potenter ablegatus, nolucrat ille quicquam accipere, ut obtulerint dimidiam partem bonorum, nec in se derivare honorem, sed illis dixit: *Laudate Deum Cœli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, qui fecit vobiscum misericordiam. verſic. 7.* & atque verum esse demonstravit, quod dixerat in discessu: *Forti enim ego & in proximo est, ut à DEO cureris. Tob. 5. v. 14.* Ut quondam sese debitè gesserunt *Tobias senior* & junior stupentes ad

Beneficentiam illam Angeli Comitis, ita illi, qui in hoc Evangelio adduxerunt miserum hominem, & in illo tempore adfuerunt, dum de illis refertur, quod admirati fuerint valde, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

ABsolverat *Christus*, quod intenderat Opus, quapropter consequens illius recensetur *Marcus* & non tantùm dicit: *Diffusam fuisse famam de patrato*, sed & addit: *Percutiebantur supra modum.* In quibus Verbis observandum I. Subjectum, quinam fuerint illi, qui perculsi, hoc ipsum autem constat ex structura textus & antecedentibus, quod scil. fuerit populus, homines præsentes, illi qui *Christum* accedunt, tanquam Medicum verum, de quo quondam *Moses*: *Ego sum Dominus Deus tuus sanator tuus. Exod. 15. v. 26.* qui actum sive factum spectarunt tanquam Thaumaturgi eminentissimi, de quo *David*: *Benedictus Dominus, Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Psalm. 72. v. 18.* qui denique ipsum deprædicarunt, tanquam Benefactorem generis humani, de quo *Jeremias*: *Sicut adduxi super populum istum omne malum, hoc grande sic adducam super eos omne bonum, quod ego loquor ad eos. cap. 32. vers. 42.* II. Observandum Actus, quis & qualis ille fuerit, dicit *Marcus* percellebantur. In græco occurrit ἐξεπλήσσοντο, quæ notat moveri divinitus, atque ita accipitur, de *stupentibus super doctrina Christi Matth. 7. v. 28.* quæ notat *admirari insigniter*, atque ita occurrit *Actor. 13. vers. 12.* quæ denique notat *percelli, immutari*, atque ita accipitur *Lucæ 9. vers. 43.* III. Observandus modus quomodo fuerint perculsi, *Marcus* dicit: *percellebantur supra modum*, vehementer, maximè, ὑπερπερισσῶς superabundanter attoniti, quòd tam potenter operaretur, tot beneficia uno actu tam celeriter & insigniter conferret, ut adapertiens aures & solvens linguæ vinculum, ad quod provocavit quondam *Matth. 11. v. 5.* quod talia præstans nihil præmii peteret, nullam exigeret mercedem, sed liberaliter curaret, quo quidem modo etiam voluit, ut sui *Apostoli* prædicarent & benefacerent *Matth. 10. v. 8.* quod denique facti gloriam etiam non affectaret, sed refugeret, nollet deprædicari se & factum, ut quidem eò respexerit quoque Monstrum sese contestando *Matth. 20. v. 28.*

L. D.

L. D.

Videmus, Quid deceat nos post divina Beneficia cælitus dispensata, nempe pia devota & salutaris Admiratio. Devota nos decet Admiratio I. ex populi hujus prolusione, nam & nobis accedendum ad Christum, qui ipse dicit: *Non est opus Medico valentibus sed malè habentibus, non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Matth. 9. v. 12, & 13.* nobis quoque spectandus est *Christus*, quem describit *Solomon: Manus ejus sunt tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus est ebor nitens, distinctus Sapphiris. Cant. 5. v. 14.* nobis quoque deprædicandus *Christus*, de quo *Petrus: Unxit Deus Jesum Spiritu sancto, & virtute, qui pertranfiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Actor. 10. v. 38.* Si quondam piè fuerunt admirati *Israelitæ* DEI Virtutem & Majestatem, quia prolusere illis *Moses* & *Aaron* & *Miriam*, de quo *Exodi 15. v. 1. 20, 21.* quoque & nobis erit piè admirandum, quia præcedit totus hic populus, qui accessit *Christum*, spectavit miraculum, deprædicavit Beneficium, & dicendum: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus simul. Psalm. 54. v. 4.* Devota nos decet Admiratio II. facta explicata ex Actus Descriptione. Est enim istiusmodi Admiratio divina Cordis nostri motio, ut agnoscant illud homines: *De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram; qui finxit simul corda illorum; qui intelligit omnia opera illorum. Psalm. 14, 15.* est istiusmodi Admiratio insignis & laudabilis cognitio & deprædicatio, ut agnoscant homines illud: *Magna opera Domini, exquisita in omne beneplacitum eorum. Psalm. 111. v. 2.* est istiusmodi Admiratio totius hominis immutatio & conversio ut agnoscant illud hominis: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi. Psalm. 116. v. 12.* Si quondam piè fuerunt admirati *Israelitæ*, vim virtutem & Majestatem in curando, quia DEUS erexit mentes & oculos ad æneum serpentem & erectum, de quo *Numer. 21. v. 8, &* 9. quoque & nobis erit piè admirandum, quia ipse hic actus tam divinus, tam laudabilis, tam salutaris cordi, atque dicendum: *Magna fecisti ea Domine Deus meus: mirabilia tua & cogitationes tuæ de nobis*

bis nulla est comparatio ad te Psalm. 40. v. 6. Devota nos decet Admiratio III. ex modi Attentione, curat quippe & benefacit *Christus* potenter, atque adimplet illud: *Dicite pusillanimis, confortamini & nolite timere: ecce Deus vester ultor veniet, retribuet Dominus ipse veniet & salvabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc sicut cervus claudus, & jubilabit lingua mutorum. Esaiæ 35. v. 4, 5, 6.* curat *Christus* & benefacit liberaliter, atque adimplet illud quod dixit: *Non accipiam de domo tuâ boves, neque de caulis tuis hircos &c. Ps. 50. v. 9.* curat & benefacit *Christus* salutariter, atque adimplet illud: *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet. Joan. 8. v. 50.* Si quondam piè fuerint admirati *Israelitæ* DEI virtutem & majestatem, quia curavit illos sitientes & benefecit tot hominibus cum cæteris animantibus, nec quicquam exegit *Exod. 15. v. 25.* utiq; & nobis erit piè admirandum quia *Christus*, adhuc curat & benefacit sæpius absq; mora, absque præmio & non affectatâ gloriâ omnes advocat & dicit: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, emitte & comedite, venite, emite absque argento & absque ullâ commutatione vinum & lac. Esaiæ 55. v. 1.*

USUS I. DEHORT.

SI nos decet post divina Beneficia cælitus dispensata devota Admiratio, peccant graviter, qui non admirantur ad Exemplum populi hujus, sed ad Exemplum *pharisæorum* calumniantur, & dicunt: *Nunquid & vos seducti estis? nunquid ex Principibus aliquis credit in eum, aut ex pharisæis? Joan. 7. v. 48, 49.* experientur illi aliquando cum *pharisæis* illud, quod *Messias* comminatus *Expectatio Israel, Domine omnes qui te derelinquunt, confundentur, recedentes in Terrâ describuntur, quoniam dereliquêrunt venam aquarum viventium Dominum. Jeremiæ 17. v. 13.* Peccant graviter, qui non admirantur laudabiliter, & à DEO se commoveri & percelli patiuntur, sed Cor opponunt *instar adamantis ne audiant legem & verba, quæ misit Dominus Exercituum in Spiritu suo per manum prophetarum. Zach. 7. v. 12.* experientur illi aliquando, quod post hanc vitam obstupescendum, juxta illud: *Ecce venit cum nubibus, & videbit*

videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugérunt, & plangent se super eum omnes tribus Terræ. Apoc. 1. vers. 7. Peccant graviter, qui non admirantur valde, sed blasphemant valde istiusmodi Opera Christi, & dicunt: *Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habens.* ex *Joh. 8. v. 48.* experientur illi aliquando cum *Pharisæis* illud: *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo: si opera non fecissem eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt & oderunt me & patrem meum. Joh. 15. v. 22, 24.*

USUS II. ADHORT.

Si nos decet post divina Beneficia cælitùs dispensata devota Admiratio, studeamus, ut cum hoc populo *Christus* adeamus primùm animo devoto, atque agnoscamus esse illum, qui advocat omnes & singulos dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. 11. v. 28.* Dein admiremur illius potentiam, Benevolentiam & sapientiam, atque dicamus: *Quis similis tui in Diis Domine? quis similis tui magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia. Exod. 15. v. 11.* Tandem omnes & singuli expendamus modum benefaciendi *Christi* & propterea etiam supra modum eundem Cordi inserendo, deprædicemus, atque agnoscamus illum esse eminenter dignum laudis dicentes: *Ei qui potens est facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus secundùm virtutem, quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia in Christo Jesu in omnes generationes seculi seculorum. Amen. ex Ephes. 3. v. 20, 21.*

USUS III. CONSOL.

Si nos decet post divina Beneficia cælitùs dispensata devota Admiratio, bono sint animo, qui piè admirantur Majestatem & virtutem *Christi*, & dicunt: *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua & anima mea agnoscit hoc probè nimis.* ex *Psalm. 139. v. 14.* Si *Sathan* nos avocare studeat à *Christo*, atque sæviat in illos, qui *Christum* accedunt, juxta illud: *Læ-*

tamini cœli, & qui habitatis in eis. Væ habitatoribus Terræ & maris: quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quòd modicum tempus habeat. Apoc. 12. vers. 12. novimus nos accessisse talem *Messiam*, qui *Medicus*; etenim nec herba, nec malagma sanavit eos, *sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia.* de quo *Sap. 16. v. 12.* qui Thaumaturgus *Joban. 2. v. 12.* qui Benefactor, *& destructor Regni Diabolici 1. Joban. 3. v. 8.* Si *Mundus* sui admirationem ingenerare studeat, atque impii intendant illud: *Ut ponant in cœlum os suum, & lingua eorum transeat in terrâ: ideò convertitur populus eorum huc, & aquæ copiosæ confluant ad ipsos. Psalm. 73. v. 9. 10.* novimus nos moveri à DEO ad contemptum Mundi *1. Joban 2. v. 15.* ad admirationem illius, qui dicit: *Hoc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis; in mundo pressuram habebitis, sed confidite: Ego vici mundum. Joh. 16. v. 33.* ad immutationem animi talem, ut fiamus & simus illi, de quibus ipse: *Spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini. Ezech. 36. v 17.* Si denique *Caro* nostra minuere intendat Admirationis vires & Robur, atque *recalcitret Spiritui Gal. 5. v. 17.* novimus Verbum & Spiritum ex illo acceptum sistere nobis *Christum*, ut DEUM in Carne potenter operantem, ut dicamus: *Domine Deus meus es tu, exaltabo te & confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, consilia à longinquo fidelia sunt & vera.* ex *Esaiæ 25. v. 1.* ut liberaliter operantem, ut dicamus: *Quis enim ego, & quis populus meus, quia angustiores sunt vires nostræ ad præstandam hanc liberalitatem, à te sunt omnia, & quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi.* ex *1. Paral. 29. 30. v. 14.* denique ut absque laudis affectatione operantem, juxta illud: *Claritatem ab hominibus non accipio. Joban. 5. v. 41.* ut tandem dicamus: *Dignus es Domine accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creâsti omnia, & per voluntatem tuam sunt & creata sunt. Apoc. 4. vers. 11.*

AMEN.

DOMI-

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS, LUC. X. ℣. 29.

Ὁ δὲ θέλων δικαιῶσαι ἑαυτὸν, εἶπε πρὸς τὸν Ἰησοῦν· Καὶ τίς ἐστί μου πλησίον;

Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad JESUM: *& quis est meus proximus?*

NOtabilis stultitiæ Specimen quondam edidit Nabal, dum scil. gloriatus fuit in opibus, malè respondit Legatis ad se missis & tandem denegavit debitum Davidico Exercitui Officium, de quo *1. Sam. 25. v. 10.* Notabilis stultitiæ Specimen edidit Nabal, dum opibus suis confidit. Erat ille Vir magnus potens & ditissimus, abundabat ille Ovibus & capris, habitabat quoque in deserto *Maon*, parte *Pharanitica* solitudinis & in monte *Carmelo*, quapropter hisce confidit, putat se esse divitem, qui non egeat alterius ope, abundare sese nec alterius manum solicitandam, habitare sese potentem, in illa solitudine & inprimis Monte *Carmelo* in *Juda*, qui fertilis pascuis, fructibus & vini ferax, distinctus ab illo Monte *Carmelo*, qui in Tribu *Issachar*, in quo plurimum egit *Elias* & *Eliseus* cum hic ille, in quo *Saul* Signum victoriæ fastuosè erexit suæ victoriæ, quasi ille obtinuisset, de quo *1. Sam. 15. v. 12.* Notabilis stultitiæ Specimen edidit Nabal, dum duriter & morosè respondit missis sive Legatis. Miserat *David* quosdam ad ipsum, qui humaniter compellarunt, quos jusserat precari quævis bona, qui etiam dixerunt: *pax tibi & domui tuæ*, verùm parum curat hæc *Nabal*, iisdem duriter respondet, atque eo ipso non tantùm ostendit se esse *Nabalem*, hoc est stultum, qui meliorem se non curet, sed & de genere *Caleb*, hoc est hominem caninum, qui dentibus & Verbis mordere soleat, adeoque sit pessimus, *malitiosus cogitationibus, studiis suis*, ut describitur *versiculo tertio*, talis qualis pingitur à *Jobo*: *Non est satiatus venter ejus, in desiderabili suo liberatur. cap. 20. v. 20.* Notabilis stultitiæ Specimen edidit Nabal, dum omnes, qui erant missi, pro exulibus & peregrinis habuit.

Erant apud *Davidem* quamplurimi homines vagabundi, & qui ex propriis vivere non poterant adeoque alterius opis in digi, hos aversatur *Nabal* tanquam peregrinos, hos cum *Davide* calumniatur, nec putat sese obstrictum esse necessitatibus illorum subvenire, hos tanquam exules repudiat proximi nominis inmemor & aversatur, ut *Davidi* refertur, dicit: *quis est David, & quis est filius Isai? hodiè increvérunt servi, qui refugiunt Dominos suos, versiculo decimo quarto,* atque ut *Ebræa* habent, *volare facit*, discedere & fugere quemadmodum abigi solent aves molestæ & tale quid factum *Gen. 15. v. 11.* Ut quondam *Nabal* edidit stultitiæ Specimen ita ille Legis peritus respondens, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

DIxerat *Christus* Legisperito Summam Legis recensenti: *Rectè respondisti; Hoc fac & vives.* quapropter Legis peritus pergit, de quo *Lucas* noster: *Ipse autem volens, se justificare seipsum, dixit ad JESUM: & quis est meus proximus?* Dicit *Lucas* I. ipsum voluisse sese justificare, ostendere, quam justus hactenus, qui utriusque tabulæ leges observarit, *Mosi* se totum dederit, ut quidem istius generis gloriabantur, *nos Mosis discipuli sumus. Joh. 9. v. 28.* non tantùm justum se venditare, sed & gloriari de justitiâ, ut quidem istius generis gloriabantur, quòd præter Legem etiam traditiones observent *Majorum*, unde dicunt: *Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas, cùm manducant panem? Matth. 15. v. 2.* tandem sese commendare, approbare coram hominibus, quasi ordinis strictissimi, cui non dicendum: *fac hoc & vives sed jam feci*sti, sed plus, ideoque vives **Er wolte recht über recht haben/** tenax justitiæ tum faciendæ, ut quidem istius generis gloriabantur, quòd strictissimæ essent severitatis & austeritatis jejuniis & aliis Exercitiis Corpus affligerent, hinc etiam discipuli *Johannis* rogant: *Quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter, Discipuli autem tui non jejunant? Matth. 9 v. 14.* Dicit II. Lucas ipsum voluisse sese justificare, & dixisse JESU, qui intenderat ipsum adducere ad impotentiæ confessionem, ut agnosceret, quam longè

abesset

abesset à perfectione illâ, quam Lex exigit, huic sese opposuisse, responsasse, qui tamen solus sine peccato conceptus & natus *obumbratione* illâ, quæ describitur *Luc. 1. v. 35.* qui tamen solus Legi potuit ex asse satisfacere & illam implevit *Matth. 5. v. 17.* qui tamen solus sincerus Doctor & Dux, ad vitam æternam cui *Petrus* dixit: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei. Johan. 6. v. 68, 69.* III. Dicit *Lucas*, dixisse hunc Legisperitum Christo: Quis est meus proximus? forsan vis me carpere, quod hactenus nondum intellexerim, quid nomen proximi notet, atque arguere inde, me Legi non satisfeciisse? annon hactenus dilexi populares meos, nec quenquam offendi? quis itaque est meus proximus, annon *Judæus?* qui mecum genus ducit ex *Abrahamo*, de quo gloriabantur: *Semen Abrahæ sumus, & non servivimus unquam. Johan. 8. v. 33.* annon selecti populi pars, quem DEUS ab omnibus aliis divisit & separavit, tanquam *peculium suum Exodi 29. v. 5, & 6.* Annon DEUM patrium colens religioni judaicæ adjictus, & eadem mecum sacra secutus, qui *Hierosolymis adorat Job. 4. v. 20.*

L. D.

VIdemus, Quàm audax & viperinum genus hominum, quàm DEO displicens cœtus operariorum. Hoc docet Legisperitus ille descriptus. Displicens DEO & viperinum Genus hominum est Cœtus operariorum I. ex Justificatione; Volunt enim sese justificare ipsi. Volunt se justificare & ostendere justos, qui Legem impleverint & propterea dicunt cum illo Juvene: *Omnia hæc custodivi à juventute meâ, quid adhuc mihi deest? Matth. 19. v. 20.* gloriantur superbè de Legis & omnium traditionum observatione, & describuntur egregie ut tales, *qui confidunt seipsos esse duces cæcorum, lucem eorum, qui in tenebris sunt, & eruditores insipientium, magistros simplicium, habentes formam scientiæ & veritatis in lege. Rom. 2. v. 19, 20.* Ordinis se jactant strictissimi nil nisi opera, jejunia, carnis mortificationes crepant & dicunt: *DEUS, gratias tibi ago, quia non sum, sicut cæteri hominum raptores, injusti, adulteri vel ut etiam hic*

publicanus, jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo. Luc. 18. v. 11, 12. Ut quondam filii *Jacob* violenti & sanguine commaculati, adhuc justificare sese voluerunt, quasi feciſſent aliquid laude dignum & dixerunt Patri: *Nunquid ut scorto abuti debuêre sorore nostrâ? Gen. 34. v. 31.* ita *operarii* superbiunt in peccato & volunt se justificare, quasi essent absque peccato, Legi planè conformes atque sunt ex illorum numero, de quibus ipse *Christus*: *Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Luc. 16. v. 15.* Audax & viperinum Genus hominum est Cœtus operariorum II. ex Reſponſatione, quia tam impudenter obloqui ſolet Chriſto. Non verentur illi, quaſi puri eſſent ex Utero reſponſari & obloqui *Chriſto*, qui ſolus purus & ideo miſſus in Carnem, ut nos purificaret, juxta illud *Pauli: Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum. Rom. 8. v. 3, & 4.* non verentur illi, quaſi Legem totam impleviſſent, reſponſare & obloqui *Chriſto*, qui ſolus Legis vim exhauſit, implevit, & ideò miſſus fuit in hunc Mundum, ut Legem impleret pro nobis, juxta illud *Pauli: Notum sit vobis, viri fratres, quia per hunc Jesum vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in Lege Mosis justificari, in hoc omnis, qui credit, justificatur. Actor. 13. v. 38, 39.* non verentur illi quaſi ſufficientes ſibi ipſis eſſent ad inveniendam & calcandam viam ad Beatitudinem æternam, reſponſare & obloqui *Chriſto*, qui ſolus viam oſtendit & paravit ad cœlum, & ideò miſſus eſt ad homines, ut illos ſalvaret, juxta illud *Pauli: Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Jesus Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quorum ego primus sum. 1. Tim. 1. v. 15.* Ut quondam *Ephraimitæ* ſuperbè reſponſarunt *Gideoni*, quamquam penes illum ſolum fuerit victoria & gloria, ut conſtat ex *Judic. 8. v. 1.* ita *operarii* ſuperbiunt, non refugiunt reſponſare cœleſti *Gideoni*, cui ſoli victoria adverſus Diabolum & gloria competit, & ogganire: *Quis ostendet nobis bona. Psalm. 4. v. 7.* Audax, viperinum & DEO diſplicens genus eſt Cœtus operariorum III. ex Interpretatione, minuunt enim Legis vim, ſi quis non eſt ejuſdem origi-

originis & sanguinis, non putant esse proximum, non attendentes illud: *Deus fecit ex uno sanguine genus humanum, inhabitare super universam faciem Terræ. Actor. 17. v. 26.* si quis non est ejusdem Cœtus, non putant esse proximum, non attendentes illud *Pauli: Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus neque fœmina, omnes enim unus estis in Christo Jesu. Galat. 3. v. 28.* si quis non est ejusdem opinionis, non putant esse proximum, non attendentes illud: *Infirmum in fide assumite, non ad dijudicationes disceptationum. Rom. 14. v. 1.* Ut quondam *Idumæi* malè proximos suos tantùm æstimarunt desecendentes ex *Esavo* & fratres suos excluserunt, humanitatis officia ipsis negarunt, ut constat ex *Num. 20. v. 18, 20, 21.* ita *operarii* malè accipiunt proximum in Lege descriptum, nesciunt vim vocis, & putant sufficere, si diligant diligentes, consanguineos, & compares, atque sunt ex illorum numero, de quibus *Christus: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habetis? nonne & publicani hoc faciunt? etsi complexi fueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne & publicani hoc faciunt. Matth. 5. vers. 46, 47.*

USUS I. DEHORT.

Stam audax, viperinum & displicens DEO Genus Cœtus Operariorum, caveamus ne etiam nos justificari desideremus, pronunciare justos, & ostentare tales, *qui de die in diem Deum quærunt, & scire vias ejus volunt, quasi gens, quæ justitiam fecerit, & judicium DEI sui non dereliquerit* quales describuntur *Esa. 58. 2.* ne experiamur, quàm verum illud *Pauli: Scimus, quoniam quæcunque lex loquitur, his, qui in lege sunt, loquitur, ut omne os obstruatur, & sit fiat omnis mundus DEO; quia ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram illo. Rom. 3. v. 19, 20.* Caveamus, ne Christo coganiamus, responsemus & opinemur ipsum non venisse, per illum sancti & puri fiamus, similes illis, qui dixerunt: *Nunquid ex principibus aliquis credidit in ipsum aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. Joban. 7. vers. 48, 49.* ne experiamur, quam verum illud *Pauli: Si quis non amat Dominum nostrum JESUM sit anathema Maran atha. 1. Corinth.*

rinth. 16. verſ. 22. Caveamus, ne pro proximo illum tantùm habeamus, qui nobis vel vinculo hoc vel alio junctus & gratus, tales, *qui trahunt iniquitatem in funibus iniquitatis, & quaſi funibus plauſtri peccatum.* quales deſcribuntur *Eſaiæ 5. v. 18.* ne experiamur, quàm verum illud *Pauli: Omnis lex in uno ſermone completur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum, quod ſi verò invicem mordetis & comeditis, videte, ne ab invicem conſumamini. Galat. 5. v. 14, 15.*

USUS II. ADHORT.

SI tam audax, viperinum & diſplicens DEO Genus, Cœtus Operariorum, ſtudeamus omnes & ſinguli, ut nos coram DEO ſiſtamus cum *Davide*, dicentes: *Domine non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* ex *Pſalm. 143. v. 3.* ut nos ſiſtamus coram *Chriſto* cum leproſis, dicentes: *Jeſu præceptor, miſerere noſtri.* ex *Luc. 17. v. 13.* ut nos ſiſtamus coram Spiritu S. cum *Johanne*, dicentes: *Nos ſcimus, quoniam translati ſumus de morte in vitam; quoniam diligimus fratres. qui non diligit fratrem, manet in morte.* ex *1. Epiſtola cap. 3. v. 14.*

USUS III. CONSOL.

SI tam audax, viperinum & diſplicens DEO Genus, Cœtus Operariorum, bono ſint animo, qui cum *Paulo* dicunt: *Quæ fuerunt mihi lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta; quin etiam exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Chriſti Jeſu Domini noſtri.* ex *Philip. 3. verſ. 7, & 8.* Si *Caro* nobis dictet juſtificationem illam, quæ eſt ex Lege atque jubeat, unos ipſos juſtificemus ut *Iſraël*, de quo *Rom. 9. v. 31.* novimus *Chriſtum* oſtendere juſtificationem ex Evangelio per *Apoſtolos*, imprimis *Paulum* ita concludentem: *Ubi ergò eſt tua gloriatio? excluſa eſt. per quam legem? factorum, non per legem fidei: arbitramur igitur juſtificari hominem non ex operibus Legis &c. Rom. 3. v. 27, 28.* Si *Caro* dictet Reſponſationes, jubeat opganire *Chriſto*, atque dicere: *Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix te terrâ ſitienti; non eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, ita ut*

ipſo

ipso delectari potuerimus. Esaiæ 53. v. 2. novimus *Christum* sese ostendere in Evangelio tanquam Justitiam nostram: inprimis *Paulum* dicere: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & nos adoptionem filiorum reciperemus. Gal. 4. v. 4. & 5.* Si denique *Caro* dictet proximum esse amicum, malè interpretur illud: *Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi; omnis caro ad similem sibi conjungetur, & omnis homo simili sui sociabitur. Syrach 13. v. 19. & 20.* novimus *Christum* ostendere, omnem hominem esse proximum atque dicere: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro lædentibus & persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, quia solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Matth. 5. v. 44, 45.* cui Laus & Gloria pro Informatione, AMEN.

DOMINICA XIV. POST TRINITATIS, LUC. XVII. ℣. 17.

Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν, Οὐχὶ οἱ δέκα ἐκαθαρίσθησαν; οἱ δὲ ἐννέα ποῦ;

Respondens autem Jesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? novem autem illi ubi?

INdecenter quondam se gessit Demetrius junior erga Jonathanem Pontificem in terrâ sanctâ, dum immemor fuit præteriti status, nec expendit Beneficia à Jonathane collata, sed eundem vilipendit & deseruit, ut constat ex *1. Maccab. 11. v. 73.* Indecenter se gessit Demetrius hic erga Jonathanem, dum immemor fuit Miseriæ, in quam dejectus. Exasperaverat hic Exercitum, Legiones *Syriacas* & *Asiaticas* dimiserat, & non tantùm avarum & crudelem, sed etiam inertem sese exhibuerat, testibus etiam historicis profanis; quapropter non tantùm milites ferre cœpit, sed & *Antiocheni* cives rebellarunt, tumultum concitarunt & occidere *Demetrium* tentarunt, at cum Lux affulget

immemor est præteriti mali, utut antea sollicitarit opem *Jonathæ*, scripserit se esse in magno periculo, planè ut *Saul*, qui *dixit se angi, ut coarctetur nimis. 1. Sam. 28. v. 15.* Indecenter se gessit Demetrius hic erga Jonathanem, dum non attendit ad Beneficia Jonathæ. Opem & auxilium tulerat *Jonathas* huic *Demetrio*, eripuerat eum à mortis faucibus, servarat illum in vitâ & tantum fecerat suo auxilio, ut pax & tranquillitas renideret *Antiochiæ* & in toto regno, ut propterea meritò debuisset hoc attendere, verùm illa Beneficia oblivione sepelit, quid *Jonathas* fecerit non expendit, utut debuisset dicere cum *Tobia* seniore & juniore: *Quid illi adhæc poterimus dignum dare?* ex *cap. 12. v. 5.* Indecenter se gessit hic Demetrius erga Jonathanem, dum ipsum dereliquit, promissis non stetit, contemptui duxit. Erat *Jonathas* hic filius *Matthathiæ*, frater *Judæ Maccabæi*, declaratus *Pontifex* in terrâ sanctâ, Princeps populi, Heros generosi animi, qui populo dextrè præfuit, cujus pudere non debuisset *Demetrium*; verùm non attentâ dignitate *Jonathæ*, vel meritis & beneficiis, se totum abalienat, ingratum se exhibet & mala pro bonis rependit penè, ut pincerna *Pharaonis*, exaltatus denuò ad officium, non memor fuit *Josephi* & oblitus omnis beneficii, de quo *Gen. 40. v. 23.* Ut quondam *Demetrius* indecenter se gessit erga *Jonathanem*, ita indecenter se gesserunt quidam erga cœlestem *Jonathanem Christum*, qui propterea in præsenti Evangelio conqueritur, & dicit: *Nonne decem mundi facti sunt, novem autem illi ubi?* de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

QUanquam *Christus* probè noverit, quid ad Verbum Mandati contigerit, nihilominus Emphaseως causâ quærit & dicit: *Nonne decem mundi facti sunt, ubi verò novem?* In quibus verbis observandum I. de quibus quæsiverit. Quæsivit autem de decem illis, qui occurrerunt eidem prope vicum, cùm tenderet per *Samariam* & *Galilæam* in Urbem *Jerusalem*, qui steterant è longè tanquam humano Consortio exclusi ex genere Morbi juxta Legem divinam *Levit. 13. v. 45, 46.* qui vocem elevarant non tantùm ob distantiam, sed & rau-

& raucedinem ex leprâ, quæ longè alterius generis atque noſtra, ut etiam habitum fu- it pro maximo malo, non niſi ſceleratiſſimis imprecandum, ut conſtat ex 2. *Sam. 3. v. 19.* qui denique miſeri & infelices erant, pulſantes fores gratiæ propterea & miſericordiam ſolicitantes & dicentes: *JESU Epiſtata miſerere noſtri*, tanquam tales, qui mortuis ſimiles & exeſi, ut loquitur *Moſes Num. 12. v. 12.* II. Obſervandum. Quid quæſiverit. Dixit autem, *nonne decem mundi facti ſunt.* In græco eſt vox ἐκαθαρίσθησαν, purificati ſunt, à malo liberati & ſanitari reſtituti, liberati ab illo malo, quod *hactenus animam & mentem contriſtavit* & dejecit, ut verbum καθαρίζω ita uſurpatur *Luc. 4. v. 27.* liberati ab illo malo, quod hactenus *Corpus afflixit*, omnes venas pervaſit, omnẽ ſanguinem *infecit*, *omnia membra corrupit*, ut verbum καθαρίζω ita uſurpatur *Marc. 1. v. 41.* liberati ab illo malo, quod hactenus omnes ſenſus & actiones hebetavit, omnia negotia *converſationis civilis ſufflaminavit & impedivit*, ut verbum καθαρίζω ita uſurpatur *Matth. 10. v. 8.* III. Obſervandum, Quomodo quæſiverit. Dixit autem, *nonne decem mundi facti ſunt, ubi verò ſunt novem?* novem ex tanto numero, qui meum auxilium & opem imploraruntque & ſanitati reſtituti ſunt feliciter, adeoque prægnantem habuiſſent cauſam revertendi à Sacerdotibus ad me, qui tantùm declarare poterant illos eſſe mundos juxta illud *Levit. 14. v. 1, 2, 3. & ſeq.* agnoſcendi Beneficium mundationis, ſanitatis & reſtitutionis collatum à me, qui verè dicere potui & reſpondere Diſcipulis *Johannis: Renunciate Johanni, quæ videtis & auditis, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur; ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur. Matth. 11. v. 45.* deprædicandi meam gloriam & exhibendi mihi ſacrificium Laudis, ut Sacerdotibus δῶρον illud, quod *Moſes* præſcripſit in Lege *Matth. 8. v. 4.*

L. D.

VIdemus, Quàm grande, turpe & fœdum peccatum, ſive vitium ſit Ingratitudo. Hoc docet Chriſtus emphaticè & non abſque commotione interrogans: *Nonne decem mundi facti ſunt, ubi verò novem?* Grande & fœdum peccatum eſt Ingra-

titudo secundum explicata I. ex Miseriâ præcedente. quia tales ingrati antea fuerunt infelices & miseri. Fuerunt tales ingrati sæpius antehac grandes peccatores, qui à DEO longè distantes & quibus confitendum cum *Esdra: Deus meus confundor & erubesco faciem meam levare ad te: quoniam multiplicatæ iniquitates nostræ super caput & delicta creverunt usque ad cœlum.* ex *cap. 9. v. 6.* Fuerunt tales ingrati sæpius antehac morbo dejecti, & queruli atque clamantes inter dolores lecto affixi, quibus dicendum cum *Hiskia: Sicut grus & hirundo gemebam, meditabar ut columba: attenuati sunt oculi mei suspicientes, Domine violenter opprimor, mitiga mihi.* ex *Esaiæ 38. v. 14.* Fuerunt tales ingrati sæpius antehac miseri & infelices, quibus pulsandum ad fores gratiæ & dicendum: *Recordare afflictionis meæ & miseriarum mearum, absynthii & fellis, misericordiæ Domini, quia non sumus consumti, quia non defecêrunt miserationes ejus, novæ diluculo nova est fides tua.* ex *Thren. 3. v. 19, 22, 23.* Si quondam turpiter egit *Laban*, quòd ingratum sese exhibuerit *Jacobo*, per cujus pedem fuerat benedictus, quia antea inops & exiguæ opulentiæ atque felicitatis, ut constat ex *Genes. 30. v. 30.* quantò magis turpiter agent *Christiani*, si ingratos sese exhibeant D E O, cùm antea fuerint vel peccato fœdati vel morbo dejecti, vel aliâ calamitate pressi & miseri ex illorum numero, *qui egestate & fame solitarii, fugientes in solitudinem veri, redacti ad inopiam & miserias, & decerpebant urticas pro herbis, & radix juniperorum erat cibus eorum.* de quibus *Jobus cap. 30. v. 3, 4, 5.* Grande & fœdum peccatum est Ingratitudo juxta explicata II. ex Beneficio increscente, quia tales ingrati Beneficiis divinis fuerunt cumulati. Exhibuit se DEUS illis faventem & gratiosum in peccatorum Remissione, ut ipsi agnoscere fuerint compulsi & deprædicare illud: *Quis Deus similis tibi, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non fortiter retinet in perpetuum furorem suum, quoniam misericordiâ delectatur. Mich. 7. v. 18.* Exhibuit DEUS se illis faventem & gratiosum in morborum ablatione, ut ipsi fuerint agnoscere & deprædicare compulsi illud: *Domine Deus meus, clamavi ad te, & sanâsti me: Domine eduxisti ab inferno animam meam, vivificâsti me à descendentibus in puteum. Psalm. 30. v. 3, 4, 12.* Exhibuit DEUS se illis faventem & gratiosum in Impedimentorum remotione, ut potuerint

tuerint operari, negotiari, laborare feliciter, & ipsimet agnoscere & deprædicare fuerint compulsi illud : *Benedictio Domini divites facit, nec addetur ei labor. Proverb. 10. v. 22.* Si quondam turpiter egit *Civitas Ceila* & incolæ illius, quòd ingratos sese exhibuerunt *Davidi*, qui illos liberavit à profanis *Philistæis*, in vitâ conservavit & bona restituit, de quo *1. Sam. 23. v. 5. & 12.* quantò magis turpiter agent *Christiani*, si ingratos sese exhibeant DEO, qui illos tot animæ & corporis beneficiis cumulavit, atque exhibuit talem, *qui exaltat animam, illuminat oculos, dat sanitatem, & vitam, & benedictionem.* qualis describitur *Syrach 34. v. 20.* Grande & fœdum peccatum est Ingratitudo secundum explicata III. ex Neglectu subsequente, quia tales ingrati debitum negligunt & *Christum* relinquunt, non observant illi debitum revertendi à Sacerdotibus ad *Christum* summum Sacerdotem, & negligunt illud *Pauli : Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato, adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilium opportunum. Ebr. 4. v. 15, & 16.* non observant illi debitum gratitudinis nec agnoscunt *Christum* Thaumaturgum, & negligunt illud *Davidis : Magna feci tu Domine Deus meus, mirabilia tua & cogitationes tuæ de nobis, nulla est comparatio ad te; si ea recensere & enumerare velim majora sunt, quàm quæ numerari valeant. Psalm. 40. v. 6.* non observant debitum deprædicandi, laudandi Benefactorem & Evergeten, & negligunt illud Turbæ sanctæ : *Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum Amen. Apoc. 7. v. 12.* Si quondam turpiter egit *Joas*, quòd ingratum se exhibuerit *Zachariæ* filio *Jojadæ*, cui omnia debuit, quia adhæsit Principibus suis malè suadentibus & sese non convertit ad illum, de quo *2. Paral. 24. v. 17, 20, 22.* quantò magis turpiter agent *Christiani*, si ingratos sese exhibeant DEO, non observent debitum suum & ex illorum se ostendant numero, de quibus *Esaias : Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis perditis, dereliquérunt Dominum & blasphemárunt Sanctum in Israël.* ex *cap. 1. v. 4.*

USUS I. DEHORT.

SI tam grande & fœdum vitium ingratitudo, caveamus, ne tantùm, cùm miseri, clamemus, dicamusque: *JESU miserere*, & cum populo *Israëlitico* acclamemus: *Pater meus, Dux meæ juventutis es tu.* ex *Jerem. 3. v. 4.* similes ovi sub Leonis rictu *1. Sam. 17. v. 34.* memores illius: *Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua supervacua. Sap. 16. v. 29.* Caveamus, ne Beneficiorum divinorum multitudinem vilipendamus. obliviscamur factorum cum populo *Israëlitico*, *qui recesserunt & exasperârunt, generatio quæ non direxit cor suum, & non fuit fidelis cum DEO Spiritus ejus. Psalm. 78. v. 8.* similes Afinis, qui non attenderunt ad stabula & pabula *Cis in Benjamin 1. Sam. 9. v. 3.* memores illius: *Nunquid obliviscetur Virgo ornamenti sui aut sponsa ornatus sui? populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris: nam & ab istâ egredieris, & manus tuæ erunt super caput tuum, quoniam repudiabit Dominus confidentiam tuam & nihil habebis prosperum in illis. Jerem. 2. v. 32. & 37.* Caveamus, ne DEUM nostrum saturati Beneficiis relinquamus, & cum populo *Israëlitico* recedamus, de quibus *Moses: Incrassatus est rectus & recalcitravit; incrassatus, impinguatus, opertus est, dereliquit Deum factorem suum, & pro fatuo habuit petram salutis suæ. Deut. 32. v. 15.* similes Corvo *Noachi*, qui post Beneficia avolavit nec rediit *Gen. 8. v. 7.* memores illius: *Expectatio Israël Domine, omnes, qui te derelinquunt, confundentur, recedentes à te in terrâ describentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Jeremiæ 17. v. 13.*

USUS II. ADHORT.

SI tam grande & fædum vitium ingratitudo, caveamus omnes & singuli, ut jugiter retroflectamus ad nostram Matriam, & cum *Davide* dicamus: *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque.* ex *2. Sam. 7. v. 18.* Studeamus omnes & singuli, ut jugiter ad Beneficiorum divinorum Cumulum attendamus, & cum *Jacobo* dicamus: *Minor sum cunctis miserationibus*

bus tuis, & veritate tuâ, quam explevisti servo tuo. Gen. 32. vers. 10. Studeamus omnes & singuli, ut jugiter post Beneficia ad *Messiam* nos convertamus, & cum *Hiskiâ* dicamus: *Ecce ad pacem amaritudo mea amara, & tu amâsti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea, Dominus ad salvandum me succurrit mihi, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in Domo Domini.* ex *Esaiæ 38. v. 17, & 20.*

USUS III. CONSOL.

SI tam grande & fædum vitium Ingratitudo, bono sint animo, qui in omnibus sese exhibent gratos *1. Thess. 5. v. 18.* Si *Caro* nostra nos seducere tentet, ne reflectamus ad priorem miseriam, *quòd quondam è longinquo alienati à Republicâ Israel, & hospites testamentorum promissionis spem non habentes & sine DEO in hoc mundo fuerimus. Eph. 2. v. 12.* novimus Spiritum in Verbo esse fortiorem & ostendere nobis, quòd *peccata dividant inter DEUM & nos Esaiæ 59. v. 2.* quòd *clamandum nobis fuerit è profundis Psalm. 130. v. 1, & 2.* quòd sæpius ingeminandum, *miserere nostri Deus omnium, & respice nos & ostende lucem miserationum tuarum. Syr. 36. v. 1.* Si *Mundus* nos soliciter, seducere tentet, ne beneficia magni æstimemus, illorum obliviscamur, & simus similes illis, de quibus *Jeremias: Num nix Libani deserit petras in agro? num aquæ frigidæ defluentes evanescunt? quemadmodum mei mox oblivisciturpopulus meus. cap. 18. v. 14.* novimus Spiritum in Verbo esse potentiorem, ostendere nobis Beneficium remissionis, *quòd deleat quasi nubem iniquitates nostras, quasi nebulam peccata nostra.* ex *Esaiæ 44. v. 22.* Beneficium sanationis, *ut qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, & sanat omnes Infirmitates nostras: qui redimit ab interitu vitam nostram, qui coronat nos in misericordiâ & miserationibus.* ex *Psalm. 103. v. 3, & 4.* Beneficium Benedictionis, *ut benedicti simus ingredientes & egredientes. Deut. 28. v. 6.* Si denique *Diabolus* nos seducere tentet, ne revertamur ad *Messiam* debitè, sed convertamus nos à sacrificiis ad Dæmonia *Deut. 32. v. 17.* ut *Moses* conqueratur: *Hæccine reddis Domino populestulte & insipiens, nunquid non est pater tuus, qui possedit te & fecit & præparavit te? versu sexto,* novimus Spiritum in Verbo esse effi-

efficaciorem ostendere, nobis *Christum* Sacerdotem summum, ad quem possimus reverti Corde credente tanquam illum : *Qui summus pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, i. e. non hujus structuræ, neque per sanguinem Hircorum & vitulorum sed per proprium introivit æternâ redemtione inventâ.* qui describitur *Ebr. 9. v. 11, 12.* ostendere *Christum* medicum, quem debemus prosequi gratâ mente, *qui Dominus Deus sanator tuus. Exodi 15. v. 26.* ostendere *Christum* Benefactorem, qui laudandus & celebrandus cui dicendũ : *Dignus es Domine accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creásti omnia, & per voluntatem tuam sunt & creata sunt.* ex *Apoc. 4, v. 11.* finimus in Verbis : *Omnem aufer iniquitatem, & exhibe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Oseæ 14. v. 11.* AMEN.

DOMINICA XV. POST TRINITATIS, MATTH. VI. ℣. 30.

Εἰ δὲ τὸν χόρτον τὸν ἀγρὸν σήμερον ὄντα, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον, ὁ Θεὸς οὕτως ἀμφιέννυσιν, οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς, ὀλιγόπιστοι;

Quòd si gramen agri, quod hodie cùm sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, an non multò magis vobis id faciet, o parùm fidentes?

SPlendidè quondam DEUS vestivit Josephum ProRegem Ægypti, dum non tantùm ex squalido Carcere eundem eripuit & in libertatem reduxit, sed & byssо eundem ornari voluit, *Gen. 41. v. 42.* Splendidè DEUS vestivit Josephum, quia præ florum gratiâ illum condecoravit. Erat *Ægyptus* aliâs terra abundans gramine & arboribus, similis *Paradiso*, verùm DEO favente eductus ex Carcere *Josephus longè* illustriori veste donatur, quàm illa gramina & herbæ, quæ in *Ægypto* oculos pascebant, quemadmodum etiam, cùm adhuc ageret apud Patrem, polymita fuit indutus, Veste versicolore, quia scil. charus parenti præ cæteris, ut

ut constat ex *Gen. 37. v. 3.* Splendidè vestivit DEUS Josephum, quia multis ornamentis eundem condecoravit. Erat *Ægyptus* abundans gramine & floribus non unius generis, sed varii & diversi coloris, verùm DEO favente longè splendidius condecoratur *Josephus*, accipiens vestem byssinam, ex candidissimo lino, quod in *Ægypto* apud oppidum Sombat nascebatur, & inde in alias Regiones exportabatur, ut constat ex *Ezechielis cap. 27. vers. 7.* Splendidè vestivit denique Josephum DEUS, quia illum in Veste suâ prætulit omnibus Ægyptiis & florum etiam generibus. Erat *Ægyptus* aliàs terra abundans gramine & arboribus præstantissimis, verùm DEO favente eductus è Carcere *Joseph* in Veste byssinâ vehitur in Curru, ut ibidem Veste illâ, quæ principatus Symbolum & apud *Ægyptios* summæ dignitatis erat sese ostenderet populo tanquam principem orbis *Ægyptii*, tanquam Virum in quo Spiritus DEI, tanquam Candidatum summæ felicitatis, cujus fasciculus prævaleret omnibus juxta divinum somnium *Gen. 37. v. 7.* Ut quondam *Joseph* splendidè à DEO fuit vestitus & ita prævaluit floribus Terræ, ita *Christus* docere vult, hominem prævalere gramini cuique & proinde non solicitum esse debere de Indumento, de quo *σὺν Θεῷ*.

EXEGESIS.

Dilucerat *Christus* in Campum, voluerat attendi Lilia, comparatilla cum ornatu *Salomonis*, concludit ergo & dicit: *Si Deus ita gramen vestit, an non multò magis vobis id faciet, ô parum fidentes?* In quibus Verbis observandum 1. de quo loquatur. Loquitur autem de herbâ agri & dicit, *quod si gramen agri, quod hodie cùm sit, cras in clibanum mittitur*, per gramen agri intelligit non tam lilium, ut opinatur vir quidam doctus, quàm herbam communem, gramen & agrum vile, quod addit liliis, adeoque designat herbam agrestem, rem abjectissimam, ut quidem vox χόρτος *quæ hic* legitur, usurpatur *Joh. 6. v. 10.* dicit hodie esse, sive quod gramen hodie est in rerum naturâ, non diu subsistit, sed vel per diem naturalem, aut etiam artificialem tantùm viret *σήμερον hodie*, ut hæc vox ita legitur & usurpatur

Matth. 16. v. 3. dicit *in Clibanum mittitur*, non ut torrefiat, quemadmodum segetes vel virentes spicæ, ut sensit *Beza*, nec ut aquæ inde destillentur, quemadmodum ex floribus & odoriferis herbis, sed quia de gramine agit, ideoque loquitur de conjectione in furnum ut succendatur; solebant enim furni in *Judæa*, non tantùm ramalibus arborum, sed & floribus, stipulis siliquis, & aliis id genus succendi postquam exaruerunt. In græco occurrit vox κλίβανος, quæ notat einen Backofen/ubi aliàs hordeum torretur, hordei furnus, generaliter autem hic usurpatur de furnis, qui in usum hominis calefiunt, & ita quoque usurpatur *Luc. 12. vers. 28.* II. Observandum quid de gramine dicat. Dicit autem, *quod si gramen agreste & vile, quod hodie est per exiguum tempus, cras in clibanum mittitur, ut succendatur Deus ita vestit, ὡτως ἀμφιέννυσιν*, tam sufficienter, ut undique circumdatum sit suo quasi vestimento, ut *Pharisæi* longis sese vestimentis undique circumdabant, de quo *Lucæ 20. v. 46.* tam pulchrè & ornatè per tot colores, ut *Epulo* ille sese vestivit purpurâ & byssо, de quo *Lucæ 16. v. 19.* tam convenienter & molliter, ut qui in Regum aulis Vestimenta gestare solent *Lucæ 7. vers. 25.* III. Observandum quomodo concludat. Dicit autem, *quî non multo magis vos vestiret!* vos, qui estis homines, propter quos flores, gramina, imò universum Mundum condidit, & quibus dixit: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram & universæ ligna, in quibus est fructus & producunt semen. Gen. 1. v. 29.* vos, qui estis ad immortalitatem conditi & habetis animam rationalem, *Spiraculum vitarum. Gen. 2. v. 7.* vos, qui non in Clibanum, sed in Cœlum transferendi, ut æternùm sitis mecum in Beatitudine & propterea post Lapsum accepistis illam illustrem promissionem: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius, ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus. Gen. 3. v. 15.* ὀλιγόπιστοι ô parum fidentes quæ vox etiam legitur, de *Apostolis Matth. 8. v. 28.*

L. D.

VIdemus, Quàm exiguæ fidei Indicium sit Solicitudo illa nimia de vestitu. Hoc docet Christus tam egregiè

gie concludendo & vocem ὀλιγόπιστε addendo. Exiguæ fidei Indicium est solicitudo illa nimia de Vestitu I. ex graminis propositione. Est enim gramen, quod cottidie præ oculis nostris res vilis & abjectissima, quæ etiam pedibus calcatur & conteritur & à brutis consumitur, unde *Jobus* dicit: *Nunquid rugiet onager, cùm habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit? cap. 6. v. 5.* est gramen res inconstans & caduca, quæ per unum & alterum diem tantùm viret, unde *David* per comparationem dicit: *Tanquam fœnum velociter, demetentur & sicut herba virens, marcescent. Psalm. 37. v. 2.* est gramen res destructionis, Igni & combustioni destinata, quæ in Clibanum mittitur, & comburitur vel etiam à Solis æstu consumitur, undè *Joel: Ignis comedit pascua deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis. cap. 1. v. 19.* Quemadmodum DEUS duxit *Obadiam* in Campum, ut videret gramen, quod omne ferè exustum & consumptum, de quo *1. Reg. 18. v. 5, & 6.* sic *Christus* nos in Campum ducit, proponit Gramen vile, caducum & succendendum in argumentum providentiæ, qui alias per *Esaiam* dixit: *Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos; quia Spiritus Domini insufflavit in eo; populus est fœnum. cap. 40. v. 7.* Exiguæ fidei Indicium est solicitudo illa nimia de Vestitu II. ex Vestitus Intensione, cum enim DEUS quocunque modo vestit gramen, sed ἕτως; vestit illud sufficienter, instruit omnibus necessariis, unde etiam in prima rerum Creatione dixit: *Germinet terra herbam virentem, & faciens semen & lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Gen. 1. v. 11.* vestit illud eleganter, ut oculos pascat coloribus, unde etiam animat *Messias* Salomonitidem, ut eat in Campum, *quia flores apparuérunt in terrâ, & tempus putationis advenit. Cant. 2. v. 12.* vestit illud convenienter, unde *Salomon: Apparet gramen & conspicitur herba, & colliguntur herbæ montium. Proverb. 27. v. 25.* Quemadmodum DEUS ostendit *Pharaoni* in somno gramen, quod sufficienter & abundanter creverat, virebat & molliter ad Nilum emerserat *Gen. 41. v. 2 &* sic *Christus* nobis ostendit Vestitum graminis sufficientem, splendidum & convenientem, qui aliàs describitur, quòd *producat gramen Isai. 58. v. 27.* Exiguæ fidei Indicium est solicitudo illa nimia de

Vestitu III. ex Hominis Conditione. Est enim homo multò melior gramine in Dignitate, Dominus quippe Orbis, qui potest dicere: *Magnificavi opera mea, & ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos & paradisos, & consevi ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem Sylvam lignorum germinantium.* ex *Ecclesiastis 2. v. 4, 5, 6.* Est homo multo melior gramine in animæ immortalitate, Spiraculi en m capax vitarum, qui potest dicere: *Sortitus sum animam bonam, & cùm benè educatus essem, veni ad corpus inconquinatum.* ex *Sapientiæ 8. v. 19, & 20.* est homo multò melior gramine in Beatitudinis consequendæ æternitate. qui potest dicere: *Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* ex *Tobiæ 2. v. 17, & 18.* Quemadmodum DEUS in primâ productione rerum longè prætulit hominem omni gramini & florum generi, quia illum ultimo produxit ad sui imaginem, de quo *Gen 1. v. 27.* ita *Christus* præfert adhuc gramini & omni ornatui illius hominem, de quo *Philo: Deus creavit hominem inexterminabilem & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Sapientiæ 2. vers. 23.*

USUS I. DEHORT.

Si tam exiguæ fidei Indicium est Solicitudo nimia de Vestitu, graviter peccant, qui non attendunt ad gramina Agri, sed versantur in hoc Mundo, ut Bruta, similes *Nabuchodonosori*, qui in Bestiam degeneravit & fœnum comedit *Dan. 4. v. 30.* quid illi expectabunt, quàm ut in Clibanum aliquando æterni Ignis conjiciantur, juxta illud *Christi: Sicut colliguntur Zizania, & igne comburuntur, sic erit in consummatione seculi; mittet filius Hominis Angelos suos & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Matth 13. vers. 40, 41, 42.* Peccant, qui non attendunt ad ornatum florum & totius Universi, sed versantur in hoc Mundo sicut *Nabal*, qui ad Ventrem suum unicè respexit, de quo *1. Sam. 25. v. 36.* quid illi expectabunt, quam ut ex ornatu Crea-

Creaturarum transferantur in illum locum, *qui est terra caliginis & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, cujus splendor est caligo.* qui describitur *Job 10. v. 22.* Peccant denique, qui non attendunt ad præstantiam Hominis præ gramine & cæteris creaturis, hi versantur in hoc Mundo ut Bruta, similes *Epicuræis*, qui dicunt: *Exiguum & cum tædio est Tempus vitæ nostræ, & non est refugerium in fine Hominis, & non est, qui agnitus sit reversus ab inferis, quia fortuito nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus, quoniam fumus diffusus est in naribus nostris, & sermo est scintilla in commotione cordis nostri, quia extincto cinere erit corpus nostrum, & Spiritus dissipabitur tanquam mollis aër & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius aggravata.* ex *Sapientiæ 2. v. 1, 2, 3.* quid illi exspectabunt, quàm ut exarescant ad Judicii divini Rigorem, juxta illud: *Exortus est Sol cum ardore, & arefecit fœnum & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit, Jacobi. 1. v. 11.*

USUS II. ADHORT.

Si tam exiguæ fidei Indicium est Solicitudo nimia de Vestitu, studeamus, ut ad illud gramen, quod præ oculis nostris attendamus, atque curam de Vestitu in DEUM rejiciamus, qui non in Campum ducit, memores illius *Pauli: Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus. Ebr. 13. v. 5.* Studeamus, ut attendamus adornatum graminis ante oculos nostros, atque curam de Vestitu in DEUM rejiciamus, qui ita vestit hæc vilia, memores illius *Syracidæ: Præcipuum vitæ Hominis aqua & panis & vestimentum & domus tegat ea, quorum nos pudet; melior est victus pauperis, sub tegmine firmo, quàm epulæ splendidæ in peregrè sine domicilio. cap. 29. vers. 25, 26.* Studeamus, ut attendamus ad præstantiam hominis præ gramine, atque curam de Vestitu in DEUM rejiciamus, qui nos tam multis modis præfert, memores illius, quod ipse dixit *Israelitis: Adduxi vos quadraginta annis per desertum; non sunt attrita vestimenta vestra: nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumta sunt, Deut. 29. v. 5.*

USUS III. CONSOL.

SI tam modicæ fidei indicium est solicitudo nimia de vestitu, bono sint animo omnes & singuli, qui fide & fiducia in DEUM pollent, atque illud *Pauli* sibi probè imprimunt: *Est quæstus magnus pietas cum animo suâ sorte contento, nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quia nec auferre quid possumus; habentes autem alimenta, & quibus tegamur, contenti simus. 1. Tim. 6. v. 6, 7, 8.* Si quandoque nos etiam destituamur vestitu, imò omnibus dicendum illud: *Nudus egressus sum de utero matris, nudus revertar illuc. Jobi 1. v. 21.* novimus illum, qui nobis proponit gramen, quoque de vestitu dispecturum, & ut primos parentes nostros vestivit *Gen. 3. v. 21.* ita & nobis vestimenta procuraturum & dicturum: *Ego sunt ad vestimentum tuum; & hædi ad agri precium. Prov. 27. v. 26.* imò in Exordio vitæ in Baptismo induere nobis vestes illas splendidas, de quibus *Ezechiel: Vestivi te discoloribus & calcavi te hyacintho, & cinxi te byssо, & operui te serico, & ornavi te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi monile in facie tuâ & circulos auribus tuis & coronam decoris in capite tuo. cap. 16. v. 10, 11, 12.* Si quandoque ornatu destituamur, & in sacco ambulandum, vestibusque dilaceratis, ut *Esaiæ 37. v. 1.* novimus illum, qui non tantùm vestit gramen, sed eleganter vestit etiam, si in commodum nostrum vergat, ornatè nos vestiturum, & ut induit splendidè *Josephum Gen. 41. v. 42.* ita & nos ornaturū: *Ut omni tempore vestimenta nostra sint candida, & oleum de Capite nostro ne deficiat Eccl. 9. v. 8.* imò ornatu spirituali nos coronaturum & dicturum: *Ponite cidarim mundam super caput ejus.* ex *Zach. 3. v. 5.* Si deniq; destituamur fructu vestimentorum, quandoque & agnoscendum illud: *Seminastis multum & intulistis parùm: comedistis & non estis satiati; bibistis & non estis inebriati: Operuistis vos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregavit, misit eas in angulum pertusum. Haggai 1. v. 6.* novimus illum, qui ita præfert hominem gramini, etiam vestimentis nostris benedicturum, & ut vestivit pauperes, *Tobiam* utiliter *Tob. 1. v. 20.* ita & nos vestiturum utiliter, *ut Judas pugnaturus sit adversus Jerusalem, & con-*

& congregentur divitiæ omnium gentium in circuitu, aurum & argentum & vestis multa satis. Zach. 14. v. 14. imò daturum vestimenta Salutis, ut dicamus: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo, quia induit me vestimentis salutis justitiæ, & operuit me quasi Sponsum sacerdotali ornatu, & quasi Sponsam ornatam monilibus suis.* ex *Esaiæ 61. v. 10.* AMEN.

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS, LUC. VII. ℣. 16.

Ἔλαβε δὲ φόβος ἅπαντας, καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεὸν, λέγοντες, ὅτι προφήτης μέγας ἠγέρθη ἐν ἡμῖν, καὶ ὅτι ἐπεσκέψατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ.

Accepit autem omnes timor, & glorificabant DEUM, dicentes: Propheta magnus surrexit inter nos, & DEUS visitavit plebem suam.

Rectè quondam Seniores populi Israelitici & Capita fecerunt, quòd lætari fuerint DEO visitante illos & respiciente illorum miseriam, de quo *Exodi 4. v. 31.* Rectè egerunt Seniores populi & Principes, quòd agnoverunt DEUM verum visitasse. Retulerat *Moses* apparitionem in Rubo, quòd scilicet verus DEUS, DEUS *Abrahami & Isaaci & Jacobi*, manifestaverit sese clarâ in flammâ & luce, & ex illâ sonorâ voce illum compellarit, solemnia promissa ediderit; quapropter non tantùm credit populus, sed & Seniores agnoscunt DEUM, qui hactenus sese occultarat, nunc involverat quasi, & ipsis cæperat oblivioni esse, sese manifestasse, ut quondam *Abrahamo*, quum juberet eundem egredi patriâ terrâ, de quo *Gen. 12. vers. 1.* Rectè egerunt Seniores populi & Principes, quòd agnoverunt DEUM sese manifestasse gratiosè. Suspirabant sub oneribus, anhelabant ad libertatem, nihil magis in votis erat illis, quàm ut Tyrannidi subducerentur, cùm itaque

que illis refertur, DEUM apparuisse, *Moses* promissa pandit, concludunt DEUM visitasse gratiosè suos, præ foribus esse liberationem, atque DEUM fore illis in Medicum, nullâ plagâ Ægypti onerantem, sed ab illâ liberantem, pastorem, qui educat, Patrem, qui hactenus derelictorum curam susceperturus, ut quondam *Isaaci*, quem duxit & reduxit, pavit & curavit, de quo *Gen. 26. v. 2, 4, 12.* Rectè egerunt Seniores populi tum temporis, quod agnoverunt DEUM visitasse populum suum. Erant illi populus *Pharaonis*, qui illos duriter tractabat, truculenter habebat & premebat, ut etiam ipsa vita ipsis fuerit oneri; cùm itaque *Moses* apparet, eriguntur in spem melioris sortis; quapropter renunciante illo, quæ DEUS ipsi commendaverat, agnoscunt DEUM visitasse populum suum, non sese tam esse *Pharaonis*, tam duriter imperantis, quàm DEI populum, qui curaturus illorum vulnera & vibices, qui ducturus & pasturus, qui denique illos observaturus tanquam primogenitum filium, ut quondam tanquam suo quævis Bona promisit & exhibuit stirpi scil illorum *Jacobo Gen. 28 v. 15.* Ut quondam *Seniores* populi rectè egerunt agnoscentes DEUM visitasse suum populum, ita multò magis Spectatores hujus miraculi, de quibus οὐν Θεῷ.

EXEGESIS.

Dixerat populus ad conspectum miraculi: *Suscitatus est Propheta magnus inter nos*, addit in complementum fidei & admirationis: *& Deus visitavit populum*, quæ verba commodè accipi possunt de visitatione per hunc Prophetam, tanquam *Messiam*, cùm de Johanne, utut viro insigni, aliàs non locuti sint *Judæi*. Dicunt autem *Deum visitasse populum suum.* In quibus verbis observandum I. Quis dicatur visitasse. Dicunt autem: *Deum visitasse*, illum, qui Majestate omnibus antistat, de quo quondam *Moses: Quis similis tui in Diis Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia. Exod. 15. v. 11.* illum, qui gloriâ Luminis omnibus superior, de quo *David: Laudem & gloriam induisti, amictus lumine sicut vestimento. Psalm. 104. v. 2.* illum, qui infinitæ essentiæ, potentiæ & præsentiæ omnia excedit, de quo *Esaias: Cui*

Tum

tua scio mea, terra autem scabellum pedum meorum. ex *cap. 66. v. 1.* II. Observandum, Quid visitatio. Dicitur autem DEUM visitasse. In græco est vox ἐπεσκέψατο, *Vulgatus* reddidit, *visitavit. Beza* reperit, quæ vox usurpatur *de visitatione* illâ, quæ fit medicè ad *ægros* scil. atque ita legitur *Matth. 25. v. 43.* usurpatur de *visitatione* illâ, quæ fit *pastoraliter ad oves* in deserto totius Mundi oramus, & sic legitur *Actor 15. v. 14* denique usurpatur de *visitatione* illâ, quæ fit *misericorditer ad orphanos, viduas & miseros*, atque ita legitur *Jacobi 1. v. 27.* III. Observandum, Qui dicantur visitati. Dicunt autem, *Deum visitasse populum suum*, populum hactenus laborantem, desertum, miserum, illum, qui hactenus ægrotavit, non aliter ac majores in deserto à serpentibus ictí *Numer. 21. v. 6.* qui hactenus erravit, tanquam grex in deserto, non aliter ac majores quondam *Psalm. 78. v. 53.* qui hactenus miser & destitutus Regimine, non aliter ac majores quondam in deserto, quibus dictum: *Non ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne fortè disperdam te viâ. Exod. 33. v. 3.*

L. D.

Videmus, Quantus sit Favor, quantum Beneficium, quanta Gloria, Visitatio singularis. Hoc docet populus deprædicans & dicens: *Suscitatus est Propheta magnus inter nos, & quia visitavit plebem suam.* Grande Beneficium & Favoris Indicium est visitatio gratiosa I. ex Visitantis Dignitate, quia DEUS visitat. Visitat enim, ille qui majestate superior, Creator Creaturam, de quo *David: Non est similis tui in Diis Domine, & non est secundùm opera tua. Psal. 86. v. 8.* Visitat ille, qui Lucis Gloriâ superior, Splendor ipsum Tenebras, *Rex Regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest. 1. Tim. 6. v. 16.* Visitat ille, qui Infinitate superior, Immensus pulvisculum Terræ, *quem Cæli cælorum non capere possunt. 1. Reg. 8. v. 27.* Singulare Beneficium & Favoris Indicium quondam fuit, quòd *Noah* visitavit corruptos homines antediluvianos, Vir divinus, de quo *Gen. 6. v. 8. & 9.* At quid *Noah*

ad DEUM, omnis solatii fontem, omnis dignitatis apicem. qui dicit: *Hæc dicit excelsus & sublimis, qui habitat æternitatem, & sanctum nomen ejus in excelso, & in sancto habito, & cum contrito & humili Spiritu, ad vivificandum Spiritum humilium, & vivificandum cor contritorum. Esaiæ 57. v. 15. & 16.* Grande Beneficium & Favoris Indicium est visitatio gratiosa II. ex Visitationis Qualitate. Visitat enim DEUS medicinaliter, ut curet, unde *Esaias* dicit: *Dicite pusillanimis: confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester ultor veniet, retribuens Dominus ipse veniet, & salvabit vos. tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, & jubilabit lingua mutorum. cap. 35. v. 4, 5, 6.* Visitat Deus pastoraliter, ut pascat & dirigat, unde ipse *Ezechiel: Ego pascam oves meas, & ego eos accubare faciam, dicit Dominus Deus, quod perierat requiram, & quod errans erat, reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam, & pascam illas in judicio. cap. 34. v. 15. & 16.* Visitat Deus misericorditer, unde *Esaias: Dominus appellavit te mulierem derelictam, & mœrentem Spiritu, & mulierem adolescentulam repudiatam, dicit Deus tuus: ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te: in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordiâ sempiternâ misertus sum tui. cap. 54. v. 6, 7, 8.* Singulare Beneficium & Favoris Indicium quondam fuit, quòd *Abraham* per *Eliezerum* visitavit *Bethuelem* & familiæ illius membra, de quo *Gen. 24. v. 3. & 4.* At quid *Abrahami* visitatio ad visitationem DEI, quæ abundat animo & affectu curandi, pascendi, miserendi, ut *Esaias* dicat: *Ecce Dominus auditum fecit in extremis Terræ, dicite filiæ Sion: ecce Salvator tuus venit, merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo; & vocabunt eum populus sanctus, redemti à Domino: tu autem vocaberis quæsita civitas, & non derelicta. cap. 62. v. 11. & 12.* Grande Beneficium & Favoris Indicium est Visitatio gratiosa III. ex Visitatorum Infirmitate, sunt enim illi populus DEI æger, de quo ipse *Esaias: Totum caput languet, & totum cor ægrotat: à planta pedis usque ad verticem non est integrum quiddam: vulnus, livor, & plaga humida, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. cap. 1. v. 5, 6.* sunt illi populus DEI errans & de-

& devians, de quo ipse *Christus: Destituti sunt & dispersi sicut oves, non habentes pastorem. Matth. 9. v. 36.* sunt illi populus DEI miser, tristis & destitutus, de quo *Jeremias: Quomodo sedet sola civitas, plena populo facta est quasi vidua, Domina gentium: Princeps provinciarum facta est sub tributo. Thren. 1. v. 1.* Singulare Beneficium & Favoris Indicium quondam fuit, quòd *Josephus* visitavit *Patrem* ægrotantem & morti vicinum, de quo *Genes. 48. v. 1.* At quid *Joseph* ad DEUM, qui visitat suum populum, cùm maximè laborat & ægrotet, cum errat & deviat, cùm censetur esse planè derelictus, qui dicit: *Audite verbum Domini gentes, & annunciate in Insulis, quæ procul sunt, & dicite: qui dispersit Israel, congregabit eum, & custodiet eum sicut pastor gregem suum; redimet enim Dominus Jacob, & liberabit eum de manu potentioris. Jerem. 31. v, 10, 11.*

USUS I. DEHORT.

Etiam grande Beneficium Visitatio gratiosa, peccant graviter, qui non attendunt ad Majestatem & Dignitatem visitantis, imò in Corde suo dicunt: *non est DEUS*, ut illi, de quibus *Psalm. 14. v. 1.* experientur illi aliquando ejusdem Infinitatem in puniendo & potentiam in visitatione intolerabilem, qui ipse de se dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator; reddens iniquitatem Patrum super filios in tertiam & quartam generationem, his, qui oderunt me. Deut. 5. v. 9.* Peccant graviter, qui non attendunt ad Visitationis Qualitatem, non putant DEUM se inclinare ad nos curiosè, imò dicunt: *Nonne Deus est in altitudine cœlorum, & capita stellarum vide, quando exaltantur; nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & in circulo cœli obambulat. Job. 22. v. 12, 13, 14.* experientur illi aliquando ejusdem Inclinationem ad Iram, qui ipse dicit: *Visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum: & quiescere faciam superbiam præfractorum & arrogantiam Tyrannorum humiliabo. Esaiæ 13. v. 11.* Peccant graviter, qui non attendunt ad propriam infirmitatem & putant sese posse DEUM meritis provocare, aut cum *Ephraimo* dicunt: *Profectò dives sum: paravi mihi vires: in omnibus laboribus meis non invenietur iniquitas, quæ peccatum sit. Osee 12. v. 8.* experientur illi aliquando ejusdem pronitatem ad pu-

niendum & Infinitatem oſtendendam, qui ipſe de ſe dicit: *Nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus, aut ſuper hujuscemodi gentem non ulciſcetur anima mea. Jer. 5. v. 29.*

USUS II. ADHORT.

SI tam grande Beneficium Viſitatio gratioſa, ſtudeant omnes & ſinguli, ut DEI viſitantis Majeſtatem & Dignitatem agnoſcant, atque cum *Abrahamo* humiliter dicant: *Ecce quæſo aggreſſum loqui ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis. Gen. 18. v. 27.*) ut viſitationis qualitatem expendant, & cum *Labane* excipiant ſollicialiter atque dicant: *Ingredere benedicte Domini, cur foris ſtas? Gen. 24. v. 31.* ut denique propriam Infirmitatem (atque cum *Moſe* ſibi gratulentur & dicant: *Nec eſt alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Dominus Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Deut. 4. v. 7.*)

USUS III. CONSOL.

SI tam grande Beneficium Viſitatio gratioſa, bono ſint animo, quos DEUS viſitat, & qui poſſunt dicere grandiùs quàm *matre Johannis Luc. 1. v. 43.* Utut ſimus creaturæ exiguæ Eſſentiæ Luminis, & amplitudinis, atque agnoſcendum illud: *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ & quaſi pulviſculus ſtatera reputatæ ſunt: ecce inſulæ quaſi pulvis exiguus. Eſaiæ 40. v. 15.* novimus tamen, etiam illum, qui ſummus, qui in luce habitat, qui infinitus, nos accedere, viſitare, imò carnem & ſanguinem noſtrum aſſumpſiſſe, ut poſſimus dicere: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Joh. 1. v. 14.* gloriari: *Per viſcera miſericordiæ DEI noſtri, in quibus nos viſitavit Oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris & umbrâ mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Luc. 1. v. 78, 79.* dicere: *In Chriſto inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Et ſumus in illo completi, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis. Coloſ. 2. v. 9, 10.* Utut ſimus per Naturam deſtituti viſitatione gratioſa, atque agnoſcendum illud, *quòd fuerimus ſine Chriſto, abalienati à Re-*

Republicâ Israël, & hospites Testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine DEO in hoc mundo. Ephes. 2. v. 12. novimus visitasse nos gratiosè DEUM, ut possimus dicere: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus: benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Psalm. 103. v. 1, 2, & 3.* ut possimus dicere: *Dominus est pastor meus, & nihil mihi deerit: in pascuis herbosis cubare facit me: ad aquas refectionis ducit me, animam meam convertit. Psalm. 23. v. 1, 2, 3.* ut possimus dicere: *Factus est Dominus refugium pauperi: adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, & sperent in te, qui noverunt nomen tuum; quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. Psalm. 9. v. 10, 11.* Utut denique simus spiritualiter ægri, icti à serpente infernali, devii sæpe per pec-cata & digni qui destituamur DEO propter illa, atque agnoscendum illud: *Omnes nos quasi oves erravimus, & unusquisq; in viam suam declinavit. Esaiæ 53. v. 6.* novimus visitare DEUM populum suum, atque à morsu serpentis sanare juxta promissum *Jeremiæ: Ecce obducam ei cicatricem, & sanitatem, & curabo eos, & devolvam illis deprecationem pacis & veritatis. cap. 33. v. 6.* reducere in viam, atque se exhibere illum pastorem, qui dicit: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam, & cum invenerit eam, imponit in humeros suos, gaudens & veniens domum, convocat amicos & vicinos suos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Luc. 15. v. 4, 5, 6.* & tandem discere proferri: *Non relinquam vos orphanos, sed veniam ad vos. Joh. 14. v. 18.* imò visitaturum aliquando nos consummatè secundum illud: *Ecce tabernaculum DEI cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipse populus ejus erunt, & ipse DEUS cum eis erit illorum DEUS, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Apoc. 21. v. 3. & 4.* AMEN.

Vestitu III. ex Hominis Conditione. Est enim homo multò melior gramine in Dignitate, Dominus quippe Orbis, qui potest dicere: *Magnificavi opera mea, & ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos & paradisos, & consevi ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem Sylvam lignorum germinantium.* ex *Ecclesiastis* 2. *v.* 4, 5, 6. Est homo multo melior gramine in animæ immortalitate, Spiraculi enim capax vitarum, qui potest dicere: *Sortitus sum animam bonam, & cùm benè educatus essem, veni ad corpus inconquinatum.* ex *Sapientiæ* 8. *v.* 19, & 20. est homo multò melior gramine in Beatitudinis consequendæ æternitate, qui potest dicere: *Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* ex *Tobiæ* 2. *v.* 17, & 18. Quemadmodum DEUS in primâ productione rerum longè prætulit hominem omni gramini & florum generi, quia illum ultimo produxit ad sui imaginem, de quo *Gen.* 1. *v.* 27. ita *Christus* præfert adhuc gramini & omni ornatui illius hominem, de quo *Philo: Deus creavit hominem inexterminabilem & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Sapientiæ* 2. *vers.* 23.

USUS I. DEHORT.

Si tam exiguæ fidei Indicium est Solicitudo nimia de Vestitu, graviter peccant, qui non attendunt ad gramina Agri, sed versantur in hoc Mundo, ut Bruta, similes *Nabuchodonosori*, qui in Bestiam degeneravit & fœnum comedit *Dan.* 4. *v.* 30. quid illi expectabunt, quàm ut in Clibanum aliquando æterni Ignis conjiciantur, juxta illud *Christi: Sicut colliguntur Zizania, & igne comburuntur, sic erit in consummatione seculi; mittet filius Hominis Angelos suos & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Matth* 13. *vers.* 40, 41, 42. Peccant, qui non attendunt ad ornatum florum & totius Universi, sed versantur in hoc Mundo sicut *Nabal*, qui ad Ventrem suum unicè respexit, de quo 1. *Sam.* 25. *v.* 36. quid illi expectabunt, quam ut ex ornatu Crea-

Creaturarum transferantur in illum locum, *qui est terra caliginis & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, cujus splendor est caligo.* qui describitur *Job 10. v. 22.* Peccant denique, qui non attendunt ad præstantiam Hominis præ gramine & cæteris creaturis, sed versantur in hoc Mundo ut Bruta, similes *Epicureis*, qui dicunt: *Exiguum & cum tædio est Tempus vitæ nostræ, & non est refugerium in fine Hominis, & non est, qui agnitus sit reversus ab inferis, quia fortuito nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus, quoniam fumus afflatus est in naribus nostris, & sermo est scintilla in commotione cordis nostri, quia extincto cinis erit corpus nostrum, & Spiritus diffundetur tanquam mollis aër & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius aggravata.* ex *Sapientiæ 2. v. 1, 2, 3.* quid illi exprobrabunt, quàm ut exarescant ad Judicii divini Rigorem, juxta illud: *Exortus est Sol cum ardore, & arefecit fœnum & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit, Jacobi. 1. v. 11.*

USUS II. ADHORT.

Si tam exiguæ fidei Indicium est Solicitudo nimia de Vestitu, studeamus, ut ad illud gramen, quod præ oculis nostris attendamus, atque curam de Vestitu in DEUM rejiciamus, qui nos in Campum ducit, memores illius *Pauli: Sint mores sine avaritia, sufficientes præsentibus. Ebr. 13. v. 5.* Studeamus, ut attendamus ad ornatum graminis ante oculos nostros, atque curam de Vestitu in DEUM rejiciamus, qui ita vestit hæc vilia, memores illius *Syracidæ: Præcipuum vitæ Hominis aqua & panis & vestimentum & domus tegens ea, quorum nos pudet; melior est victus pauperis, sub tegmine alieno, quàm epulæ splendidæ in peregrè sine domicilio. cap. 29. vers. 27. 26.* Studeamus, ut attendamus ad præstantiam hominis præ gramine, atque curam de Vestitu in DEUM rejiciamus, qui nos tam multis modis præfert, memores illius, quod ipse dixit *Israelitis: Adduxi vos quadraginta annis per desertum; non sunt attrita vestimenta vestra: nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumta sunt. Deut. 29. v. 5.*

USUS III. CONSOL.

SI tam modicæ fidei indicium est solicitudo nimia de vestitu, bono sint animo omnes & singuli, qui fide & fiduciâ in DEUM pollent, atque illud *Fauli* sibi probè imprimunt: *Est quæstus magnus pietas cum animo suâ sorte contento, nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quia nec auferre quid possumus; habentes autem alimenta, & quibus tegamur, contenti simus. 1. Tim. 6. v. 6, 7, 8.* Si quandoque nos etiam destituamur vestitu, imò omnibus dicendum illud: *Nudus egressus sum de utero matris, nudus revertar illuc. Jobi 1. v. 21.* novimus illum, qui nobis proponit gramen, quoque de vestitu dispecturum, & ut primos parentes nostros vestivit *Gen. 3. v. 21.* ita & nobis vestimenta procuraturum & dicturum: *Agri sunt ad vestimentum tuum; & hædi ad agri precium. Prov. 27. v. 26.* imò in Exordio vitæ in Baptismo induere nobis vestes illas splendidas, de quibus *Ezechiel: Vestivi te discoloribus & calceavi te hyacintho, & cinxi te byssо, & operui te serico, & ornavi te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi monile in facie tuâ & circulos auribus tuis & coronam decoris in capite tuo. cap. 16. v. 10, 11, 12.* Si quandoque ornatu destituamur, & in sacco ambulandum, vestibusque dilaceratis, ut *Esaiæ 37. v. 1.* novimus illum, qui non tantùm vestit gramen, sed eleganter vestit etiam, si in commodum nostrum vergat, ornatè nos vestiturum, & ut indult splendidè *Josephum Gen. 41. v. 42.* ita & nos ornaturū: *Ut omni tempore vestimenta nostra sint candida, & oleum de Capite nostro ne deficiat Eccl. 9. v. 8.* imò ornatu spirituali nos coronaturum & dicturum: *Ponite cidarim mundam super caput ejus.* ex *Zach. 3. v. 5.* Si deniq; destituamur fructu vestimentorum, quandoque & agnoscendum illud: *Seminastis multum & intulistis parùm: comedistis & non estis satiati; bibistis & non estis inebriati: Operuistis vos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregavit, misit eas in angulum pertusum. Haggai 1. v. 6.* novimus illum, qui ita præfert hominem gramini, etiam vestimentis nostris benedicturum, & ut vestivit pauperes, *Tobiam* utiliter *Tob. 1. v.* ita & nos vestiturum utiliter, *ut Judas pugnaturus sit adversus Jerusalem, & con-*

& congregentur divitiæ omnium gentium in circuitu, aurum & argentum & vestis multa satis. Zach. 14. v. 14. imò daturum vestimenta salutis, ut dicamus: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo, quia induit me vestimentis salutis justitiæ, & operuit me quasi Sponsum sacerdotali ornatu, & quasi Sponsam ornatam monilibus suis.* ex *Esaiæ 61. v. 10.* AMEN.

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS, LUC. VII. ℣. 16.

Ἔλαβεν δὲ φόβος ἅπαντας, καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεὸν, λέγοντες, ὅτι προφήτης μέγας ἠγέρθη ἐν ἡμῖν, καὶ ὅτι ἐπεσκέψατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ.

Accepit autem omnes timor, & glorificabant DEUM, dicentes: Propheta magnus surrexit inter nos, & DEUS visitavit plebem suam.



Ectè quondam Seniores populi Israelitici & Capita fecerunt, quòd lætati fuerint DEO visitante illos & respiciente illorum miseriam, de quo *Exodi 4. v. 31.* Rectè egerunt Seniores populi & Principes, quòd agnoverunt DEUM verum visitasse. Retulerat *Moses* apparitionem in Rubo, quòd scilicet verus DEUS, DEUS *Abrahami & Isaaci & Jacobi*, manifestaverit sese eidem in flammâ & luce, & ex illâ sonorâ voce illum compellarit, splendida promissa ediderit; quapropter non tantùm credit populus, sed & Seniores agnoscunt DEUM, qui hactenus sese occultarat, nube involverat quasi, & ipsis cæperat oblivioni esse, sese manifestasse, ut quondam *Abrahamo*, quum juberet eundem egredi patriâ terrâ, de quo *Gen. 12. vers. 1.* Rectè egerunt Seniores populi & Principes, quòd agnoverunt DEUM sese manifestasse gratiosè. Suspirabant sub oneribus, anhelabant ad libertatem, nihil magis in votis erat illis, quàm ut Tyrannidi subducerentur, cùm itaque

que illis refertur, DEUM apparuisse, *Moses* promissa pandit, concludunt DEUM visitasse gratiosè suos, præ foribus esse liberationem, atque DEUM fore illis in Medicum, nullâ plagâ Ægypti onerantem, sed ab illâ liberantem, pastorem, qui educat, Patrem, qui hactenus derelictorum curam susceperus, ut quondam *Isaaci*, quem duxit & reduxit, pavit & curavit, de quo *Gen. 26. v. 2, 4, 12.* Rectè egerunt Seniores populi tum temporis, quod agnoverunt DEUM visitasse populum suum. Erant illi populus *Pharaonis*, qui illos duriter tractabat, truculenter habebat & premebat, ut etiam ipsa vita ipsis fuerit oneri; cùm itaque *Moses* apparet, erigunturin spem melioris sortis; quapropter renunciante illo, quæ DEUS ipsi commendaverat, agnoscunt DEUM visitasse populum suum, non sese tam esse *Pharaonis*, tam duriter imperantis, quàm DEI populum, qui curaturus illorum vulnera & vibices, qui ducturus & pasturus, qui denique illos observaturus tanquam primogenitum filium, ut quondam tanquam suo quævis Bona promisit & exhibuit stirpi scil illorum *Jacobo Gen. 28 v. 15.* Ut quondam *Seniores* populi rectè egerunt agnoscentes DEUM visitasse suum populum, ita multò magis Spectatores hujus miraculi, de quibus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

Dixerat populus ad conspectum miraculi: *Suscitatus est Propheta magnus inter nos*, addit in complementum fidei & admirationis: *& Deus visitavit populum*, quæ verba commodè accipi possunt de visitatione per hunc Prophetam, tanquam *Messiam*, cùm de *Johanne*, utut viro insigni, aliàs non locuti sint *Judæi*. Dicunt autem *Deum visitasse populum suum.* In quibus verbis observandum I. Quis dicatur visitasse. Dicunt autem: *Deum visitasse*, illum, qui Majestate omnibus antistat, de quo quondam *Moses: Quis similis tui in Diis Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia. Exod. 15. v. 11.* illum, qui gloriâ Luminis omnibus superior, de quo *David: Laudem & gloriam induisti, amictus lumine sicut vestimento. Psalm. 104. v. 2.* illum, qui infinitate essentiæ, potentiæ & præsentiæ omnia excedit, de quo *Esaias: Cæ-*

li

terra sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. ex *cap. 66. v. 1.* II. Observandum, Quid visitatio. Dicitur autem DEUM visitasse. In græco est vox ἐπεσκέψατο, *Vulgatus* reddidit, *visitavit. Beza* respexit, quæ vox usurpatur *de visitatione* illâ, quæ fit medicè ad *curandos* scil. atque ita legitur *Matth. 25. v. 43.* usurpatur de *visitatione* illâ, quæ fit *pastoraliter ad oves* in deserto totius Mundi errantes, & sic legitur *Actor 15. v. 14* denique usurpatur de *visitatione* illâ, quæ fit *misericorditer ad orphanos, viduas & miseros*, atque ita legitur *Jacobi 1. v. 27.* III. Observandum, Qui dicantur visitati. Dicunt autem, *Deum visitasse populum suum*, populum hactenus laborantem, desertum, miserum, illum, qui hactenus ægrotavit, non aliter ac majores in deserto à serpentibus icti *Numer. 21. v. 6.* qui hactenus erravit, tanquam grex in deserto, non aliter ac majores quondam *Psalm. 78. v. 53.* qui hactenus miser & destitutus Regimine, non aliter ac majores quondam in deserto, quibus dictum: *Non ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne fortè disperdam te in via. Exod. 33. v. 3.*

L. D.

Videamus, Quantus sit Favor, quantum Beneficium, quanta Gloria, Visitatio singularis. Hoc docet populus deprædicans & dicens: *Suscitatus est Propheta magnus inter nos, & Deus visitavit plebem suam.* Grande Beneficium & Favoris Indicium est visitatio gratiosa I. ex Visitantis Dignitate, quia DEUS visitat. Visitat enim, ille qui majestate superior, Creator Creaturam, de quo *David: Non est similis tui in Diis Domine, & non est secundùm opera tua. Ps. 86. v. 8.* Visitat ille, qui Lucis Gloriâ superior, Splendor eternus, Tenebras, *Rex Regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest. 1. Tim. 6. v. 16.* Visitat ille, qui Infinitate superior, Immensus pulvisculum Terræ, *quem Cæli cælorum non capere possunt. 1. Reg. 8. v. 27.* Singulare Beneficium & Favoris Indicium quondam fuit, quòd *Noah* visitavit corruptos homines antediluvianos, Vir divinus, de quo *Gen. 6. v. 8. & 9.* At quid *Noah*

ad DEUM, omnis solatii fontem, omnis dignitatis apicem, qui dicit: *Hæc dicit excelsus & sublimis, qui habitat æternitatem, & sanctum nomen ejus in excelso, & in sancto habito, & cum contrito & humili Spiritu, ad vivificandum Spiritum humilium, & vivificandum cor contritorum. Esaiæ 57. v. 15. & 16.* Grande Beneficium & Favoris Indicium est visitatio gratiosa II. ex Visitationis Qualitate. Visitat enim DEUS medicinaliter, ut curet, unde *Esaias* dicit: *Dicite pusillanimis: confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester ultor veniet, retribuens Dominus ipse veniet, & salvabit vos. tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, & jubilabit lingua mutorum. cap. 35. v. 4, 5, 6.* Visitat Deus pastoraliter, ut pascat & dirigat, unde ipse *Ezechiel: Ego pascam oves meas, & ego eos accubare faciam, dicit Dominus Deus, quod perierat requiram, & quod errans erat, reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam, & pascam illas in judicio. cap. 34. v. 15. & 16.* Visitat Deus misericorditer, unde *Esaias: Dominus appellavit te mulierem derelictam, & mœrentem Spiritu, & mulierem adolescentulam repudiatam; dicit Deus tuus: ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te: in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordiâ sempiternâ misertus sum tui. cap. 54. v. 6, 7, 8.* Singulare Beneficium & Favoris Indicium quondam fuit, quòd *Abraham* per *Eliezerum* visitavit *Bethuelem* & familiæ illius membra, de quo *Gen. 24. v. 3. & 4.* At quid *Abrahami* visitatio ad visitationem DEI, quæ abundat animo & affectu curandi, pascendi, miserendi, ut *Esaias* dicat: *Ecce Dominus auditum fecit in extremis Terræ, dicite filiæ Sion: ecce Salvator tuus venit, merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo; & vocabunt eum populus sanctus, redemptos à Domino: tu autem vocaberis quæsita civitas, & non derelicta. cap. 62. v. 11. & 12.* Grande Beneficium & Favoris Indicium est Visitatio gratiosa III. ex Visitatorum Infirmitate, sunt enim illi populus DEI æger, de quo ipse *Esaias: Totum caput languet, & totum cor ægrotat: à plantâ pedis usque ad verticem non est integrum quiddam: vulnus, livor, & plaga humida, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. cap. 1. v. 5, 6.* sunt illi populus DEI errans & de-

& devians, de quo ipse *Christus: Destituti sunt & dispersi sicut oves, non habentes pastorem. Matth. 9. v. 36.* sunt illi populus DEI miser, tristis & destitutus, de quo *Jeremias: Quomodo sedet sola civitas, plena populo: facta est quasi vidua, Domina gentium: Princeps provinciarum facta est sub tributo. Thren. 1. v. 1.* Singulare Beneficium & Favoris Indicium quondam fuit, quòd *Josephus* visitavit *Patrem* ægrotantem & morti vicinum, de quo *Genes. 48. v. 1.* At quid *Joseph* ad DEUM, qui visitat suum populum, cùm maximè laborat & ægrotet, cùm errat & deviat, cùm censetur esse planè derelictus, qui dicit: *Audite verbum Domini gentes, & annunciate in Insulis, quæ procul sunt, & dicite: qui dispersit Israel, congregabit eum, & custodiet eum sicut pastor gregem suum; redimet enim Dominus Jacob, & liberabit eum de manu potioris. Jerem. 31. v, 10, 11.*

USUS I. DEHORT.

Sic tam grande Beneficium Visitatio gratiosa, peccant graviter, qui non attendunt ad Majestatem & Dignitatem visitantis, imò in Corde suo dicunt: *non est DEUS*, ut illi, de quibus *Psalm. 14. v. 1.* experientur illi aliquando ejusdem Infinitatem in puniendo & potentiam in visitatione intolerabilem, qui ipse de se dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator; reddens iniquitatem Patrum super filios in tertiam & quartam generationem, his, qui oderunt me. Deut. 5. v. 9.* Peccant graviter, qui non attendunt ad Visitationis Qualitatem, non putant DEUM se inclinare ad nos miseros, imò dicunt: *Nonne Deus est in altitudine cœlorum, & capita stellarum videt, quando exaltantur; nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & in circulo cœli obambulat. Job. 22. v. 12, 13, 14.* experientur illi aliquando ejusdem Inclinationem ad Iram, qui ipse dicit: *Visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum: & quiescere faciam superbiam præfractorum & arrogantiam Tyrannorum humiliabo. Esaiæ 13. v. 11.* Peccant graviter, qui non attendunt ad propriam infirmitatem & putant sese posse DEUM meritis provocare, sicut cum *Ephraimo* dicunt: *Profectò dives sum: paravi mihi vires: in omnibus laboribus meis non invenietur iniquitas, quæ peccatum sit. Osee 12. v. 8.* experientur illi aliquando ejusdem pronitatem ad pu-

niendum & Infinitatem ostendendam, qui ipse de se dicit: *Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super hujuscemodi gentem non ulciscetur anima mea. Jer. 5. v. 29.*

USUS II. ADHORT.

Si tam grande Beneficium Visitatio gratiosa, studeant omnes & singuli, ut DEI visitantis Majestatem & Dignitatem agnoscant, atque cum *Abrahamo* humiliter dicant: *Ecce quæso cœpi loqui ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis. Gen. 18. v. 27.* ut visitationis qualitatem expendant, & cum *Labane* excipiant fiducialiter atque dicant: *Ingredere benedicte Domini, cur foris stas? Gen. 24. v. 31.* ut denique propriam Infirmitatem (atque cum *Mose* sibi gratulentur & dicant: *Nec est alia natio tàm grandis, quæ habeat ita Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Deut. 4. v. 7.*)

USUS III. CONSOL.

Si tam grande Beneficium Visitatio gratiosa, bono sit animo, quos DEUS visitat, & qui possunt dicere grandiùs quàm *matre Johannis Luc. 1. v. 43.* Utut simus creaturæ exiguæ Essentiæ Luminis, & amplitudinis, atque agnoscendum illud: *Ecce gentes quasi stilla situlæ & quasi pulviculus stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Esaiæ 40. v. 15.* novimus tamen, etiam illum, qui summus, qui in luce habitat, qui infinitus, nos accedere, visitare, imò carnem & sanguinem nostrum assumpsisse, ut possimus dicere: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Joh. 1. v. 14.* gloriari: *Per viscera misericordiæ DEI nostri, in quibus visitavit Oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris & umbrâ mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Luc. 1. v. 78, 79.* dicere: *In Christo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & sumus in illo completi, qui est caput omnis principatus & potestatis. Coloss. 2. v. 9, 10.* Utut simus per Naturam destituti visitatione gratiosa, atque agnoscendum illud, *quòd fuerimus sine Christo, abalienati à Re-*

Republicâ Israël, & hospites Testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine DEO in hoc mundo. Ephes. 2 v. 12. novimus visitasse nos gratiosè DEUM, ut possimus dicere: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus: benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Psalm. 103. v. 1, 2, & 3.* ut possimus dicere: *Dominus est pastor meus, & nihil mihi deerit: in pascuis herbosis cubare facit me: ad aquas refectionis ducit me, animam meam convertit. Psalm. 23. v. 1, 2, 3.* ut possimus dicere: *Factus est Dominus refugium pauperi: adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, & sperent in te, qui noverunt nomen tuum; quoniam non derelinquis quærentes te Domine. Psalm. 9. v. 10, 11.* Utut denique simus spiritualiter ægri, icti à serpente infernali, devii sæpe per peccata & digni qui destituamur DEO propter illa, atque agnoscendum illud: *Omnes nos quasi oves erravimus, & unusquisq; in viam suam declinavit. Esaiæ 53. v. 6.* novimus visitare DEUM populum suum, atque à morsu serpentis sanare juxta promissum *Jeremiæ: Ecce obducam ei cicatricem, & sanitatem, & curabo eos, & revelabo illis deprecationem pacis & veritatis. cap. 33. v. 6.* reducere in viam, atque se exhibere illum pastorem, qui dicit: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam, & cum invenerit eam, imponit in humeros suos, gaudens & veniens domum, convocat amicos & vicinos suos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Luc. 15. v. 4, 5, 6.* & tandem dicere professi: *Non relinquam vos orphanos, sed veniam ad vos. Joh. 14. v. 18.* imò visitaturum aliquando nos consummatè secundum illud: *Ecce tabernaculum DEI cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi populus ejus erunt, & ipse DEUS cum eis erit illorum DEUS, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Apoc. 21. v. 3. & 4.* AMEN.

DOMINICA XVII. POST TRINITATIS, LUC. XIV. ℣. 9.

Καὶ ἐλθὼν ὁ σὲ καὶ αὐτὸν καλέσας, ἐρεῖ σοι, Δὸς τούτῳ τόπον· καὶ τότε ἄρξῃ μετ' αἰσχύνης τὸν ἔσχατον τόπον κατέχειν.

Et veniens tè qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere.

MIrabiliter quondam DEUS lusit cum Hamano Filio Medath Agagitâ; fecit enim, ut vocaretur ad Convivium, quod Esther paraverat, ibidem duriter compellaretur, & tandem dignitate suâ dejiceretur, ut constat ex *Esthere cap. 7. vers. 1. & seq.* Mirabiliter lusit DEUS cum Hamano, quia fecit, ut vocaretur ad Convivium, quod Esther paraverat. Erat ille *Haman* Regii sanguinis, & oriundus non è gente *Macedonum*, ut quidam opinati, sed *Amaleckitarum*, ab *Abasuero* quoque exaltatus, ita, ut Thronum illius collocarit super omnes sedes Principum in Regno suo, imò cum Reginâ *Esther*, cæteris omnibus præteritis vocatus ad Splendidum illum Convivium, quod pararat; verùm hæc omnis fortunæ Species & pompa non sufficiebat illi, quin sese ulterius efferret, inprimis supra *Mardochæum* magis ingenuum, & de Rege melius meritum, sed publicè dixit coram suis: *Omnia hæc non sufficiunt, quamdiu videro Judæum Mardochæum, sedentem ad Regias fores. Esther 5. v. 13.* Mirabiliter lusit DEUS cum Hamano, quia fecit, ut duriter compellaretur in Convivio. Accesserat ille Domum *Esthere*, collocatus erat non longè à Rege in Lectulo suo, habebat præ oculis ex ciborum numero & pretio, quæ aliàs quemvis satiare & reficere potuissent; verùm medio de fonte leporum surgit amari aliquid, cùm ita præsens compellatur duriter, conscientia illius vellicatur, ut mutet colorem, contremiscat coram Rege & Reginâ & ut *Hieronymus* exponit, ulterius nequeat sustinere illorum Vultum, expertus quam verùm illud, quod quondam humilis cecinit *Hanna* in Carmine: *Nolite multiplicare loqui sublimia, recedent veteri-*

da

terre vestro: quia DEUS *scientiarum Dominus est, & non dirigentur cogitationes; arcus fortium contritus est, & infirmi accincti sunt robore.* 1. *Sam.* 2. *v.* 3, *&* 4. Mirabiliter lusit DEUS cum Hamano, quia fecit tandem ut rueret. Superbierat ex gratiâ Regis abundante, Uxori *Zares* retulerat omnes divitias gloriæ, putavit, se vivere ad votum magnorum in seculo, verùm cùm talos vertit DEUS Rex illi irascitur, surgit lectulo tristis, prosternit se ad pedes & facies illius; tanquam indigni luce, cum opprobrio obvolvitur, atque ad mortem ignominiosam damnatur, ut paulo ante Magi ipsi denunciarat per Sortem, dicendo illum nihil fore comparatum *Mardochæi* & præcipitem ruiturum *Esther. 6. v. 13.* Quemadmodum Deus quondam lusit cum *Hamano*, ita adhuc ludit in Orbe, imò in Regno Ecclesiæ, quò collimant quoque Verba *Christi: Ne qui te & illum invitarit, dicat tibi, Da huic locum, & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere.* de quibus *infrà* Θεῷ.

EXEGESIS.

POstquam *Christus* absolvisset Apologiam contra *pharisæos* de Sabbatho, & attenderet, quomodo *Pharisæi* primos eligerent accubitus, non tantùm dixit: *Quum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias ne discumbito primo loco: ne forte honoratior te sit vocatus*, sed etiam, quid eventurum prædixit, pergendo. *Et is qui te & illum vocavit veniens, dicat tibi, Da huic locum, & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere.* In quibus Verbis observandum I. quòd dicat: Et is qui te & illum vocavit veniens dicat, ille scil. qui Convivium hoc ex merâ Liberalitate instruxit, ut ille Rex, qui filio suo nuptias fecit, de quo *Matth.* 22. *v.* 2. ille, qui servos suos emisit, ut invitarent, ut ille, qui ad grande Convivium invitare jussit horâ cœnæ, de quo *Lucæ 14. v. 17.* ille, qui & hunc & illum adeoque quamplures reficere intendit, ut ille Sponsus invitans in Cana, de quo *Johan. 2. vers.* 2. II. Observandum quòd dicat: dicat veniens Tibi, Da huic locum, ingressus te adspiciat te, alloquatur, dicatque tibi: *Da huic locum*, quem temerè & arroganter occupasti. In græco exstat phrasis: Δὸς τούτῳ τόπον. *Da huic locum.* Vox τόπος in Scripturâ aliàs usurpatur, de monte *Garizim*, in quo sacrificare & ado-

adorare solebant *Sichemitæ*, de quo *Johan. 4. vers. 20.* usurpatur de Campo, in quo *Christus* commendavit qualitates & virtutes beandorum & vitia reprehendit *Pharisæorum Lucæ 6. v. 17.* usurpatur de *Urbe Hierosolyma & Templo* in illâ, tanquam loco quodam *sanctæ Matth. 24. v. 15.* III. Observandum quòd dicat: Et tunc incipias cum rubore, vel ut *Beza* reddidit, cum *ignominiâ* ultimum locum tenere, tibi hoc accidat, ut jubearis discedere loco excelso & habearis ex illius indolis hominibus *& generatione, cujus excelsi sunt oculi & cujus palpebræ in alta surrectæ.* de quibus *Prov. 30. v. 13.* rubore suffundaris & ignominiâ, tanquam *veste rubicundâ induaris*, ut aliâs loquitur *David Psalm. 35. v. 26.* dejiciaris usque ad novissimum & ultimum Locum, ut DEUS ita denunciat consimilem dejectionem *Jeremiæ 13. v. 18.*

L D.

VIdemus, Quantum Superba fastuosa & pharisaica Corda displiceant DEO in Convivio, quod paravit in Regno suo, in Ecclesiâ in his terris. Hoc docet *Christus* Verbis explicatis. Maximè displicent DEO superba & pharisaica Corda in Convivio Ecclesiæ I. ex Gratiæ Conditione, quia ipse ex merâ Gratiâ & hunc & illum vocat. Meræ gratiæ est, quòd instituxit Convivium istiusmodi solenne & nuptiale, atque implevit, quod *Esaias* præ dixit: *Faciet Dominus Exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vini defecati, convivium pinguium medullatorum, vini defecati. cap. 25. v. 6.* meræ Gratiæ est, quòd Ministros emisit ad invitandum, atque implevit, quòd *Esaias* prædixit introducendo illum: *Primus ego dico, ecce hoc & Jerusalem Evangelistam dabo. cap. 41. v. 27.* meræ Gratiæ est, quòd recusare voluit & hunc & illum, omnes & singulos, atque implevit, quod per *Esaiam* prædixit: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: Venite, emite absque ullâ commutatione vinum & lac; quare appenditis argentum non in panibus & laborem vestrum non in saturitate? audite audientes me, & comedetis bonum, & delectabitur in pinguedine anima vestra. cap 55. v. 1. & 2.*

1, & 2. Si *Labani* Syro quondam displicuisset, si fastuosè se gessissent hospites invitati ad Convivium nuptiale, quia ex Liberalitate invitavit & hunc & illum, omnes incolas loci *Gen. 29. v. 22.* quantò magis displicebunt DEO in *Convivio Ecclesiæ* suæ illi, qui fastuosè egerunt, cùm fixum maneat illud *Petri: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam 1. Petr. 5. v. 5.* Maximè displicent DEO superba & pharisaica Corda in Convivio Ecclesiæ II. ex Hospitis Correctione, quia ipse dicit eidem: *Da huic locum*, ostendit illum non esse dignum loco montis sacri, in quo oret, sed esse Montem humiliandum, juxta illud: *Omnis vallis exaltetur, & omnis mons & collis humilietur, & fiant curva in directa, & aspera in vias planas. Esaiæ 40. vers. 4.* ostendit illum non esse dignum Loco campi sacri, in quo de virtute & Beatitudine disseritur, sed esse vitio corruptum, juxta illud *Christi: Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante* DEUM. *Lucæ 16. v. 15.* ostendit illum non esse dignum loco Urbis & Templi sacri, sed esse operibus tumidum, juxta illud: *Hæc duo sunt Testamenta, unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar. Gal 4. v. 24.* Si *Simsoni* quondam Heroi displicuisset, si fastuosè sese gessissent juvenes & hospites, invitati ad Convivium nuptiale, quod celebratum in *Thimna*, hoc est Loco miraculi, Solis & Lucis, de quo *Judicum 14. vers. 10.* quanto magis displicebunt DEO *in Convivio Ecclesiæ suæ* illi, qui fastuosè se gerunt, in Loco sacro, cùm fixum maneat illud: *Domine superbi non ab initio placuêrunt tibi, sed humilium & mansuetorum semper placuit tibi deprecatio. Judithæ 9. v. 13.* Maximè displicent Deo superba & pharisaica Corda in Convivio Ecclesiæ III. ex Arrogantiæ Depressione, quia jubet talem ad ima descendere. Dejicit DEUS istiusmodi fastuosos loco excelso, juxta illud: *Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus solus in illâ die. Esaiæ 2. v. 11, & 12.* dejicit DEUS istiusmodi fastuosos cum ignominiâ, juxta illud: *Et tu interfectus es, sicut & nos, nostri similis effectus es, detracta est ad inferos superbia tua, strepitus nabliorum subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Esaiæ 14. v. 10, 11.* dejicit DEUS istiusmodi

usmodi fastuosos ad ima & ultima, juxta illud: *Descende, sede in pulvere filia, virgo filiæ Babylon, sede in terrâ: non est solium filiæ Chaldæorum; quia ultra non vocaberis mollis & tenera, tolle molam, & mole farinam, denuda Cæsariem tuam, discooperi suras, denuda femora, transi flumina. Esaiæ 47. v. 1, & 2.* Si *Ragueli* quondam displicuisset, si fastuosè se gessissent hospites invitati ad Convivium nuptiale, quia submovendi meritò *Tobiæ 8. v. 20, 21.* quantò magis displicebunt DEO in *Convivio Ecclesiæ* suæ illi, qui fastuosè se gerunt, cùm fixum maneat illud *Mariæ: Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos mente cordis sui: deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Lucæ 1. v. 51, 52.*

USUS I. DEHORT.

SI superba & pharisaica Corda ita summè DEO displicent in Convivio Ecclesiæ, Caveamus, ne invitati superbè nos geramus, atque similes exhibeamus *pharisæis*, qui appetebant primos *accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis. Matth. 23. v. 6, & 7.* memores illius: *Ne glorioſus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris: melius est enim, ut dicatur tibi: ascende huc, quàm ut humilieris coram principe, ut videant oculi tui. Proverb. 25. v. 6, & 7.* Caveamus ne etiam indignos per superbiam nos reddamus loco sacro, atque similes exhibeamus *pharisæo*, qui in Templo petit excelso loco & dixit: *Gratias ago tibi Deus, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, adulteri, injusti, vel ut etiam publicanus. Luc. 18. v. 11.* memores illius de operariis: *Agar est Sina, mons in Arabiâ, & servit cum filiis suis. Galat. 4. vers. 25.* Caveamus denique, ne superbæ detrusioni præludamus in infimum locum, atque similes nos exhibeamus *pharisæis*, qui à *Christo* postpositi publicanis & meretricibus *Matth. 21. vers. 31.* memores illius: *Dominus contemtibiles reddidit elatos, & destruxit eos usque in finem. Syracidis 10. vers. 16.*

USUS II. ADHORT.

SI superba & pharisaica Corda ita summè DEO displicent in Convivio Ecclesiæ, studeamus, ut invitati demisse nos

se nos geramus, similes *Abigaili*, quæ ad pedes *Davidis* sese provolvit *1. Sam. 25. v. 24.* Studeamus, ut locum sacrum, non superiorem affectemus, similes *Ruthæ*, quæ in Aream *Boazi* se contulit, & ad pedes illius sese abjecit *Ruth. 3. v. 7.* Studeamus denique, ut humiliter in hac demissione perseveremus, similes *Sunamitidi*, quæ ad pedes *Elisæ* sese contulit, illis inhæsit nec abigi passa se fuit *2. Reg. 4. vers. 27.*

USUS III. CONSOL.

SI superba & pharisaica Corda ita summè Deo displicent in Convivio Ecclesiæ, bono sint animo, qui *animati*, ut JESUS *Christus in humilitate Philip. 2. v. 5.* Si status quandoque noster humilis, & nos *exigua tæda coram superbis Job. 12. v. 5.* nouimus, nos esse invitatos ad convivium cœleste, & sic satis felices, ut possimus dicere: *Parásti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me; impinguasti oleo caput meum, & calix meus irriguus est.* ex *Psalm. 23. v. 5.* dicere: *Quàm amabiles sunt super montes pedes evangelizantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Zion: regnavit Deus tuus.* ex *Esaiæ 52. v. 7.* dicere: *Sustentate me foliis, confortate me malis suaviſſimis, quia amore langueo: læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* ex *Cant. 2. v. 5, & 6.* Si *Peccata* nostra ostendant, nos esse indignos loco sacro, & cum *publicano standum è longè cum demissione oculorum Luc. 18. v. 13.* novimus nos esse ductos cum *Jacobo* in Montem Gratiæ DEI manu, ut sacrificemus *Gen. 33. v. 19, & 20.* sedere bene cum *Mariâ* ad pedes *Christi ac optimam partem elegisse Luc. 10. v. 42.* esse nos in illâ *Hierusalem*, quæ libera *Gal. 4. v. 26.* Si deniq; *lumbi nostri* nos dejicere gestiant, & dicant: *animæ nostræ: incurvare ut transeamus, & pone in terram corpus tuum & in plateas transeuntibus. Esa. 51. v. 23.* novimus nos à Deo exaltandos, juxta illud: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloriâ, & qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur. Job 22. v. 29.* nos *vestiendos bonore*, juxta illud *Psalm. 132. v. 18.* nos ex imo ad summum promovendos, juxta illud: *Ecce esto ad ostium & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam,*

intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum ; qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicuti & ego vici, & sedi cum patre meo in Throno ejus. Apoc. 3. v. 20, 21. AMEN.

DOMINICA XVIII. POST TRINITATIS, MATTH. XXII. ℣. 44.

Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.

Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos tuos scabellum pedum tuorum.

NOn sine Emphasi quondam David Filium suum Solomonem constituit Regem, dum dixit & juravit, quòd Solomon Rex esse debeat & sedere in solio Regio, ut constat ex *1. Reg. 1. v. 29, & 30,* Validè locutus fuit tum temporis David, erat enim Rex, in cujus ore potentia. Erat hic *David* Rex summus, qui soli DEO debebat Sceptrum & coronam, paverat hactenus *Israelem*, tanquam Pastor, & præiverat ut Dux, qui genuit *Solomonem* & illum affectu prosequebatur paterno, qui denique latè imperitavit, sibi non unum, sed plures populos subjecit & dicere potuit: *Deus locutus est in sancto suo: lætabor & partibor Sichimam: & vallem Succoth metibor; meus est Galaad, & meus est Manasse, & Ephraim fortitudo capitis mei, Juda Rex meus, Moab olla lavacri mei.* ex *Psalm. 60. v. 8, 9, 10.* Validè locutus fuit tum temporis David, decrevit enim & quod decrevit, etiam executus fuit. Turbarat numeros pacis *Adonia*, videbantur omnia ruitura in pejus, regium axioma contra Voluntatem DEI & Regis *Davidis* devolvendum in indignum; verùm DEUS aliter sortem temperat, nam antequam nasceretur *Salomon* post obitū primi nati ex *Bathseba*, jam decreverat *David*, qui primus denuo nasceretur, illum fore Regem & nato deinde *Solomone* præsente *Nathane* propheta se non tantùm manifestavit

festavit iterum, sed & juramento confirmavit, ut Doctores volunt, tandemque etiam hâc ipsâ occasione submini stratâ, executus fuit juxta Voluntatem etiam Decretum & Revelationem ipsius DEI, de quo *1. Paral. 19. v. 5.* Validè tandem locutus fuit tum temporis David, locutus enim fuit ad Solomonem. Præsens erat Tempus coronationis & inaugurationis, quapropter *David*, non tantùm omnia curat, quæ necessaria ad hunc Apparatum & Splendorem, verùm etiam alloquitur illum, qui jam unctus Oleo sacro, jam Dominus & Rex constitutus & publicè declaratus, & dicit: *Benedictus sit Deus Israelis, qui dedit hodiè sedentem in solio meo, videntibus oculis meis, versiculo quadragesimo octavo*, nec defuit Felicitas huic Regi & successus, sed de illo prædicatur, quòd latissime regnarit & sub illo pacificè egerint *Juda* & *Israel*, ut constat ex *1. Reg. 4. v. 24, 25.* Non tam validum fuit Effatum *Davidis* Regis & Patris ad Filium *Solomonem*, longè validius fuit illud, quod *David* ipse hic deprædicat dicendo: *Dixisse Dominum ad Dominum suum*, adeoque sese superiorem, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

PRopositum erat *Christus pharisæis* Dubium de *Messia*, quòd scil. *David* illum salutet *Dominum suum*, ut itaq; ad textum remittat, allegat Verba ex *Psalm. 110. v. 1.* ubi *David* dicit: *Dixit Dominus Domino meo.* In quibus Verbis observandum, I. Quis dixerit. Vocatur autem ille à *Davide Dominus.* In Ebræo est vox יהוה quæ notat verum & æternum DEUM, illum, qui Ens per se existens & inde pendens ab omni alio, à quo cætera omnia pendent, ut quidem hoc Nomen explicatur *Exodi 3. v. 14.* quæ hic notat DEUM patrem, qui ab æterno generavit Filium, de quo *Psalm. 2. v. 7.* qui habet potestatem in omnia, Imperium in omnes Creaturas, *qui sedet super orbem terræ; & habitatores ejus sunt quasi locustæ, qui extendit sicut nihilum cælos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum*, ut quidem describitur *Esaiæ 40. vers. 22.* II. Observandum ipsum dictum. In Ebræo est vox נְאֻם quam quidam exponunt de Decreto divino, quòd scil ab æterno decreverit, constituerit apud

se majestatem communicare, *quod consilium stat*, ut constat ex *Esaiæ 46. v. 10.* quidam de Revelatione hominibus factâ, quòd scil. *Davidi*, & consequenter aliis patefacerit illud Decretum, ut qui variis olim modis sese revelavit patribus *Ebr. 1. v. 1.* quidam de Executione, quia DEI dicere, facere, quòd scil. etiam executus sit in tempore, quod dixit, prout *Danieli* quidem vidit datam potestatem *Dan. 7. v. 13, & 14.* III. Observandum cui dixerit, hic vocatur quoque Dominus & per illum intelligitur *Messias*, qui *Davidi* promissus, ut constat ex *2. Sam. 7. v. 12, & 13.* qui *Adon* hic dicitur, Dominus scil. coram quo contremiscit Terra *Psalm. 104. v. 7.* qui denique ipsius *Davidis* Regis, qui nullum superiorem habuit præter DEUM, *Dominus* dicitur, Ladoni cum affixo, *ut Deus Deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus & potens & terribilis.* qui describitur *Deut. 10. vers. 17.*

L. D.

VIdemus, Quantâ Majestate polleat Christus Salvator noster etiam secundùm humanam Naturam. Divinâ gaudet Majestate *Christus* etiam secundùm humanam Naturam I. ex dicentis Authoritate. Non enim hîc locutus fuit aliquis Dominus creatus, sed increatus, ipse DEUS Essentiator, de quo *David: Cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus super omnem terram. Psalm. 83. v. 19.* Ipse DEUS Pater, qui ab æterno generavit Filium, de quo *Solomon: Quis ascendit in cœlum, atque descendit? quis continuit Spiritum in manibus tuis? quis colligavit aquas, quasi in vestimento? quis constituit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus si nosti? Proverb. 30. v. 4.* Ipse DEUS omnium Dominus, de quo *Philo: Multum valere tibi superat semper, & virtuti brachii tui quis resistet? quoniam tanquam momentum stateræ: sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in Terram. Sapientiæ 11. v. 22, & 23.* Ut gavisus quidem fuit etiam quadam Majestate quondam *Josua*, quia *Mojes* ipsum fuit allocutus & manus imposuit, dignitatemque contulit, de quo *Num. 17. v. 18, 19, 20.* at quæ illa ad Majestatem *Messiæ* nostri

cui

cui DEUS hanc Majestatem contulit, quem summus in Orbe Dominus allocutus fuit & dixit: *Postula à me, & dabo gentes tibi hæreditatem, & possessionem tuam terminos Terræ. Ps 2. v. 8.* Divinâ gaudet Majestate *Christus* etiam secundùm humanam Naturam II. ex Dictionis fœcunditate. statuit enim ab æterno apud se conferre Majestatem, unde *Petrus* dicit: *Christus quidem præcognitus ante mundi constitutionem, manifestatus autem noviſſimis temporibus. 1. Epistola cap. 1. v. 20.* revelavit Prophetis & Sanctis suis, quòd velit illam conferre, atque dixit: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terrâ; in diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Jehova justitia nostra. Jerem. 23. v. 5. & 6.* contulit in tempore & executus fuit, unde *Paulus: Deus operatus est in Christo Jesu suscitans illum à mortuis & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, & super omnem Principatum, & potestatem, & virtutem, & denominationem, & super omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subjecit sub pedibus ejus. Eph. 1. v. 20, 21, 22, 23.* Gavisus quidem etiam est Majestate aliquâ *Jehu*, quia illum adiit quidem Propheta, prædixit ei & allocutus est eum, ita ut Executio confestim secuta sit 2. *Reg. 9. v. 5. & 6.* At quæ illa ad Majestatem *Messiæ nostri*, cui decreta cœlitus ab æterno, revelata Prophetis, collata in tempore, ut ipse dicere potuerit: *Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terrâ. Matth. 28. v. 18.* Divinâ gaudet Majestate *Christus* secundùm humanam Naturam III. ex compellati Sublimitate, quia ipse est *Messias Davidi* promissus, de quo ipse: *Posui adjutorium in potente, & exaltabo electum de plebe meâ. Ps. 89 v. 20.* est Adon sive *Messias Davidi* toti Orbi præfectus, de quo *Zacharias: Dissipergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Jerusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & potestas ejus à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad fines Terræ. cap. 9. v. 10.* est Dominus etiam Regum & Capitum Orbis, unde de illo *Johannes: Habet in vestimento & in femore suo scriptum nomen: Rex Regum & Dominus dominantium. Apoc. 19. v. 16.* Gavisus quidem etiam est Majestate aliquâ quondam *Josia* compellatus à Propheta ante Nativitatem suam Dominus

1. *Reg.*

1. Reg. 13. v. 2. At quæ illa ad Majestatem *Messiæ nostri*, qui Dominus ille, de quo *David: Dominus regnavit, exultet Terra: lætentur insulæ multæ. Psalm. 97. v. 1.*

USUS I. DEHORT.

SI tanta est Majestas Christi etiam secundùm humanam Naturam, caveamus, ne dicamus cum *Judæis: Nos scimus quia Mosi locutus est Deus, hunc autem nescimus. Johan. 9. v. 19.* memores illius: *Quiescite ab homine, cujus Spiritus in naribus ejus est, quanti enim æstimandus est? Esaiæ 2. v. 22.* Caveamus, ne Decreto divino adversemur cum *Judæis*, & dicamus cum illis: num *Christus* ex *Galilæa veniet, num hoc Propheta aliquis prædixit?* ex *Johan. 7. v. 41.* memores illius *Nathanaëlis: Rabbi tu es filius DEI, tu es rex Israël. Joh. 1. v. 49.* Caveamus, ne dicamus cum *Judæis* carere illum Majestate divinâ & blasphemasse sibi arrogando Divinitatem dicentibus: *De bono opere lapidamus te, sed de blasphemiâ: & quia tu homo cùm sis te Deum facis. Joh. 10. v. 33.* memores illius: *De ore ejus procedit gladius acutus, utin ipso percutiat gentes, & ipse reget eas in virgâ ferreâ. Apoc. 19. v. 15.*

USUS II. ADHORT.

SI tanta est Majestas Christi etiam secundùm humanam Naturam, studeamus, ut agnoscamus divinam Majestatem illius corde credente, expendentes illud: *Ego dixi Dii estis: Si illos dixit Deos, ad quos sermo DEI factus est, & non potest solvi scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, hoc dicitis, quia blasphemas, quia dixi: filius DEI sum. Johan. 10. v. 35, 36.* Studeamus, ut agnoscamus divinam Majestatem illius Corde devoto & humili, & dicamus, cum XXIV. Senioribus se prosternentibus: *Dignus es Domine accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & per voluntatem tuam sunt & creata sunt. Apoc. 4. v. 11.* Studeamus, ut agnoscamus divinam Majestatem illius corde admirabundo, expendentes: *Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quòd*

quòd visitas eum? minuisti eum paulò minus ab Angelis; gloriâ & honore coronâsti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Psalm. 8. v. 5, 6, 7.

USUS III. CONSOL.

SI tanta est Majestas Christi etiam secundùm humanam Naturam, bono sint animo, qui in illum *confidunt* juxta *Davidem Psalm. 2. v. 12.* Si *Diabolus* dicat per hæreticos, *quid facit ille homo ex seipso?* & à divinæ Majestatis agnitione nos deducere laboret *Job. 8. v. 53.* novimus Patrem dixisse ad illum tanquam Filium, locutum esse in Jordane ita: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth. 3. v. 17.* Si *Mens nostra* per corruptionem peccaminosam dicat: *Non est illi species vel decor, ita ut ipso delectari possimus. Esaia 53. v. 2.* novimus DEUM dixisse de illo per os Prophetarum: *Longè formosissimus es filiorum hominum: diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum; accingere gladio tuo super femur tuum ô Heros; laus tua & decor tuus, decore tuo prosperè age, equo incede pro verbo veritatis, & pro afflictorum justitia, & conficiet dextera tua tremenda. Sagittæ tuæ acutæ, populi cadent in medio inimicorum regis. Sedes tua Deus in seculum seculi; virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis: Myrrha & cinnamomum omnia vestimenta tua, à domibus eburneis, unde delectant te filiæ regum in decore tuo. Psalm. 45. v. 3, 4, 5, 6, 7, 8,* 9. Si denique *Mundus* per sui similes dicat, illum non esse Adon, non Dominum, sed vilem opificem & loquatur cum illis: *Nonne hic est faber, filius Mariæ, & frater Jacobi, & Josè, & Judæ & Simonis? nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt? Marc. 6. v. 3.* novimus DEUM Patrem dixisse de illo: *Parùm est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob & desolationes Israël convertendas, ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum Terræ, Esaiæ 49. v. 6.* dixisse per Os. Michæ: *Tu Bethlehem Ephrata, parùm est ut sis in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis. cap. 5. v. 2.* dixisse novissimis temporibus: *Timete Dominum & date illi honorem: quia venit hora judicii ejus, &*

adorate eum, qui fecit cœlum & terram & mare, & fontes aquarum. Apoc. 14. v. 7. AMEN.

DOMINICA XIX. POST TRINITATIS, MATTH. IX. ℣. 8.

Ἰδόντες δὲ οἱ ὄχλοι ἐθαύμασαν, καὶ ἐδόξασαν τὸν Θεὸν τὸν δόντα ἐξουσίαν τοιαύτην τοῖς ἀνθρώποις.

Turbæ verò, quæ viderant, admiratæ sunt, & glorificaverunt Deum, qui dedisset potestatem talem hominibus.

NOtabilis quondam Alteratio oborta in filiis Jacobi ad conspectum admirandæ Dispositionis, quam conspexerant, de quo *Gen. 43. v. 34.* Notabilis hæc fuit Alteratio, contigit enim circa Filios Jacobi. Erant illi numero plures, & diversæ conditionis, quos Alloquio suo dignatus ipse *Joseph*, quapropter mirantur illi ad conspectum dispositionis admirandæ, agnoscit aliquid singulare hic agi *Ruben*, qui primogenitus, *Juda* cui principatus competebat, nec tantùm illi, qui ex Uxoribus sed & Ancillis nati & hactenus audiverant *Josephum* illos compellantem, de quo *Gen. 42. v. 7.* Notabilis hæc fuit Alteratio, Mentem enim animumque valde movit, excitavit. Nesciverant hactenus, quis esset cum quo agerent, ignorant, quid in recessu, quapropter cùm jam admirandum Objectum illis suggeritur, intuetur, unus alterum, & ut antea erant timidi, ita nunc iterum stupent, mentem elevant ad præsentem dispositionem & attendunt, quid gestum & quid adhuc geratur, Providentiam divinam animadvertunt & agnoscunt ipsam sapientiam hypostaticam *ludere in Orbe*, ut *Solomon* loquitur *Proverb. 8. v. 30. & 31.* Notabilis fuit hæc Alteratio. contigit enim ex visâ & conspectâ admirabili dispositione. Erat Ordo qui jam observatus in illos, locatio instituta singularis à *Josepho* per suum Ministrum, ita ut, quid illâ indicaretur, expenderent, quapropter magis

magis

magisque stupent & mirantur Sapientiam hujus Principis, qui terræ præfectus, & non tantùm *Ægypto* prospexit, sed & illis, tantique ordinis exquisiti fuit Author, atque documentum potentiæ, benignitatis & sapientiæ ita edidit, utpote de quo jam antea ipse *Pharao*: *Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu DEI plenus? Gen. 41. v. 38.* Ut quondam Filiorum *Jacobi* series fuit admirata illam dispositionem singularem *Josephi*, ita populus sive Turba in præsenti Dominicali Evangelio dicitur mirata fuisse ob visa à *Christo* cœlesti *Josepho*, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

REcensuit *Matthæus* noster Historiam; progreditur itaque ad consequens illius & dicit: *Videntes autem Turbæ timuerunt, admiratæ sunt, & glorificaverunt Deum, qui dedisset potestatem talem hominibus.* In quibus verbis observandum I. Quis timuerit. Vulgatus habet *Turbæ*, *Beza Turba*. In græco occurrit vox ὄχλοι, quæ notat aliàs turbam hominum multorum, unde etiam in plurali hic usurpatur, & aliàs cum Epitheto multitudinis augetur, ut constat ex *Matth. 13. v. 2.* quæ notat aliàs turbam hominum diversi Ordinis, status & conditionis, imò Regionis, atque ita usurpatur *Matth. 9. v. 27.* quæ denique notat aliàs turbam hominum, quam *Christus* dignabatur informatione & sermone suo, atque ita usurpatur *Matth. 11. vers. 7.* II. Observandum, Quid contigerit circa hunc populum. *Matthæus* dicit: *Turbas fuisse miratas.* In græco est vox ἐθαύμασαν, quæ indicat illas fuisse admiratas & in animo quasi suspensas, ut consimilis phrasis & idem verbum legitur *Matth. 15. v. 31. de populo. Codex quidam* vel etiam *aliqui* habent ἐφοβήθησαν timuerunt, cui *Syrus* respondet & aliàs etiam hoc Verbum de timore Apostolorum usurpatur *Matth. 17. v. 6.* deniq; *Marcus*, cui respondet *Lucas*, habet Verbum ἐξίστασθαι obstupuisse, stupore quodam fuisse correptos, ut constat ex *cap. 2. v. 12.* III. Observandum, Quâ de causâ illa turba ita fuerit mirata. *Matthæus* dicit: *Turbæ viderant*, *Beza* reddidit: *Turba quæ viderat*, vel cùm hoc vidisset. In græco est vox ἰδόντες, quæ notat clarè & perspicuè videntes, adeoque indicatur, quòd populus hic fuerit miratus, quia viderit Christum com-

compellantem & dicentem: *Surge*, adeoque Verbo citra alia adminicula curantem, quod non nisi illius, qui *à DEO venit Joban. 3. v. 2.* quòd viderit paralyticum ad hoc Verbum surgentem, restitutum & paralysi liberatum, quod non nisi illius, qui Dominus, *Medicus* noster, de quo *Exodi 15. v. 26.* quòd viderit remissis peccatis & ægritudine sublatâ ambulantem, & ad Verbum *Christi* in domum sese conferentem, quod nonnisi illius, qui etiam *claudos* potuit *sanare* & ad ambulandum idoneos efficere, de quo *Matth. 11. v. 5.*

L. D.

VIdemus, Quid & nos deceat ad Conspectum miraculorum in Verbo divino nobis propositorum, nempe uno Verbo pia & devota Admiratio. Decet nos Admiratio ad Conspectum Miraculorum in Verbo delineatorum I. ex Turbæ Fœcunditate. Præeunt enim Turbæ numerosæ, unde *Pharisæi: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? & si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent & vestrum locum & gentem. Joh. 11. v. 47, 48.* præeunt Turbæ omnis generis & conditionis, unde *Johannes: Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è Synagogâ non ejicerentur. cap. 12. v. 42.* præeunt Turbæ Verbo illius tractæ, unde etiam milites: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur. Joh. 7. v. 46.* Admirati quondam fuerunt etiam *Ægyptii Mosen*, quia *Israëlitæ* in tanto numero in tot diversis ordinibus & Verbo divino instructis præluserunt, de quo *Exodi 12. v. 38.* At quis *Messiam* Salvatorem nostrum, cui populus adhæsit, de quo aliis quoque *Matthæus: Factum est, cùm consummasset Jesus verba hæc, obstupuerunt turbæ super doctrinâ ejus. cap. 7. v. 28.* Decet nos Admiratio ad Conspectum Miraculorum in Verbo delineatorum II. ex Actus Salubritate. Dicit enim hic Actus Timorem pium & filialem, de quo *Solomon: Timor Domini fons vitæ, ut à ruinâ declinent laqueimortis. Prov. 14. v. 27.* dicit hic Actus mentis Elevationem, de quo *Solomon: Sapientia hominis illuminat vultum ejus, at impudens faciem odio habetur, Eccles. 8. v. 1.* dicit hic Actus denique piam ho-

minis

minis Attentionem, de quo *Solomon: Si intraverit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te, & prudentia servabit te. Prov. 2. v. 10, & 11.* Admirati quondam fuerunt *Israëlitæ* virtutem *Samuelis*, & agnoverunt piè & religiosè, ipsum esse fidelem Prophetam Domini, de quo *1. Sam. 3. v. 20.* At quis *Samuel ad Messiam*, quem admiratæ Turbæ, quem pio Affectu fuerunt prosecutæ, & aliàs quoque admirabundi dixerunt: *Nunquid hic est filius David? Matth. 12. v. 23.* Decet nos Admiratio ad Conspectum miraculorum in Verbo delineatorum III. ex Factorum Perspicuitate. Sanavit enim Christus Verbo potenter atque demonstravit se esse illum, de quo *David: Ipse dixit & facta sunt; ipse mandavit & creata sunt. Psalm. 33. v. 9.* Sanavit Verbo efficienter atque ostendit se esse Medicum illum, de quo *Philo: Etenim neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia. Sap. 16. v. 12.* Sanavit Verbo constanter, atque ostendit se esse illum, de quo *Esaias: Dicite pusillanimis: Confortamini & nolite timere; ecce Deus vester ultor veniet, retribuens Dominus ipse veniet, & salvabit vos; tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus & jubilabit lingua mutorum. cap. 35. v. 4, & 5.* Admirati quidem fuerunt etiam *Syri*, quòd *Elisæum* tam potenter, validè & constanter sanarit *Naamanum*, de quo *2. Reg. 5. v. 13, 14. & seq.* at quis *Elisa* ad *Messiam* Salvatorem nostrum, cui populus adhæsit, cujus Curas fuit admiratus, *videns mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes.* de quo aliàs quoque *Matth. 15. v. 31.*

USUS I. DEHORT.

Si nos decet ita ad Conspectum miraculorum devota & pia Admiratio, peccant graviter, qui cum *Pharisæis* dicunt: *Nunquid ex principibus credit aliquis in eum, sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.* ex *Johan 7. v. 48, 49.* memores illi esse deberent illius: *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. 1. Cor. 1 v. 27.* Peccant graviter, qui non admirantur, sed blasphemant & dicunt: *Nonne benè dicimus quòd Samaritanus es tu & dæmonium habens.*

ex *Johan. 8. v. 48.* memores illi deberent esse illius: *Qui me odit & Patrem meum odit: Si opera non fecissem eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt & oderunt me & patrem meum, Johan. 15. v. 23, 24.* Peccant graviter, qui cum *Nazarethanis* illud cogitant: *Medice cura teipsum. Luc. 4. v. 23.* memores illi esse deberent illius: *Si non crediderit is, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris. Job. 8. v. 24.*

USUS II. ADHORT.

SI ita nos decet ad Conspectum Miraculorum in Verbo delineatorum devota & pia Admiratio, studeamus, ut hunc populum sequamur & Christum adeamus, dicentes: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes & nunc credidimus & cognovimus, quia tu es DEI filius.* ex *Johan. 6. vers. 68, 69.* Studeamus, ut piè admiremur opera illius, atque dicamus: *Magna opera Domini, inquisitigata in omne beneplacitum eorum: Laus & magnificentia operis ejus: justitia ejus manet in seculum seculi.* ex *Psalm. 111. vers. 2, & 3.* Studeamus denique, ut pro operibus ostensis in Verbo gratias agamus, atque cum populo hoc dicamus: *Vidimus paradoxa.* ex *Lucæ 5. v. 26.*

USUS III. CONSOL.

SI nos decet ita ad Conspectum Miraculorum in Verbo delineatorum devota & pia Admiratio, bono simus animo, qui attendimus etiam ad Miracula *Christi*, tanquam illius, qui *facit mirabilia solus Psalm. 72. v. 18.* Si inveniantur in populo, qui malè sentiant de *Christo* & operibus illius, *dicentes: in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* quales describuntur *Luc. 11. v. 15.* novimus præire populum devotum, numerosum, variis ordinis. Verbo præventum, ut possimus securi sequi & dicere: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini: Hosianna in altissimis.* ex *Matth. 21. vers. 9.* Si Cor nostrum defixum in Terram & inferiora spectet, dicat: *Elongatum est judicium à nobis, & non apprehendet nos justitia; expectavimus lucem & ecce tenebræ, splendo-*

lucem & in tenebris ambulavimus, palpavimus, ſicut cæci, parietem, & quaſi absque oculis attrectavimus: impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui: rugiemus quaſi urſi omnes, & quaſi columbæ meditantes, gememus expectavimus judicium & non eſt, ſalutem & elongata eſt a nobis. ex *Eſaiæ 59. v. 9, 10, 11.* novimus admirationem deberi Miraculis & dextræ divinæ, DEUMque elevaturum mentes, ut dicturi: *Magna feciſti tu Domine Deus meus, mirabilia tua & cogitationes tuæ & non eſt nulla eſt comparatio ad te; ſi ea recenſere & enumerare velim, majora ſunt, quàm quæ numerari valeant.* ex *Pſalm 40. v. 6.* Si denique videamus *Diabolum* præſtigiis ſuis æmulanter ſtudere exprimere illa, quæ *Chriſtus* peregit, *Anti-Chriſtum* per mendacia ſigna quærere *in ſtuporem rapere ſimplices* 2. *Theſſ.* 2. *v.* 9. novimus *Chriſtum* curaſſe ægrotos potenter, efficienter & conſtanter, ut conſtanter eidem ſoli adhæreamus perfidem, & illud agnoſcamus quod *Phariſæis* dixit: *Si facio & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quod pater in me eſt & ego in patre. Johan. 10. v. 37, & 38.* potenter dicere adhuc in Regno Gratiæ: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* ex *Epheſior 5. v. 14.* potenter, efficienter & conſtanter, denique dicturũ aliquando poſt hanc vitam: *Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent; expergiſcimini & jubilate, qui habitatis in pulvere, quia ros herbarum virentium ros tuus & terram gigantum detrahes in ruinam.* ex *Eſaiæ 26. v. 19.* AMEN.

DOMINICA XX. POST TRINITATIS, MATTH. XXII. ℣. 8.

Τότε λέγει τοῖς δούλοις αὐτοῦ, ὁ μὲν γάμος ἕτοιμός ἐστιν, οἱ δὲ κεκλημένοι οὐκ ἦσαν ἄξιοι.

Tunc ait ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant, non fuerant digni.

INdigni quondam fuerunt habiti Syri Convivio, quod paravit Joram, Rex Iſraelis in Samariâ, cùm fuerint hoſtes, homines conſpectu Regis indigni & multò magis Convivio lauto, quale pa-

le paratum, de quo 2. *Reg. 6. v.* 22. Indigni fuerunt Convivio regio hi Syri, quia hostes Regis & Israelis. Respirarat post stragem *Benhadad*, vires recuperaverat novas, quapropter ad nutum illius *Syri* excurrunt, latrocinantur & nunc hanc, nunc aliam partem terræ *Israelis* aggrediuntur, imò ad Voluntatem illius se convertunt ad *Dothanam* Urbeculam, ut quidam volunt, in sorte *Manasse*, prophetam *Elisæum* desiderant capere & occidere, ut etiam DEUS propterea Ἀοεγσίαν ipsos percusserit, ut quondam *Sodomitas*, qui expetebant Angelos ingressos, de quo *Gen. 19. v. 11.* Indigni fuerunt Convivio Regio hi Syri, quia non digni, qui in conspectu Regis consisterent. Noverat probè *Joram*, cujus indolis essent hi latrunculi, hi milites, quòd quondàm DEUM *Israelis* riserint & Elohim Judaici populi dixerint *DEUS montium, qui in convallibus non possint* opitulari, quòd hactenus infensi toti Regno, quòd absque spe tanquam gentiles, unde etiam illos vult percutere, dignos, qui occidantur, cùm victimas hominum etiam *Rimmoni*, hoc est *Saturno*, obtulerint, de quo 2. *Reg. 5. v. 18.* Indigni denique fuerunt Convivio hi Syri, quia illud tam magnum. Invaluerat fames in totâ terrâ *Israelis*, jam in tertium annum Caritas Aanonæ premebat populum, nec multùm supererat eduliorum in Metropoli, & Urbe Regia *Samaria*, nihilominus Rex ad Voluntatem domini instruit Convivium, & quidem magnum, curat proponi dapes, & vult, ut Mensa regiâ fruantur, ut quondam *Joseph*, qui præsentibus fratribus & convivis dixit: *apponite panem Gen. 43 v. 31.* Non tam indignè fuerunt quondam *Syri* hoc regio Convivio, longè indigniores sunt illi, de quibus Rex in præsenti Evangelio, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

QUàm magna Gratia DEI, tam magna est hominum perversitas in terris, unde *Salvator* noster in præsenti Evangelio DEUM introducit loquentem post non tam Excidium, quàm Repulsam ad servos redeuntes: *Nuptiæ quidem erant paratæ, & qui invitati erant, non fuerant digni.* In quibus Verbis Observandum 1. qui fuerint

rint hospites. Fuerunt autem illi *Judæi populus peculii*, quibus Evangelium primùm annunciari voluit, qui partim ex cerebrosâ Opinione, ad tam suavem & gratiosam Invitationem noluerunt venire, & *tenebras magis dilexerunt, quàm Lucem Joh. 3. v. 19.* partim hoc convivium neglexerunt, vilipenderunt, agrum & negotiationem prætulerunt temporalia opes & voluptates sectati fuerunt, & Voluptatem *præmiserunt DEO ipsi 2. Timoth. 3. v. 4.* partim servos emissos, advocantes, capere, ridere, imò occidere ausi sunt, atque non tam patriarchis & fidelibus V. T. quàm prophetas occidentibus adhæserunt & non tam minuerunt, quàm *mensuram peccatorum implevêrunt Matth. 23. v. 31, 32.* II. Observandum quomodo Judicium divinum de illis fuerit conceptum. Dicit autem Dominus hujus solennitatis, *non erant digni.* In quibus Verbis quædam est ἀνάπτυξις, quâ figurâ illud, quod intensum, remissius enunciatur. In græco occurrit vox ἄξιοι, quæ usurpatur de talibus, Discipulis scil. qui per fidem constantem in Cruce & tribulationibus dicuntur *digni Christo Matth. 10. v. 37, 38.* de talibus, Centurione scil., qui propter opera charitatis *dignus Auxilio divino*, & ope admirandâ *Luc. 7. v. 4.* de talibus, electis scil. qui propter spem vitæ æternæ, *vestiendi albis & digni illis Apocal. 3. vers. 4.* III. Observandum quo non fuerint digni illi hospites. *Christus* dicit: *nuptiæ quidem erant: paratæ, sed hospites non erant digni.* per nuptias hîc intelligi non ipsum matrimonium seu Convivium, Convivium tale, quod ex occasione Unionis personalis natum, quia filius DEI nostræ Naturæ se desponsavit & Verbum *Caro factum & habitavit in nobis; & vidimus gloriam quasi unigeniti filii à patre plenum gratiæ & Veritatis. Johan. 1, v. 14.* tale quod splendidum & preciosum, in quo & tauri pingues & altilia omnia satis lauta & præpinguia ut *Lucæ 15. v. 23.* tale quod ad refectionem Cordis destinatum & vitam æternam, cujus causâ non tantùm *Johannes* Baptista emissus, ut in Deserto prædicaret, sed & postea Apostoli & Discipuli peculiariter ad hoc *Matth. 11. v. 5, & 6.*

L. D.

Videmus, Quàm malè sonet Judicium divinum, si ad apparatum gratiosi Convivii dicat DEUS: hospites

non erant digni Convivio. Malè sonat hæc Indignitatis pronunciatio I. ex peccati Causalitate, quia hæc indignitas oritur ex turpi Ingratitudine; Hospites quippe quandoq; hic sunt istiusmodi homines, qui per præsumptionem & opinionem nolunt venire, ut DEO conquerendum: *Expandi manus meas totâ die ad populum contumacem, qui graditur in viâ non bonâ post cogitationes suas.* ex *Esaiæ 65. v. 2.* hospites hîc sunt quandoque istiusmodi homines, qui per temporalium curam & fastum hoc splendidum Convivium contemnunt, ut DEO conquerendum: *Vos videte verbum Domini; numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? quare ergò dixit populus meus, dominatur, non veniamus ultra ad te? numquid obliviscitur virgo ornamenti sui, aut Sponsa ornatus sui? populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris.* ex *Jeremiæ 2. vers. 31. 32.* hospites hîc sunt quandoque istiusmodi homines, qui Servos & ministros emissos capiunt, rident, occidunt, ut DEO conquerendum: *Filii durâ facie & indomabili corde sunt; rebelles & spinæ sunt tecum, cum scorpionibus habitas.* ex *Ezech. 2. v. 4, & 6.* Si malè quondam ad apparatum mensæ in deserto *Indignitas* se habuit *Israelitarum* nolentium DEO obtemperare, Manna nauseantium & contra Mosen murmurantium *Numer. 21. v. 5.* quantò magis malè sese habebit *Indignitas Israelitarum* N. T. ad Mensæ Gratiæ Instructionem, qui nolunt venire, fastidiunt Manna cœleste & prophetas exsibilant, *irridebant sermones eorum, & subsannant. 2. Chron. 36. v. 16.* Malè sonat hæc Indignitatis pronunciatio II. ex Indignitatis Profunditate, quia profundè indigni sunt judicio divino, quod nunquam fallit, indigni, ut carentes fide in *Christum*, & opinione sani, quibus *non opus Medico Matth. 9. v. 12.* indigni ut carentes charitate erga proximum & duri, qui *devorant viduarum domos Matth. 23. v. 14.* indigni ut carentes Spe beatæ æternitatis, *cæci & nudi Apoc. 3. vers. 17.* Si malè quondam ad apparatum Mensæ in terra *Canaan Indignitas Manassitarum* se habuit, ut, qui *Messiæ* obliti, charitate destituti & Spe firmâ adeo, ut cesserit singulis annis id quod DEUS dedit aliis per Sapientium *Judicum 6. v. 3.* quantò magis malè sese habebit *Indignitas Manassitarum N. T.* ad Gratiæ Mensæ Instructionem, qui & DEO *displicent & hominibus invisi sunt 1. Thess. 2. v. 15.* Malè sonat hæc Indigni-

Indignitatis pronunciatio III. ex Convivii Dignitate, quia tam lautum, insigne & splendidum est convivium. Est hoc convivium, convivium nuptiale, ad quod invitat *Solomon: Egredimini & videte filiæ Zion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater sua, in die desponsationis illius & in die lætitiæ cordis ejus. Cantic. 3. v. 11.* est hoc Convivium, Convivium instructissimum, in quo Tauri & Altilia, de quo quondam *Esaias: Faciet Dominus Exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vini defecati, convivium pinguium medullatorum, vini defecati & absorbebit in monte isto superficiem operimenti, quo aperti sunt omnes populi, & velum, quo velatæ sunt omnes gentes. cap. 25. v. 6, & 7.* est hoc Convivium, Convivium salutare, ad quod emissi invitant: *Si quis est infirmus veniat ad me; venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis, relinquite infipientiam & vivetis & ambulate per viam prudentiæ.* ex *Proverbior. 9. vers. 4, 5, 6.* Si malè quondam ad apparatum Mensæ in terrâ *Israelis Indignitas Israelitarum* se habuit, qui rore & pluviâ privati propterea *2. Reg. 17. v. 1. & seq.* quanto magis malè se habebit *Indignitas Israelitarum N. T.* ad mensæ Gratiæ Instructionem, qui tam splendidum Convivium non somniarunt, sed suo consilio *acquieverunt, & detraxerunt universæ increpationi DEI: comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.* de quibus *Proverb. 1. v. 30, 31.*

USUS I. DEHORT.

Si tam malè sonat Judicium divinum ad apparatum Gratiosæ mensæ super invitatos, caveamus, ne & nos nullius veniæ contemnamus Convivium hoc, & servis vel manum vel linguam injiciamus, similes illis *Judæis*, qui dixerunt: *Venite & cogitemus contra Jeremiam cogitationes (non enim peribit lex à sacerdote, neque consilium à sapiente, neque sermo à Propheta) venite & percutiamus eum linguâ, & non attendamus ad universos sermones ejus. Jeremiæ 18. v. 18.* ne *Christus* nobis dicat: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt; quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas,*

& noluistis : ecce relinquetur domus vestra vobis deserta. ex *Matth. 23, v. 37, 38.* Caveamus, ne indignos profundè nos exhibeamus sine fide philosophemur, charitatis simus expertes & absque Spe ad sermonem *Christi* de Carne comedendâ dicamus cum *Capernaitis : Durus est hic sermo, quis potest eum audire ?* ex *Joan. 6. v. 60.* ne *Paulus* nobis dicat : *Vobis oportebat primùm loqui Verbum DEI, sed quoniam repellitis illud & indignos vos judicatis vitâ æternâ : ecce convertimur ad gentes.* ex *Actor. 13. v. 46.* Caveamus denique, ne ad tanti convivii splendorem morosi ex propriâ justitiâ querulemur, similes illis *Judæis* dicĕtibus: *Quare jejunavimus, & non respexisti: affliximus animas nostras & nescisti ! ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores urgetis. Esaiæ 58. v. 3.* ne *Christus* nobis dicat: *Nunquid possunt filii Sponsi lugere quamdiu cum illis est Sponsus ? venient autem dies, cùm auferetur ab eis Sponsus : & tunc jejunabunt : nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, tollit enim supplementum ejus à vestimento & pejor scissura fit. Matth. 9. vers. 15, & 16.*

USUS II. ADHORT.

SI tam malè sonat Judicium divinum ad apparatum gratiosæ mensæ super invitatos, studeamus, ut invitati accedamus Corde obsequioso, atque dicamus : *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus : stantes erunt pedes nostri in portis tuis Jerusalem. Psalm. 122 v. 1, & 2.* Studeamus, ut exhibeamus nos ex virtute Spiritus ornatos & dignos, instructos Corde credente, charitate & Spe pleno, simusque Regis filia, de quâ *David : Omnis gloria filiæ regis intus, de capsulis aureis est vestitus ejus; in acupictis adducitur ad regem, unà cum virginibus pedisequis proximæ ejus, quæ adducuntur tibi. Psalm. 45. v. 14, 15, 16.* Studeamus, ut hunc splendidissimi Convivii Apparatum nostro bono institutum agnoscamus Corde grato & dicamus : *Parásti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant meo impinguásti in oleo caput meum; & calix meus irriguus est ? profectò bonitas & misericordia persequentur me omnibus diebus vitæ meæ ; & habitabo in Domo Domini in longitudinem dierum. Psalm. 23. v. 5, & 6.*

USUS

USUS III. CONSOL.

SI tàm malè sonat Judicium divinum ad apparatum gratiosæ mensæ super invitatos, bono sint animo, qui hac Convivio & pane cœlesti digni *Matth. 10. v. 13.* Si per *naturam* simus corrupti nec venire valeamus, similes *Mephibosetho* claudo vocato ad Mensam regiam *2. Sam. 9. v. 3.* novimus DEUM, qui per Verbum vocat & invitat, vires etiam unâ per illud conferre, esse DEUM, *qui conferat velle & facere Philip. 2. v. 13.* esse DEUM, qui sitim accendat Spiritualem, ut dicamus: *Quemadmodum rugit cervus ad vivos aquarum, ita rugit anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad DEUM vivum, quando veniam & apparebo ante faciem DEI?* ex *Psalm. 42. v. 2, & 3.* esse DEUM, qui faciat, ut missos recipiamur, *tanquam Angelos DEI Gal. 4. v. 14.* Si per *naturam* simus indigni coram oculis divinis nudi, ut primi parentes ejecti, & exclusi ab arbore vitæ *Gen. 3. v. 7. & 22.* novimus *Christum* Salvatorem nostrum venisse in hunc mundum, ut nos dignos redderet, *habitare illum per fidem in Cordibus nostris Eph. 3. v. 17.* facere ut illa *fit efficax per Charitatem Gal. 5. v. 6.* obumbrare nos *vestibus justitiæ suæ Isaiæ 61. v. 10.* Si denique per *naturam* simus removendi à Splendido Convivio & similes Acolasto, qui ad *filiquas damnatus Lucæ 15. v. 16.* novimus *Spiritum S.* adhuc in N. T. temporibus invitare ad Convivium nuptiale, & dicere: *Gaudeamus & exaltemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & ejus præparavit se. Apoc. 19. v. 7.* promittere Convivium instructissimum, splendidissimum, *ut inebrientur à pinguedine Domus suæ, dum torrente voluptatis potabit eos. Psalm. 36. v. 9.* allícere ad Convivium salutare & dicere: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite: Venite, emite absque argento & absque ullâ commutatione Vinum & Lac. quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Esaiæ 55. v. 1, & 2.* AMEN,

DOMINICA XXI. POST TRINITATIS, JOH. IV. ℣. 52.

Ἐπύθετο οὖν παρ' αὐτῶν τὴν ὥραν, ἐν ᾗ κομψότερον ἔσχε καὶ εἶπον αὐτῷ, Ὅτι χθὲς ὥραν ἑβδόμην ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετός.

Scisciatus est ergo ab eis horam, in quâ melius habuisset: dixerunt ei, Heri horâ septimâ reliquit eum febris.

SOlicitè intentus erat quondam in horam divini Auxilii & relucentis refectionis ex adventu peregrinantis filii Tobias senior, de quo *Tobiæ 9. v. 4.* Solicitè intentus fuit Tobias senior, Vir quidam alicujus nominis & existimationis inter suos, oriundus ex tribu *Naphtali*, qui quamvis inter captivos, non tamen defecit à DEO, sed potius eundem firmâ fiduciâ fuit complexus, preces ad eundem fudit calidas, & de providentiâ illius in animo suo certissimus, ut etiam dixerit propterea discessuro filio: *Noli timere fili mi pauperem quidem vitam agimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato & fecerimus benè. Tob. 4. v. 22.* Solicitè intentus fuit Tobias senior, perpetuo enim ad animū suum revocavit dilectissimi filii conditionem, num quæsivit ex familiaribus suis de hoc vel illo, nec quievit usque dum Voti sui compos fieret & penitus cognosceret, quid factum fuisset, nec defuit spei & inquisitioni Eventus, cùm non tantum animo cæperit cognoscere illum, quem diligebat anima sua, sed & videre coram præsentem, ut etiam dixerit propterea: *Benedico te Domine Deus Israël, quia tu castigasti me & salvásti me, & ecce ego video Tobiam filium meum. Tob. 11. v. 17.* Sollicitè intentus fuit Tobias senior, accuratè in horam & diem inquirens, numerans momenta temporum & singula puncta, in quibus illi denuò affulsura Lux Lætitiæ, quum tàm animitus desiderabat, tam ardenter expetebat, quod etiam factum ad nutum & voluntatem divinam, destinatum è Cœlo punctum, ut verum intellexerit esse, DEUM opportunè subvenire, & potuerit dicere: *Adspicite, quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi: regemque seculorum exaltate in operibus*

vibus suis. *Tobiæ 13. v. 6.* Ut quondam senior *Tobias* fuit intentus in Horam Lætitiæ, Salutis & Felicitatis, atque dicere potuit cum gaudio, quod *Sara* dixit: *Non delectaris Deus in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum exultationem infundis. cap. 3. v. 22, 23.* ita etiam ille, qui in viâ ad *Capernaum* & reversurus ad locum, lætus ex quo mœstus egressus fuerat, de illo enim testatur *Johannes*, quòd quæsiverit quâ horâ convaluerit Filius, quam Inquisitionem considerabimus σὺν θεῷ.

EXEGESIS.

UT circumstantiæ textus satis luculenter hactenus fuerunt propositæ, ita eâdem Lucis ejusdem methodo pergit *Johannes*, & dicit. *Percontatus est ergò ab eis horam, quâ melius habuerit, dixerunt ei: heri horâ septimâ reliquit eum febris.* In quibus verbis observandum I. Quis percontatus fuerit. Hoc patet ex antecedentibus, nempe fuisse illum eum ipsum Regium, de quo in Initio Evangelii, qui jam cruce pressus adiverat *Christum Capernaumo* discedens, quæsiverat & invenerat, ex famâ de illo benè ominatus, ut aliâs consimiliter cruce pressi ipsum adire soliti, de quo *Matth. 8. v. 5.* qui jam humiliter ipsum rogârat & desideraverat, ut descenderet, quemadmodum aliâs alii quoque consimiliter ipsum humiliter rogare solebant, ut ille *Jairus*, de quo *Matth. 9. v. 18.* qui jam signum aliquod extraordinarium & Miraculum videre sibi persuaserat à tanto thaumaturgo, ut aliâs consimiliter talia videre gestiebant, utpote discipuli *Johannis*, de quo *Matth. 11. v. 2.* II. Observanda est ipsa Percontatio. Dicitur autem in textu, *fuisse hunc Regulum percontatum.* In græco occurrit vox ἐπύθετο. Vulgatus reddidit, *interrogabat*, melius *Beza*: percontatus, atque usurpatur hæc vox de *percontatione Herodis* in Cœtu *Scribarum*, de ortu *Christi* ejusque nativitatis loco *Matth. 2. v. 4.* usurpatur de *percontatione Cæci* ad populum transeuntem cum *Jesu Nazareno*, de quo *Luc. 18. v. 36.* denique usurpatur de percontatione *Petri* in *Cœnâ* ultimâ de illo, qui proditurus *Christum* jamjam accinctum certamini ultimo *Johan. 13. v. 24.* III. Observandum est id, de quo Regius ille fuit percontatus, percontatus autem fuit de horâ, qua melius habuerat sese filius, de horâ

horâ illâ, quâ remiserit febris, grande illud malum & morbus, qui ipsum incenderat, ut Morti esset proximus, cui febri *Christus* imperarat ut illi, de quâ *Luc. 4. v. 39.* de horâ illâ, quâ filius sensit opem & auxilium hujus Medici, manum potentem etiam absentis, qui verbo curare solebat, tanquam ille, de quo *David: Ipse dicit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Psalm. 33. v. 9.* de horâ illâ, quâ filius denuò vixit & benè valuit, sanus exiliit & vegetum sese exhibuit ab illo, qui vires & vitam suggerit *Actor. 17. v. 25.*

L. D.

VIdemus, Quidnam sit officium illorum, qui è cruce emergunt, nempe pia seria & devota meditatio. Decet omnes & singulos è cruce emergentes pia Meditatio I. ex Profectus Intensione, quia illi per crucem jam eò perducti sunt, ut accesserint *Christum* per fidem & crediderint, ipsum esse *Filium Dei* verum Messiam *Joh. 6. v. 69.* ut rogaverint ipsam tanquam Adjutorem, de quo *David: Domine, deduc me in justitiâ: propter inimicos meos dirige in conspectu meo viam meam. Psalm. 5. v. 9.* ut persuasi fuerint de illius virtute, & Thaumaturgum ipsum esse, de quo *Esaiæ 35. Dicite pusillanimis, confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester ultor veniet, retribuens Dominus ipse veniet; & salvabit vos, tunc aperientur cœcorum oculi, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, & jubilabit lingua mutorum. cap. 35. v. 4, 5, 6.* Piè quondam, postquam emerserant è miseria *Israëlitæ*, meditati sunt divinum opus, qui jam agnoverant illum, qui eduxit, rogarunt & virtutes illius miraculosas viderant, dicentes: *Quis similis tui in Diis Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? Exod. 15. v. 11.* multò magis nostri officii erit meditari divina opera, quia jam agnovimus *Messiam*, toties illum humiliter rogavimus & de virtute illius persuasi sumus, quòd sit ille scil. qui ipse dixit: *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere: Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est & ego in Patre. Joh. 10. v. 37, 38.* Decet omnes & singulos è Cruce emergentes pia Meditatio

tatio II. ex Percontationis Conditione, est enim illa percontatio salutaris & utilis, pia & sancta. Actus salutaris Inquisitionis per quem devenimus in uberiorem Notitiam *Christi*, nostri causâ nati & filii nobis dati, *cujus principatus factus est super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, fortis Deus, Pater æternus, Princeps pacis.* de quo *Esaiæ 9. v. 6.* actus salutaris Inquisitionis, per quem devenimus in uberiorem Notitiam *Christi*, nostri causâ illuminantis per Verbum suum, de quo *Esaias: Parùm est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & desolationes Israël convertendas, ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. cap. 49. v. 6.* actus Inquisitionis salutaris, per quem devenimus in uberiorem Notitiam *Christi*, nostri causâ passi & mortui, de quo *Esaias: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & putavimus nos eum quasi flagellatum & percussum à Deo, & afflictum, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus, omnes quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. cap. 53. v. 4, 5, 6, 7.* Piè quondam, postquam emerserant è miseria Israelitæ, meditati sunt divinum Opus, & deducti sunt in notiorem uberiorem veri, dixeruntque: *JEHOVAH ipse est DEUS. 1. Reg. 18. v. 39.* multò magis itaque nostri erit officii meditari divina Opera, quia profecimus in cognitione illius, qui ipse dicit: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis vitam habere in ipsis, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Joh. 5. v. 39.* Dec[illegible] & simplici cum emergentes pia Meditatio III. ex Liberationis Allusione. Illucescit enim Hora Liberationis, quâ lætabundi dicere possimus: *Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus, magnificatus es vehementer: laudem & gloriam induisti, amictus lumine sicut vestimento, extendens cœlum sicut pellem, qui contegnat aquis superiora ejus, qui ponis nubem vehiculum tuum, Psalm. 104. v. 1, 2, 3, 4.* illucescit Hora Auxilii opportuni, qua lætabundi dicere possumus: *Dominus fortitudo mea, & protector meus, & in ipso speravit cor meum & adjutus sum, & exultat cor meum, itaque cantico meo laudabo eum. Psalm. 28. vers. 7.* illucescit Hora laudationis, qua lætabundi possu-

mus dicere: *Exaltabo te Domine, quia suscepisti me, nec delectâsti inimicos meos super me, Domine Deus meus clamavi ad te, & sanasti me: Domine eduxisti ab inferno animam meam: vivificâsti me à descendentibus in puteum.* ex *Psalm. 30. v. 2, 3, 4.* Piè quondam, postquam emerserant è miseriâ *Israelitæ*, meditati sunt divinum Opus, quia jam videbant clarè ablationem morbi, auxilium & sanitatis restitutionem *Num. 21. v. 9.* multò magis nostri officii erit meditari divina opera, quia in illis illucescit Hora Auxilii divini, hora illius, qui ipse dicit: *Non est opus medico valentibus, sed malè habentibus. Matth. 9. v. 12.*

USUS I. DEHORT.

SI decet nos emergentes è Calamitate pia & devota Meditatio, peccant, qui Christum nolunt agnoscere, rogare, & vim illius sibi persuadere, atque dicunt: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: Si rex est Israël, descendat de cruce & credemus ei. Matth. 27. v. 42.* memores illi sunto illius: *Ego vado & quæretis me & in peccatis vestris moriemini. Joh. 8. v. 21.* Peccant, qui percontari nolunt, inquirere & profundiùs meditari atque mundana, illorumque Sapientiam quærunt, *qui Filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terrâ est, negotiatores terræ & Theman, & fabulatores, & exquisitores intelligentiæ. Baruch. 3. v. 23.* memores illi sunto illius: *Erravimus à viâ veritatis & lumen justitiæ non luxit nobis, Sol intelligentiæ non est ortus nobis: lassati sumus in viis iniquitatis & perditionis & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus; quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transiérunt illa omnia tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens. Sap. 5. v. 6, 7, 8, 9.* Peccant, qui de hora auxilii desperant & dicunt: *Elongatum est judicium à nobis, & non apprehendet nos justitia: expectavimus lucem & ecce tenebræ, splendorem, & in tenebris ambulavimus.* ex *Esaiæ 59. v. 9.* memores illi sunto illius: *Væ inconstanti corde, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Syrach 2. v. 14.*

USUS

USUS II. ADHORT.

SI decet nos emergentes è Calamitate pia & devota Meditatio, ſtudeamus, ut *Chriſtum* decenter agnoſcamus, rogemus & de illius virtute nobis quæque ſalutaria perſuadeamus, dicentes: *Profectò eſt ad Deum ſilentium animæ meæ, ab ipſo enim ſalus meæ.* *Pſalm. 62. v. 2.* Studeamus, ut magis magisque percontemur, inquiramus, dicentes: *Domine Deus exercituum, converte nos & illumina faciem tuam & ſalvi erimus.* ex *Pſalm. 80. v. 20.* Studeamus denique, ut illius liberatricem horam ſemper perpendamus, & opera virtute probè ſpectemus, dicentes: *Magna feciſti tu Domine DEUS, mirabilia tua & cogitationes tuæ de nobis nulla eſt comparatio ad te: ſi enarrare & enumerare velim, majora ſunt quàm quæ numerari valeant. Pſalm. 40. v. 6.*

USUS III. CONSOL.

SI decet nos emergentes è Calamitate pia & devota Meditatio, bono ſimus animo, qui ad hoc officium poſt Calamitates nos componimus & obſervamus opera DEI, juxta illud: *Magna opera Domini, inveſtigata in omne beneplacitum eorum. Pſalm. 111. v. 2.* Si *Calamitas* nos volt abducere à Chriſto ut προσκαίρως, de quibus *Luc. 8. v. 13.* novimus Spiritum per Calamitatem, è quâ ſenſim emergimus, ducere ad *Chriſtum*, ut ipſum agnoſcamus tanquam verum DEUM, dicentes cum *Thoma: Dominus meus & Deus meus.* ex *Joh. 20. v. 28.* ut ipſum rogemus tanquam Omnipotentem, dicentes cum *Petro: Adjuva Domine* ex *Matth. 14. v. 30.* ut ipſum deprædicemus tanquam Thaumaturgum, dicentes cum *Nicodemo: Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi Deus fuerit cum eo.* ex *Johan. 3. v. 2.* Si *Calamitas* nos volt obſtupefacere, & à percontatione ad obſtipa deducere ut *Judæos, qui in terram intuentur, & ecce tribulatio & tenebræ, & diſſolutio, & anguſtia, & caligo.* de quibus *Eſaias cap. 8. v. 22.* novimus *Spiritum* per Calamitatem, è qua ſenſim emergimus, intendere percontationem, ut proficiamus in Notitiâ Salvatoris, qui natus noſtri cauſâ *Ebræor. 2. v. 14, 15.* qui decuit & peragravit tempore

N. T. terram *Judæam* nostri causâ *Actor. 10. v. 38.* qui *passus nostri causâ & traditus Rom. 4. v. 25.* Si *Calamitas* nos vult adigere ad desperationem, defectumque horæ melioris sperandæ, ut illos, de quibus *Jeremias: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. cap. 30. v. 12.* novimus *Spiritum* per Calamitatem, è quâ sensim emergimus, ducere ad lucem & horam mali cessantis, ut possimus dicere: *Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors & miserator & justus. Psalm. 112. v.* 4. ad Lucem & Horam Auxilii appetentis, ut possimus dicere: *Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutes faciei meæ & Deus meus.* ex *Psalm. 42. v. 12.* ad Lucem & Horam consummatæ Societatis & Salutis, ut possimus dicere: *Credo videre bona Domini in terrâ viventium.* ex *Psalm. 27. v. 13.* AMEN.

DOMINICA XXII. POST TRINITATIS, MATTH. XVIII. ℣. 29.

Πεσὼν ἔν ὁ σωύδουλος αὐτοῦ εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ, παρεκάλει αὐτὸν λέγων, Μακροθύμησον ἐπ' ἐμοὶ, καὶ πάντα ἀποδώσω σοι.

Et procidens conservus ejus ad pedes ejus rogabat eum, dicens, Esto patiens erga me, & omnia reddam tibi.

SUbmisè quondam comparuerunt coram Achabo servi Benhadad & eundem solicitarunt ad misericordiam, de quo *1. Reg. 20. v. 32.* Submisè quondam comparuerunt servi Benhadad, qui servi quoque Regis, adeoque consimiles illis, qui ministrabant Achabo. Erat *Benhadad* ille Rex *Syriæ*, atque habebat suos ministros & servos, qui ipsi subserviebant, quapropter se parant ad adeundum, atque consistunt coram *Achabo* & illius ministris, cui DEUS hactenus multùm indulserat & paratus erat etiam porrò ignoscere, unde cùm pœnitentiam simularet, dixit: *Nonne vidisti humilitatem Achab coram me? quia igitur humiliatus est coram me,*

non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus. 1. Reg. 21. 28, 29. Submissos sese exhibuerunt servi Benhadad, qui humiliter gestibus sese ostenderunt. Induerunt enim saccos in lumbis suis quasi vestes serviles, luctus & pœnitentiæ indices, funiculos in capitibus, ut ostenderent reati & laqueo sese dignos, qui fauces præcludat & strangulet adeoque sese extremè humiliant, prosternunt more *Ebræorum*, ut Scriptura docet, *Syrorum*, ut observat *Josephus*, *Ninivitarum*, ut ostendit *Jonas cap. 3. v. 6.* Submissè quondam comparuerunt servi Benhadad, qui culpam confessi, deprecati & gratiam tantùm solicitarunt. Erat *Benhadad* ingressus Urbem *Aphec*, jam ingressi in intimum Cubiculum & secretissimum, ut ibi sese abscondens, quapropter, ut impetrarent Veniam, hi servi deprecantur culpæ & sociis testantur pœnitentiam agere sese, quòd bellum moverint ultra causam & culpam contraxerint, nihil desiderant, ut *Josephus* loquitur, quàm Salutis gratiam & ad omnia sese obstrictos atque devotos esse agnoscunt, confisi sese impetraturos, quod desiderarent, sæpe Gratiam, cùm per famam illis innotuerit Reges *Israëlis* esse gratiosos & beneficos, omnia spondent nomine Regis, qui nil nisi vitam capetiit & ostendit, quàm verum illud ali s faisitaris Spiritus: *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro animâ suâ Job. 2. v. 4.* Ut quondam servi Regis *Benhadad* submissè & humiliter sese gesserunt, atque ita gratiam impetrare annisi sunt ab *Achabo*, ita quoque ille, cujus mentio fit in præsenti Dominicali Evangelio, & de quo dicitur: *Quòd procederit ad pedes illius, qui exigebat debitum & dixerit: Patientiam habe, omnia solvam.* de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

Ostenderat *Salvator*, quàm duriter egerit servus ille, qui egressus à Domino; pergit itaque in Parabolâ & unâ ostendit, quomodo ille, in quem incidit, sese gesserit & dicit: *Procidens ergo conservus ejus ad pedes ejus rogabat eum, dicens, Esto patiens erga me, & omnia reddam tibi.* In quibus verbis observandum 1. Quis procederit. Dicit autem: *Conservum procidisse.* In græco habetur vox σύν-

δοῦλος, quæ notat conservum, talem scilicet qui cum alio etiam sub Domino, alterius Imperio, & obtrectus est illi ministrare vel servire, adeoque vult indicare hunc hominem, quem tam duriter allocutus fuit ille Servus à Domino egrediens, fuisse Conservum illius Domini, qui instituit conferre rationem cum Servis suis, advocavit, examinavit, contulit, ut quidem vox συναίρει exponitur *Matth.* 25. v. 19. Conservum illius Domini, qui deprehendit hunc Servum, qui ab alio exegit debitum, debuisse decies mille talentorum, reum fuisse, & utut non potuerit solvere debitum, tamen promisisse solutionem, adeoque convictum ingentis Summæ, cui non par erat solvendo, ut ille Oeconomus, qui dissipavit Bona Domini sui, de quo *Luc.* 16. v. 1. Conservum illius Domini, qui misertus est Servi illius, & remisit debitum ei tam grande, longè illustrius agens quàm ille Fœnerator, de quo *Luc.* 7. v. 42. II. Observandum, Quomodo se gesserit ille Conservus compellatus. Dicitur autem: *Procidisse ad pedes ejus.* In græco habetur vox πεσὼν, quæ notat illum procidisse, hoc est sese submisisse, ut quidem hæc vox usurpatur *Matth.* 2. v. 11. procidisse verò ad pedes, adeoque extremè sese humiliasse, ut quidem constat ex *Marc.* 5. v. 22. procidisse ad pedes illius servi, qui non Dominus sed Servus & inferioris conditionis, æqualis illi, procul Angelus se σύνδουλον appellat *Johannis Apoc.* 19. v. 11. III. Observandum, Quid dixerit ille procidens conservus. Dicit *Christus, illum fuisse precatum*, rogasse, petiisse, ut quidem hæc vox usurpatur *Matth.* 8. v. 5. dixisse μακροθύμησον cohibe iram, ut reddidit *Beza*, patientiam habe juxta Vulgatum, ut hæc vox occurrit *Luc.* 18. v. 7. & omnia reddam tibi, ἀποδώσω σοι usque ad ultimum quadrantem, ut vox hæc usurpatur *Matth.* 5. v. 26.

L. D.

Videmus, Quàm proni esse debeamus ad Remissionem debitorum & injuriarum nobis illatarum. Proni esse debemus in Remissionem I. ex proximi Qualitate. Est ille conservus noster & nos cum illo in eodem statu, ambo servi illius Domini, rationem exigentis, cui dicendum, cum *Davide: Nec tam*

in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. ex *Psalm. 143. v. 3.* ambo servi illius Domini, cui infinitum debemus, cui dicendum cum *Jobo: Verè scio, quòd ita sit, & quòd non justificetur homo comparatus DEO; si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere unum de mille. cap. 9. v. 2, & 3.* ambo servi illius Domini, qui miseretur suorum & debita remittit, cui dicendum cum *Micha: Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccata reliquiarum hæreditatis tuæ? non fortiter retinet in perpetuum furorem suum, quoniam misericordiâ delectatur; revertetur & miserebitur nostri, mundabit iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* ex *cap. 7. v. 18, 19.* Si itaque *Abrahæ* pronus fuit ad agnoscendum *Lotho*, quia cognati inter se & servi unius Domini, veri scil. DEI, ut constat ex *Gen. 13. v. 8.* utique nostri est officii facilè ignoscere *proximo*, quia natura quandam cognationem inter nos constituit & nos omnes & singuli conservi magni illius Domini, de quo *David: Jubilate DEO omnis terra, servite Domino in lætitiâ: introite in conspectu ejus, in exultatione. Psalm. 99. v. 2.* Proni esse debemus in Remissionem II. ex Proximi Humilitate, solet ille quandoque etiam procidere coram nobis humisse, & proinde illi manus porrigenda Benignitatis, ut erigatur ad monitum *Pauli: Fratres, si præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instaurate in Spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Gal. 6. v. 1.* solet ille quandoque ad pedes nostros se demittere humiliter, & proinde Cordi ejus adhærendus nostro, in Ignoscentiam prono, juxta illud *Pauli: Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit nobis. Ephes. 4. v. 32.* solet ille quandoque procidere ad pedes nostros obsequiosè, qui non sumus superiores illo & plus debitum quàm debet & proinde debemus agnoscere mente æquâ Officium hoc proximi ad monitum *Pauli: Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere & non nobis placere; unusquisque nostrum proximo suo placeat, in bonum ad ædificationem. Rom. 15. v. 1, & 2.* Si itaque *David* pronus fuit ad agnoscendum *Simei*, atque dixit: *non occidetur*, quia sese humiliavit & prostravit coram Rege, de quo *2. Sam. 19. v. 19, & 23.* utique & nostri erit officii facilè ignoscere proximo, quia sese humiliat, coram nobis, procidit ad pedes & demittit

tic se similemq; exhibet illi, qui dicere potest: *In memetipso effundit se anima mea, & apprehendérunt me dies afflictionis. Job. 30. v. 16.* Proni esse debemus in Remissionem III. ex proximi Facilitate, quia paratus est ad restitutionem & satisfactionem; precatur ille & deprecatur, manusque supplices elevat, atque cum *Aarone* dicit: *Obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stultè commisimus.* ex *Numer. 12. v. 11.* solicitat ille μακροθυμίαν nostram, moram tantùm petit aliquam, & ut audiatur, desiderat cum *Gideone* dicens: *Si inveni gratiam coram te, da mihi signum, quòd tu sis qui loqueris ad me. Jud. 6 v. 17.* promittit denique solutionem totius summæ, quæ exigua ad decem florenos. & dicit cum *Paulo: Si aliquid nocuit tibi aut debet, mihi imputa.* ex *Epistola* ad *philemonem v. 19.* Si itaque quondam *Tobias* patientiam habuit cum *Gabele* & pronus fuit eidem, quia solvit omne illud, quod mutuo acceperat, de quo *Tobiæ 4. v. 21.* utique & nostri erit Officii facilè ignoscere proximo & patientiam habere cum illo, quia precatur, patientiam solicitat & paratus est satisfacere, atque observare illud *Christi: Relinque munus ante altare, & reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5. vers. 24.*

USUS I. DEHORT.

SI ita proni esse debemus ad ignoscendum proximo, peccant graviter, qui non attendunt proximum esse conservum Domini miserentis, atque se feros erga conservum exhibent instar *Esavi*, qui dixit: *Venient dies luctus patris mei, & occidam fratrem meum Jacob. Gen. 27. v. 41.* memores illi sunt illius: *Eja consentiens adversario tuo citò, dum adhuc in viâ es, cum eo: ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro & in carcerem conjiciaris. Matth. 5. v. 25.* Peccant graviter, qui non attendunt ad humiliationem & preces conservi, atque se exhibent ut fratres *Josephi*, de quibus *Gen. 42. vers. 21.* memores illi sunt illius: *Homo homini reservat iram; & à DEO quærit medelam, in homine similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur, ipse dum caro sit, reservat iram, & propitiationem petit à DEO, qui*

pro-

propitiabitur peccatis ejus? Syracidis 28. v. 3, 4, 5, 6. Peccant graviter, qui non attendunt ad facilitatem proximi, offensam & debitum exiguum, ad quod expungendum paratus, neque patientiam habere volunt, atque se exhibent instar *Caini*, qui fratrem audire noluit, sed interfecit, de quo *Gen. 4. v. 8.* memores illi sunto illius: *Si dimiseritis Hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester coelestis delicta vestra: si autem non dimiseritis Hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Matth. 6. vers. 14, 15.*

USUS II. ADHORT.

Si ita proni esse debemus ad ignoscendum proximo, studeamus, ut intuitu nostræ Remissionis nobis factæ etiam proximo ignoscamus, observantes illud *Pauli: Si quis adversus aliquem habet querelam; sicut & Dominus donavit nobis, ita & vos; super omnia autem hæc induite charitatem, quæ est vinculum perfectionis. Coloss. 3. v. 13.* Studeamus, ut intuitu humiliationis coram nobis etiam proximo ignoscamus, observantes illud *Christi: Si peccavit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi: si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: pœnitet me, dimitte illi. Luc. 17. v. 3, & 4.* Studeamus denique, ut intuitu μακροθυμίας laudabilis & facilitatis, ex parte proximi nos faciles quoque exhibeamus & proximo ignoscamus observantes illud *Pauli: Sufferte infirmos, longanimes estote erga omnes. 1. Thess. 5. v. 14.*

USUS III. CONSOL.

Si ita proni esse debemus ad ignoscendum proximo, bono sint animo, qui hîc faciles, atque semper cogitant, quod precantur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, ex *Matth. 6. v. 12.* Si *Caro* nostra nos velit animare, ne attendamus ad consortem nostrum, & quidem illius Domini, qui nobis remittit, suggerat nobis, ut fastuosos nos exhibeamus, tales, qui sumus *in superbiam eriguntur, & tanquam pulli onagri.* quales de-

scribuntur *Job 11. v. 12.* novimus *Spiritum* dictare oppositum, docere nos, proximum esse conservum Domini etiam super nos miserentis & suggerere illud: *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Syracides 28. v. 2.* Si *Mundus* velit nos decipere, oculos obnubilare, ne attendamus ad humilem prostrationem gestus, & animi demissionem in proximo, suggerat nobis. ut exhibeamus nos feros, qui advolventem pedibus calcemus, pessundemus & exhibeamus nos tales, *qui hoc agunt, ut caput pauperum in pulverem terræ deprimant, & viam afflictorum pervertant.* quales describuntur *Amos 2. v. 7.* novimus *Spiritum* dictare oppositum, docere nos proximum humiliantem esse attendendum, erigendum, subministrare illud, qui *se humiliet exaltandum esse Lucæ 14. vers. 11.* Si denique *Diabolus* nos velit avertere à proximo, animare, ne attendamus facilitatem Satisfactionis, pro injuriâ suggerat, ut implacabiles nos exhibeamus, tales, *qui terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & pascerunt eos, asinum pupillarum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bovem viduæ, deturbarunt pauperem de viâ, simul absconditi sunt mansueti Terræ, quasi magni in deserto egrediuntur, in opus eorum, vigilantesque ad prædam, præparant panem liberis; in agro mixtum demetunt, & vineam impietatis vindemiant, faciunt pernoctare sine indumento, & non est operimentum in frigore.* quales describuntur *Jobi 24. vers. 2, 3, 4, 5, 6, 7.* novimus *Spiritum* dictare oppositum, docere illum, qui patientiam exigit, à nobis etiam patienter esse audiendum, benigne tractandum, & suggerere illud: *Judicium sine misericordiâ illi, qui non fecerit misericordiam, superexultat autem misericordia judicio. Jacobi 2. vers. 13.*

AMEN.

DOMI-

DOMINICA XXIII. POST TRINITATIS, MATTH. XXII. ℣. 21.

Λέγουσιν αὐτῷ, Καίσαρος. Τότε λέγει αὐτοῖς, Ἀπόδοτε οὖν τὰ Καίσαρος Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ, τῷ Θεῷ.

Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

MUltum paucis Verbis indicavit Samuel, propheta Domini, dum dixit Sauli, filio Cis cujus erunt optima in Israel? de quo *1. Sam 9. vers. 20.* Multum paucis Verbis indicavit hisce Samuel, Propheta Domini, dum in illis stitit Saulem, tanquam Caput & Regem in Israel. Erat hic Vir non magni Nominis, de tribu *Benjamin*, minore cæteris & genere in illo parvo, ut ipse fatetur; quapropter cùm *Samuel* ita affatur illum, indicare vult eum in alium esse mutandum Virum, DEUM destinasse ipsum in Regem & Caput *Israelis*, Pastorem & Tutorem, unde etiam cùm producit eum *Samuel*, elegantí formâ & statura singulari inclutum dicit: *Videtis, quem elegit Dominus, quoniam non est similis illi in omni populo. 1. Sam. 10. v. 24.* Multum paucis his Verbis indicavit Samuel, Propheta Domini, dum Sauli appropriavit in illis optima in Israel. Occuparant terram *Canaam Israelitæ*, & diu jam in illa habitarant, opes & divitias omnis generis collegerant, quapropter dicit *Samuel*, Propheta Domini, *Sauli, cujus erunt optima terræ*, medulla in illâ, nisi tui & patris tui domus, tibi servient, merces in tribu *Sebulon*, quæ negociatur cum *Tyro* & *Sidone*, tibi servient arma, hastæ & Enses in tribu *Gad*, quæ præ cæteris apta ad Bellum, tibi servient frumentum pingue & panis in tribu *Aser*, quæ benedicta à DEO, non deerit tibi Honor, non Obsequium, non tributum, tu secundùm Jus Regium poteris in Bona subditorum dominari, maximè tempore necessitatis, ut quidem illud Jus mihi revelatum *1. Sam. 8. v. 11, 12. & seq.* Multum paucis his Verbis indicavit

Samuel, Propheta Domini, dum in illis æquitatem fundavit. Debebat *Saul* imperare loco DEI, quem rejecerant, pascere hunc populum & præire, defendere & tueri contra hostes vicinos, quapropter *Samuel* indicat, optima deberi optimo, ut qui tot commoda præstet publico, meritò recipiat recipienda ex illo, quod etiam agnovit postea ipse populus: nam cùm *Jabesitas* in *Gilead* liberasset, *Nahasum* devicisset & & *Ammonitas* fugasset dixit: *Quis est iste, qui dixit: Saul non regnabit super nos. 1. Sam. 11. v. 12.* Quod quondam *Samuel*, Propheta Domini paucis in Verbis adjudicavit *Sauli*, idem Propheta N. T. *Christus* in Evangelio præfecto cum dicit: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, de quo τὸν Θεῷ.

EXEGESIS.

QUod quondam *David* dixit de Impio: *In operibus manuũ suarũ eum prehensus est peccator. Ps. 9. v. 17.* illud docet præsens Evangelium & Responsio *Salvatoris* nostri, quâ illos, qui illaqueare illũ voluerunt, tàm egregiè & validè repressit & convicit dicẽdo: *Reddite Cæsari ergo, quæ sunt Cæsaris.* In quibus Verbis observandum I. Cui dandum. Dicit *Christus*: *Reddite Cæsari*, per *Cæsarem* intelligit *Tiberium*, & in illo omnem illum, qui summam habet potestatem, atque ideò secundùm quosdam absque articulo loquitur, notatque illum, qui DEI vicarius in his terris, & propterea DEI nomine condecoratur, *Deus Deorum, Dominus Dominantium, Deus magnus & potens, & terribilis. Deut. 10. vers. 17.* qui *Pastor* populi commissi, & propterea hoc nomine gaudet *Jeremiæ 49. v. 19.* qui *Arbor totius terræ*, & propterea vitis vel arboris nomine condecoratur *Ezech. 17. vers. 6.* II. Observandum, Quid dandum. *Christus* dicit: *date Cæsari, quæ sunt Cæsaris* τῷ Καίσαρι scil. ὄντα, quæ sunt Cæsaris adeoque respicit ad Numisma Census ostensum, in quo Imago *Cæsaris*, cui debebatur pro illo tempore Honor, tanquam Imperatori, ut constat ex *Luc. 3. v. 1.* quod ex Argento cusum potestate illius, & obtrusum, cui debebatur Obsequium, qui in vicem Regis successerat ipsis fatentibus, *non habemus Regem nisi Cæsarem. Joan. 19. v. 15.* quòd denique Numisma Census, talis Numus, qui tanquam tributum inferendum erario

rario *Cæsari*, qui jam solebat ita cum illis agere, *Augusto describente ipsum Orbem Luc. 2. v. 1.* III. Observandum Quomodo dandum. *Christus* dicit: ἀπόδοτε non indicativè, sed imperativè, neque vult indicare simpliciter esse dandum, sed reddendum, quasi pro accepto vel acceptum, usurpatur aliàs hæc vox de *redditione Juramenti* apud DEUM *Matth. 5. v. 33.* de *redditione Mercedis pro Labore*, & ustu dicitolerato *Matth. 20. v. 8.* de *redditione pecuniæ & debiti Matth. 5. v. 26.*

L. D.

VIdemus, Quid Subditos deceat, nempe secundùm Effatum Christi Redditio debiti ex bonis & fundis. Debent Subditi reddere debitum I. ex Majestatis Descriptione; quia ille cui dandum, est Cæsar, Rex vel Princeps. Est Vicarius DEI in his terris, qui gaudet Majestate, adeò, ut ipse DEUS dicat: *Ego dixi: Dii estis, & filii excelsi omnes. Psalm. 82. v. 6.* Est Pastor populi in multitudine gregis adeò, ut *Moses* dicat, præcedere illum & reducere: *Non sit populus Domini absque pastore. Num. 27. v. 17.* Est Arbor regalis in terrâ, adeò, ut *Ezechiel* dicat: *Esse Cedrum in Libano pulcram frondibus plenam foliis cap. 31. v. 3.* Si itaque Subditi *Nabuchodonosoris* reddiderunt debitum eidem, quia Rex Regum, Pastor populi & *Arbor in medio terræ Daniel. 4. v. 7. & 8.* adhuc dum hodie reddendum erit debitum Subditis, quia Cæsar, Reges & *Principes* Vicarii DEI, Pastores populi, Arbores terræ, quarum beneficio *Israël & Juda* securè agere possunt, *unusquisque sub ficu suâ & viti &c. 3. Reg. 4. v. 25.* Debent Subditi reddere Debitum II. ex Bonorum Conditione, quia illa sunt Bona *Cæsaris*. Exhibere illi debent Denarium Reverentiæ, juxta illud *Petri: Regem honorificate. 1. Epistola cap. 2. v. 17.* exhibere illi debent Denarium Obsequii juxta illud *Pauli: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit: non enim est potestas nisi à DEO: quæ autem sunt potestates, à DEO ordinatæ sunt, itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi judicium acquirunt. Rom. 13. v. 1. & 2.* debent

Subditi exhibere Denarium Census & Tributi, juxta illud *Christi Matth. 17. v. 27.* Si quondam ergò Amici & Subditi *Hiobi*, tanquam Principis, exhibuerunt eidem denarium & aureum cingulum, quia debebant illi reverentiam, obsequium & tributum *Jobi 42. v. 11.* adhuc dum hodie reddendum erit debitum *subditis*, quia exhibendus Denarius Honoris, Obsequii & Census, juxta illud *Pauli: Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Rom. 13. v. 7.* Debent subditi reddere debitum III. ex Æquitatis Obstrictione, quia reddant quod acceperunt vel pro acceptis. Imperant loco DEI Reges & Principes, quapropter æquum est ut illis reddatur reverentia, ut *Thecuites* dicat: *Sicut Angelus Domini sic est Dominus meus rex, ut audiat bonum & malum, unde & Dominus Deus tuus est tecum.* ex *2. Sam. 14. v. 17.* pascunt illi populum & gregem ovium quapropter æquum est ut illis pro labore reddatur lac & lana, ut *Paulus* dicat: *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam & fructus ejus non audit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* ex *1. Cor. 9. v. 7.* Umbram illi tutelæ & defensionis præstant, quapropter æquum est ut illis reddatur census & tributum, ut *Abigail* dicat: *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi, Domino meo: & da pueris, qui sequuntur te Dominum meum. 1. Sam. 25. v. 27.* Si itaque *Subditi Salomonis* quondam eidem obtulerunt munera, quia imperavit, pavit & defendit, de quo *1. Reg. 4. v. 21.* adhuc dum hodie reddendum est debitum *Subditis*, quia ex Oleâ habent Imperium *ex ficu comedunt, & fructum & pastum ex viti vinum & umbram Judic. 9. v. 8, 9. & 10.*

USUS I. DEHORT.

SI Subditos ita decet juxta Effatum Christi reddere debitum, peccant graviter, qui non attendunt ad Majestatem Imperantis, sed opinantur omnes homines esse æquales, atque cum *Core, Dathan & Abiram* dicunt: *Multum vobis, quia omnis multitudo sancta est, & in ipsis est Dominus, cur elevamini super populum Domini?* ex *Numer. 16. v. 3.* experientur illi Majestatis vim & quam verum illud: *Sermo Regis potestate plenus est; nec dicere ei quis quare*

quare

quare ita facis? Eccles. 8. v. 4. Peccant graviter, qui non attendunt ad bonorum conditionem, nolunt exhibere denarium Honoris, Obsequii & Census, atque cum *Seba* dicunt: *Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai: vertere ad tabernacula tua Israël. ex 2. Sam. 20. v. 1.* experientur illi, quàm verum illud: *Non pecces in multitudine civitatis, nec te immittas in populum, ne alliges duplicia peccata, Syrach. 7. v. 8.* Peccant graviter, qui non attendunt ad commoda, quæ habent ex præpositis & reddere nolunt reddenda, atque cum *Judâ ex Galilæa* reddunt malum pro Bono, *insurgunt tempore Census & avertunt populum Act. 5. v. 37.* experientur illi quàm verum illud: *Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & dissolvetur, tanquam aqua supervacua Sap. 16. v. 29.*

USUS II. ADHORT.

Si Subditos ita decet reddere debitum secundùm Effatum Christi, benè agunt illi Subditi, qui Majestatem attendunt, & cum *Daniele* etiam ex lacu Leonum dicunt: *Rex in æternum vive, cap. 6. v. 21.* Benè agunt illi Subditi, qui bona sua etiam Cælebis bona esse intelligunt, & cum *Sobi, Machir & Barsillai* offerunt cum honore obsequioque quævis utilia & necessaria *2. Sam. 17. v. 27, 29.* Benè agunt illi Subditi, qui Beneficia attendunt, & cum *Josepho & Mariâ* ambulant, ut Censum solvant *Luc. 2. v. 3, 4, 5.*

USUS III. CONSOL.

Si Subditos ita decet reddere debitum secundùm Effatum Christi, bono animo & quietâ conscientiâ frui possunt, qui observant illud *Pauli: Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad bonum omne opus instructos. Tit. 3. v. 1.* Si *Subditos* nos movere velit, ut vilipendamus Majestatem, & cum *Natale* noctu in Domini dicentes: *Quis ostendit nobis bona?* ex *Psalm. 4. v. 7.* novimus bonum *Spiritum* per Verbum illustraturum corda, ut videamus nostros præpositos esse *Elohim* sive Deos *Exod. 22. v. 28.* esse Pastores, qui *compleant voluntatem Domini Esaiæ 44. vers. 28.*

esse

esse *arbores* & *vites generosas Ezech. 19. v 10.* Si *Sathan* nos movere velit, ut debitum denegemus & cum decem tribubus dicamus: *Quæ nobis pars in David, vel quæ hæreditas in filio Isai? vade in tabernacula tua Israël, nunc vide domum tuam David. 1. Reg. 12. v. 16,* novimus bonum *Spiritum* per Verbum moturum corda, ut Denarium Reverentiæ exhibeamus *Josepho*, & dicamus *Abrech* ex *Gen. 41. v. 34.* ut Denarium Obsequii exhibeamus *Josuæ*, & dicamus: *Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus, & quocunque miseris, ibimus, sicut obedivimus in cunctis Mosi, ita obediemus tibi, tantùm sit Dominus Deus tecum, sicut fuit cum Mose. Josuæ 1. v. 16. & 17.* ut Denarium Tributi exhibeamus *Davidi*, & dicamus *en munera* ex *2. Sam. 8. v. 2.* Si denique *Sathan* nos movere velit, ut renuamus reddere pro Beneficiis reddenda & cum *filiis Belial* incitet, ne offeramus *Sauli 1. Sam. 10. v. 27.* novimus bonum *Spiritum* per Verbum illustraturum & commoturum corda, ut reddamus pro Imperio Reverentiam cum Senioribus ex *Israël 2. Sam. 5. v. 1, 2, 3.* pro pastura & labore Obsequium cum civibus *Hierosolymitanis* ex *Esaiæ 36. v. 21.* pro Umbrâ defensionis, aurum & argentum cum *Manassæis* ex *Judic. 8. v. 24.* Finimus in Verbis Davidis: *Exaltare Domine in virtute tuâ, & psallemus & confitebimur tuam. Psalm. 21. v. 14.* AMEN.

DOMINICA XXIV. POST TRINITATIS, MATTH. IX. ℣. 24.

Λέγει αὐτοῖς, Ἀναχωρεῖτε· οὐ γὰρ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, ἀλλὰ καθεύδει.

Dicit illis, Secedite: non enim mortua est adolescentula, sed dormit.

NOn infeliciter cessit quondam Ruthæ, quòd ad mandatum Boazi se dimisit ad pedes illius, & per noctem dormivit usque ad Solis ortum ibidem, de quo *Ruth. 3. v. 13. & 14.* Benè cessit Ruthæ, quòd illo tempore dormierit, quia jam consum-

Ruthæ,

mata erat Cœna. Comederat & biberat aliquantò largius *Boaz*, quapropter recubuit in Areâ juxta acervum manipulorum, cùm itaq; nox increscceret, omnia somnum suaderent & ipsa fuisset cœnata, per diem occupata inclinaret in somnum, ad mandatum *Boazi* cum quo contulerat se ad pedes illius confert & obdormit, juxta illud *Salomonis: Dulcis est somnus operanti sive parùm sive multum comedat. Eccles. 5. v. 11.* Benè cessit Ruthæ, quòd ad pedes Boazi recubuerit quieta. Erat nox adulta, locuta etiam fuerat cum *Boaze*, atque hactenus vigilaverat; verùm cùm Boas jubet illam dormire, cessat loqui, componit se ad somnum, oculos claudit secura & tuta recumbit sub tanti viri præsidio & præsentiâ, juxta illud: *Si dormieris, non timebis, quiesces & suavis erit somnus tuus, non pavebis à repentino timore, & à devastatione impiorum, quando venerit. Prov. 3. v. 24.* Benè denique cessit Ruthæ, quòd dormierit illo tempore in area Boazi, mane enim vix orto Sole læta evigilavit. Dormiverat illa per aliquot horas, noctem consumpserat in quiete; appetente itaque die & sole per auroram se manifestante surgit ex areâ, dispicit & agnoscit diluescere, nec non refecta & hilaris ambulat atque areâ discedit, bonisque cumulatur à *Boaze* & tandem in thorum introducitur, lætaturque toto die & sequentibus, juxta illud *Salomonis*: *In die bonâ fruere bonis, & malum diem vide, sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, ut non inveniat homo post se aliquid Ecclesiastis 7. v. 15*, Ut quondam *Ruthæ Moabitidi* & idololatriæ atque peccatis immersæ olim feliciter cessit, quòd conversa se ad pedes dimiserit *Boazi*, ibidem dormiverit & denuò læta evigilarit, ita quoque puellæ *Archi-Synagogi* non malè cessit, quòd recumbens ad præsentiam cœlestis *Boazi* JESU Christi dormiverit, cum insecuta fuerit hilaris & miraculosa Resurrectio, ad quam ipse respiciens dixit: *Puella non est mortua sed dormit*, de quibus verbis *sub Text.*

EXEGESIS.

POstquam *Christus* jusserat recedere præsentes, addit ad verba Imperii: *Non enim mortua est puella, sed dormit.* Negat puellam esse

mortuam, non quòd non verè fuerit mortua, quia aliàs virtus miraculi extenuaretur, cùm Pater ipse apertè fuerit professus illam mortuam *v. 18.* sed quòd virtuti divinæ non subtracta & paulò post iterum suscitanda, unde addit ἀλλὰ καθεύδει, sed dormit, atque illam ita comparat dormienti I. quoad causam. est quippe somnus oriundus ex cibo & potu, unde *Sisara* hausto lacte obdormivit *Judic. 4. v.* vel ex tristitiâ, quæ somnum quoque causatur, unde discipuli ex illâ causâ cœperunt dormire, ut constat ex *Luc. 22. v. 45.* denique ex defatigatione & virium debilitatione, lassitudine membrorum, unde *Elia* sese fatigatum commisit somno *1. Reg. 19. v. 5.* II. Quoad formam; quæ nihil aliud quàm Quies quædam, cessatio sensuum & functionibus & operationibus suis, adeò quidem ut in somno oculi claudantur, qui *Lumen Corporis Matth. 6. v. 22.* aures occludantur, quæ canalis sermonis & sensuum illius *Jobi 34. v. 3.* os claudatur & conticescat linguæ vis, quæ aliàs instrumentum hominis nobilissimum, de quâ *Jacobus: Per ipsam benedicimus Deum & Patrem: & per ipsâ maledicimus homines, qui ad imaginem & similitudinem DEI facti sunt. cap. 3. v. 9.* III. Quoad consequens. Sequitur quippe ad somnum, si tangatur dormiens vel voce compelletur, excitatio, evigilatio, ut de *Noacho* dicitur, quòd evigilarit è somno *Gen. 9. v.* sensuum adhibitio & operatio, ut de *Solomone* dicitur, quòd suscitatus denuò usus fuerit sensibus, imò Reflexione quâdam mentis *3. Reg. 3. v. 15.* virium restauratio, ut de *Simsone* dicitur, quòd surrexerit è somno viribus resumptis *Judic. 16. v. 14.*

L. D.

VIdemus. Quomodo Mors maximè verò piorum debeat considerari, spectari, attendi. Hoc docet *Christus* dicendo: *Puella non est mortua, sed dormit,* nempe tanquam Somnus quidam. Est mors hominum. maximè verò piorum Somnus I. Causaliter. nam ex quibus causis oritur somnus ex iisdem quoque mors existit. Orta est mors ex Esu vetiti fructus adeò, ut DEUS dixerit: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex illo, morte morieris. Gen. 2. v. 17.* orta est mors ex tristitiâ

mentis

mentis & adhuc oritur, adeò ut *Syracides* dicat: *Multos occidit tristitia & non est utilitas in illâ. cap. 30. v. 25.* oritur denique Mors ex defatigatione & lassitudine, defectu virium, qui sensim adrepit in hâc vitâ adeò, ut *David* dicat: *Vita nostra succiditur festinanter & avolamus.* ex *Psalm. 90 vers. 11.* Ut quondam *Samuel* per diem occupatus in Ministerio sese noctu componit ex defatigatione ad somnum, de quo *1. Sam. 3. v. 3.* ita *Mors* nobis obrepit ex variis curis & lassitudine, inprimis hujus vitæ, ut ingeminemus illud: *Sicut servus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui. Job 7. v 2. & 3.* Est mors hominum maximè verò piorum Somnus II. Formaliter, nam in quibus consistit somnus in iisdem quoque mors, cujus somnus Imago; cessat in illâ visus & obrepunt tenebræ, ut ambulandum *ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram caliginis, & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, cujus splendor est caligo.* de quo *Job. 10. vers. 21, 22.* cessat auditus & completur illud: *Viventes sciunt se morituros; mortui verò nihil novêrunt amplius, nec habent ultra mercedem; quia oblivioni tradita est memoria illorum, amor quoque eorum & invidia simul periêrunt, nec habent partem in hoc seculo & in opere, quod sub Sole geritur. Ecclesiastis 9. vers. 5. & 6.* cessat lingua in illâ & obmutescit omne os viventis, ut agnoscendum illud: *Non est in morte, qui memor sit tui; in inferno quis confitebitur tibi? Psalm. 6. v. 6.* Ut quondam *Isaaci* sensus, cùm propinquus mortis cœperunt hebescere, oculi caligare, auditus cessare, ut constat ex *Gen. 27. v. 1. & seq.* ita *Mors* ipsa consistit in cessatione functionum omnium vitalium & animalium, atque contingit illud: *Ut obtenebrescant sol & lumen, & stellæ & luna. Ecclesiastis 12. vers. 2, 3, 4.* Et mors hominum, maximè verò piorum Somnus III. Finaliter, nam quod sequitur ad somnum, id quoque sequitur ad Mortem; surgem enim mortui è lectulis suis ad vitam, juxta illud *Esaiæ: Vivent mortui, interfecti mei resurgent: expergiscimini & jubilate, qui habitatis in pulvere; quia ros herbarum virentium ros tuus. Esaiæ 26. v. 19.* sensus & mentem reparatam adhibebunt ad functiones vitæ, juxta illud *Davidis: Ego in justitiâ videbo faciem tuam: satiabor, cùm evigilavero, imagine tuâ. Psalm. 17. v. 15.* Viribus pollebunt

novis, juxta illud *Philonis: Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Sap. 3. v. 7.* Ut quondam *Tobias*, quem deprehendit Ancilla somno sepultum, lætus iterum surrexit, sensibus usus fuit & in patriam suam integris viribus perrexit *Tobiæ 8. v. 1.* ita *Mors* non æternùm durat, sed sequitur eandem læta Resurrectio, juxta illud *Christi: Venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii DEI: & procedent, qui bona fecérunt in resurrectionem vitæ, qui mala egerunt in resurrectionem judicii. Johan. 5. v. 28, 29.*

USUS I. DEHORT.

SI Mors est somnus & ita à nobis considerandа, peccant, qui putant Mortem esse à DEO, quæ tamen est ex peccato, hominem primum conditum fuisse mortalem, atq; similem nobis, *qui omnes moriamur, & quasi aquæ dilabamur in terram, quæ non colliguntur.* de quibus 2. *Sam. 14. v. 14.* memores illi deberent esse illius: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Sap. 1. v. 13.* Peccant, qui putant, in morte non cessare sensus & functiones hominis, sed & animam migrare in alia corpora, & in illis audire, videre loqui, & cætera, assentientes *Pharisæis* & *Herodi*, qui in illâ opinione *Matth. 14. v. 2.* memores illi deberent esse illius: *Justorum animæ in manu DEI sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Sap. 3. v. 1.* Peccant, qui putant post mortem nullam sperandam esse resurrectionem, atque hominem similem esse brutis, & dicunt: *Fortuitò nati sumus, & posthac erimus, tanquam non fuerimus, quoniam fumus afflatus est in naribus nostris, & sermo est scintilla in commotione cordis nostri, quia extinctus cinis erit corpus nostrum, & Spiritus dissolvetur tanquam mollis aër, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis Solis & calore illius aggravata. Sap. 2. v. 2. & 3.* memores illi deberent esse illius: *Si in hâc vitâ in Christo tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. 1. Cor. 15. v. 19.*

USUS II. ADHORT.

SI Mors est somnus & ita à nobis considerandа, lassi in hâc viâ seculi anhelemus ad illam, juxta illud *Pauli: Audemus & bonam voluntatem habemus peregrinari magis à corpore, & præsentes esse ad Dominum. 2. Corinth. 5. v. 8.* post visas & auditas seculi vanitates libenter requiescamus & ad dormitoria nostra, in quibus sensus cessant, nos conferamus, juxta illud: *Vade populus meus, intra cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. Esaiæ 26. v. 20.* & tandem lætam in nostris Cubilibus Resurrectionem speremus, desideremus, juxta illud *Pauli: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quòd Jesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. 1. Thess. 4. v. 13, 14,*

USUS III. CONSOL.

SI Mors est somnus, & ita à nobis considerandа, bono sint animo, qui Christiani, *partem habentes in primâ Resurrectione Apoc. 20. v. 6.* Si *somnus* hic mortis est ex peccato, atque conquerendum cum *Paulo: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ex *Rom. 7. v. 24.* novimus quòd quemadmodum somnus quidem horridus oppressit *Abrahamum*, sed salutaris tamen, qui cessit illi in Bonum *Gen. 15. v. 12, 17, 18.* ita quamvis etiam nostra mors sit ex peccato, tamen in Bonum nobis cessuram, in DEO, à quo quondam per peccatum divisi, fiamus proximi, juxta illud *Pauli: Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus. 1. Thess. 4. v. 17.* Si *somnus hic mortis* consistit in cessatione omnis vitæ & functionum, atq. conquerendum, cum *Jobi: Spiritus meus dissipabitur, dies mei breviabuntur, & mihi superest sepulchrum. cap. 17. v. 1.* novimus, quòd quemadmodum *David* securè recubuit, & dicere potuit: *Ego dormivi & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me. Psalm. 3. v. 6.* ita, quamvis cessent sensus nostri, nos recubare

tutos, juxta illud : *Custodivit Deus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. Psalm. 34. v. 21.* & Vocem cœlestem ita resonare : *Beati mortui à modò, qui moriuntur in Domino ; etiam dicit Spiritus, quòd requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequentur illos. Apoc. 14. v. 13.* Si denique *somnus hic mortis* duret per totam noctem, multa secuta, & conquerendum cum *Davide : Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis : & in pulverem mortis ponis me.* ex *Psalm. 22. v. 16.* novimus, sicut Jacob, postquam indormivit saxo Sole occumbente, vidit scalam, surrexit Sole oriente lætus & perrexit fiduciâ fretus, viribus robustus *Gen. 28. v. 11, & 18.* ita & nos aliquando, qui Petræ & lapidi in *Sion Christo* indormivimus, resurrecturos dicente DEO: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris ô populus meus, & inducam vos in terram Israël, & scietis, quia ego Dominus, cùm aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris populo meus. Ezechiel. 37. v. 12, & 13.* visuros DEUM, audituros Seraphim conclamantes, laudaturos ore nostro perenniter, juxta illud : *Tunc replebitur risu os nostrum, & lingua nostra exultatione : tunc dicent inter gentes : magnificavit Dominus facere cum eis. Psalm. 126. v. 2.* viribus instructos spiritualibus æternùm fore inclytos, secundum illud *Pauli : Ut stella differt à stella in claritate : sic & resurrectio mortuorum, seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute. seminatur corpus animale, surget corpus Spirituale, si est corpus animale, est & Spirituale. 1. Corinth. 15. v. 42, 43, 44.*

AMEN.

DOMI-

DOMINICA XXV. POST TRINITATIS, MATTH. XXIV. vs. 22.

Καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σὰρξ. ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι.

Et nisi decurtati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos decurtabuntur dies illi.



Ingulariter affectum quondam DEUS sese demonstravit erga Noachum & illius familiam, dum scil. per certum tempus illos continuit intra Arcam, conservavit cæteris pereuntibus in Mundo per diluvium, & tanquam Electum suum Semen habuit, de quo *Gen. 8. v. 1. & seq.* Singulariter affectum demonstravit se DEUS erga Noachum & familiam illius, dum certum tempus præfixit mansionis intra arcam, nec nimium illud extendit. Ingressus erat *Noachus* cum suis Arcam à se fabricatam, cæperunt ingruere dies calamitatis super Orbem, & tempus afflictionis cœlo irato deplente & intumescente fluctuum turri â, ne itaque tota terra aquis dilaceretur & Arcæ etiam vim patereturq, aut planè periret, curat *DEUS*, ut die septimo septimi mensis detumescerent aquæ, & arca requiesceret super montes *Ararat*, qui mensis septimus, fuit mensis *Tisri* respondens partim nostro *Septembri*, partim *Octobri*, in montanis vel *Caucasi*, vel *Caspiæ* montibus, cujus terræ aliàs fit quoque Mentio *Esaiæ 37. v.* 38. Singulariter se affectum demonstravit DEUS erga Noachum & familiam illius, dum scil. eundem conservavit. Destinatus erat improbus mundus Excidio; quapropter ne una Noachus cum suis illâ calamitate involveretur, aut consumeretur, cæpit illum DEUS pessimo seculo, conservat in Arcâ admirando modo cum suis & tandem lætum ex illa regredi facit, ut *Petrus* non invenustè dixerit: *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo etiam abiens, spiritibus in custodiâ prædicavit, qui olim non persuasibiles erant, cum semel expectabatur DEI longanimitas,*

mitas, in diebus Noæ, cùm apparabatur arca, in quâ paucæ, hoc est, octo animæ, servatæ sunt per aquam. 1. Epistola cap. 3. v. 20, 21. Singulariter se affectum demonstravit DEUS erga Noachum & illius familiam, dum illam elegit in Semen totius Ecclesiæ. Pericrat universa Caro, quæ viam suam corruperat, ne itaque totum humanum genus deficeret, elegit DEUS ex illo *Noachum* cum familia sua, atque voluit ut ipse esset cum suis Semen sanctum, semen Ecclesiæ, in qua adhuc vigeret cultus divinus & dein per *Semitas* promoveretur ad posteritatem, ad cujus *Semi* tabernacula vocandi *Japhitæ Gen. 9. v. 27.* Ut quondam DEUS singulariter se affectum esse demonstravit erga hanc familiam, ut etiam *Petrus* dicat: *Originali mundo non pepercit DEUS, sed Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens. 2. Epistola cap. 2. v. 5.* ita erga suos adhuc esse pronum Verba prælecta docent, de quibus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

SUppedicaverat *Christus* media pro instanti necessitate, exposuerat magnitudinem illius comparatè, nunc addit: *Et nisi decurtati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos decurtabuntur dies illi.* In quibus Verbis observandum I. quòd *Christus* dicat: nisi decurtati fuissent dies isti. In græco est κολοβῶν, quæ notat truncare, mutilare, præscindere. Per dies non intelliguntur dies illi, qui ex ordinario motu Solis existunt, quasi illi decurtandi & breviores futuri, vel tempore illo, vel circa finem Mundi, sed hoc vult, decurtandos esse dies ratione numeri, dies scil. appropinquantis βδελύγματος sive Exercitus *romani*, aquilas suas ostentantis & opponentis, de quo *Daniel. 9. v. 27.* dies obsidionis & coangustationis, qui per quinque menses durarunt, nempè à decimo quarto *Aprilis*, usque ad octavum *Septembris*, de quo *Christus: Dies venient in te, & circumdabunt te inimici tui, vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique. Lucæ 19. v. 43.* dies denique ultimæ calamitatis, expugnationis & Excisionis, quo immaniter grassati sunt victores inhostes devictos, ad extremam usque desolationem.

de

de quâ *Matth. 23. v. 38.* II. Observandum, quid *Christus* dicat eventurum in Casu non factæ decurtationis. Dicit autem, *non fieret salva omnis Caro;* utitur duplici ebraismo & indicare vult, nullum hominem scil. ex illorum numero salvandum, totam gentem Judæorum fore delendam, nullum ex illa superstitem fanum, bello, fame, peste, omnes consumendos, utut DEUS hunc populum quondam sibi asseruerit & *pharaoni* curarit dici: *Filius Primogenitus Israël; dimitte filium meum, ut serviat mihi, & si noluerit dimittere eum, ego interficiam filium tuum primogenitum.* ex *Exodi 4. v. 22, 23.* utut DEUS hunc populum mirabiliter eduxerit & conservavit in deserto per quadraginta annos, ut *David* dicat: *Expandit nubem in velum eorum; & ignem, ut luceret eis per noctem; petierunt, & venit coturnix, & pane cœli saturavit eos, dirupit petram, & fluxerunt aquæ; abierunt in ficco flumina. Psalm. 105. v. 39, 40. 41.* non DEUS hunc populum introduxerit in terram *Canaan* lacte & melle fluentem, atque per *Mosen* contestatus fuerit: *Vehi fecit eum super altitudines Terræ, ut comederet fructus agrorum, ut fugeret mel de petrâ, & oleum de saxo durissimo, butyrum de armento, & lac de ovibus, cum adipe agnorum & arietum, filiorum Basan & hircos, cum medulla tritici & sanguinem uvæ biberent meracissimum. Deut. 32. v. 13, 14.* III. Observandum quid *Christus* dicat futurum. Dicit autem: *sed propter electos breviabuntur dies isti.* Per electos intelligit omnes illos fideles ex *Judæis*, qui tum erant tempore illius Calamitatis, tum sequenti tempore crediturî, tum ex illis feris temporibus nascituri & convertendi ad DEUM verum Israelis; propter hos dicit, dies illos fore abbreviandos & notanter illos vocat electos, utpote ab æterno præscitos & electos κατὰ πρόγνωσιν, ut *Petrus* loquitur *1, Epistola cap. 1. v. 1, & 2.* dilectos in *Christo, mediatore DEI & hominum, qui seipsum tradidit 1. Timoth. 2. verf. 2, & 3.* segregatos à Mundo & per vivam fidem insertos veræ Ecclesiæ, quæ aliam faciem induit in N.T. rupto intergerino pariete, & ex duobus uno Corpore facto *Eph. 2. v. 14.*

L D.

Videmus in extremis Calamitatibus DEUM nihilominus pro insigni suâ Benevolentiâ stricturas mise-

ricordiæ immiscere. Hoc docent verba explicata, dum *Christus* dicit: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos decurtabuntur dies illi.* Pandit misericordiæ stricturas DEUS mediis in Calamitatibus I. dies breviando, dum scil. præscindit tempus, moram & diuturnitatem Mali, decurtat ille dies bellicos, & vel tandem dicit: *Omne bellum tumultuosum, & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem & cibus ignis.* ex *Esaiæ 9. v. 5.* decurtat ille dies obsidionales, & vel tandem dicit: *Erit sicut somnium visionis nocturnæ, multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, & omnes milites ejus, & munitiones ejus, & qui in angustias conjecérunt eam.* ex *Esaiæ 29. v. 7.* decurtat ille dies exitiales, & vel tandem dicit: *Exultabo in Jerusalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in eo ultrà vox fletus & vox clamoris,* ex *Esaiæ 65. v. 19.* Ut quondam præfecti & minuti sunt digiti *Adonibesek*, qui tot calamitosos fecit *Judic. 1. v. 6.* ita DEUS præscindere solet dies calamitatis, qui affligunt, ut agnoscendum illud: *Miserator & misericors Dominus: longanimis & multùm misericors, non in perpetuum irascetur, neque in æternum retinebit iram, non secundùm peccata nostra fecit nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. Psalm. 103. v. 8, 9, 10.* Pandit stricturas misericordiæ DEUS mediis in Calamitatibus II. Salutem destinando. Vult enim non ut omnes pereant, sed aliqui conserventur, eripiantur Malo, ut possint cum liberatis venire in Sion: *ut redemti a Domino revertantur, & veniant in Sion cum jubilatione; & lætitiam obtineant, & fugiet dolor & gemitus. Esaiæ 35. v. 10.* conserventur in deserto hujus seculi, ut possint cum Mariâ cantare: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes; suscepit Israël puerum suum, memorari misericordiæ suæ.* ex *Lucæ 1. v. 53, 54.* terræ suæ, imò æternæ Beatitudini asserantur, & possint cum eluctantibus illis adire Thronũ. & gloriam illam reportare: *Ut non esuriant amplius nec sitiant, nec cadat super illos sol, neque ullus æstus. Apoc. 7. v. 14, 15, 16, 17.* Ut quondam voluit *David*, non ut incolæ Urbis *Abelæ* perirent, sed servarentur noxio Capite tantùm tradito 2. *Sam. 20. v. 20, 21.* ita DEUS non velle solet mediis etiam in Calamitatibus omnium Interitum, sed mitioris voluntatis signa edit & prævalere illam vult justitiæ, ut agnoscendum illud:

Domi-

Dominus Dominus est Deus misericors, & clemens, longanimis & multæ miserationis; qui custodis misericordiam in millia, & aufers iniquitatem atque scelera ac peccata; Exod 34. v. 6, & 7. Pandit strictúras misericordiæ DEUS mediis in Calamitatibus III. Electos observando, attendit ille ad suos electos, quos ab æterno prævidit, *& elegit ab initio ad salutem in sanctificatione Spiritus, & in fide veritatis. 2. Thess. 2. v. 13.* attendit ille ad suos electos, quos in *Christo elegit & elegit ab æterno Ephes. 1. v. 4.* attendit ille ad suos electos, quos Ecclesiæ suæ per fidem inseruit, & quibus dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Joban. 15. v. 16.* Ut quondam *Gideon* respexit ad illos, qui præ aliis electi & apti ex *Israelitis*, atque illis victoriam destinavit *Judic. 7. v. 7. & seq.* ita DEUS mediis in Calamitatibus maximè respicit ad electos suos & intuitú illorum miseretur dieique abbreviat, ut agnoscendum illud *Petri: Novit pios Dominus de tentatione erigere, iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos. 2. Epistola cap. 2, v. 9.*

USUS I. DEHORT.

SI DEUS mediis in Calamitatibus ita pandit strictúras misericordiæ suæ, peccant graviter, qui DEO terminum figunt Auxilii & misericordiæ, atque dicunt: *Si transactis quinque diebus non venerit adjutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.* ex *Judith. 7. v. 24.* aliter intonat *Juditha* pia dicens: *Qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius, qui iram excitet, & furorem accendat. cap. 8. vers. 10, 11.* Peccant graviter, qui putant DEUM intendere Excidium etiam nostrum: & dicunt: *Patres comedêrunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuêrunt. Ezechiel. 18. v. 2.* aliter intonat ipse DEUS: *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur impius à viâ suâ & vivat. Ezech. 33. vers. 11.* Peccant graviter, qui profanè dicunt: *Vanum est servire DEO & quid emolumenti habuimus ex eâ re, quòd cultus ipsius exercemus, & quòd pullati incedimus coram Domino exercituum.* ex *Malachiæ 3. vers. 14.*

aliter intonat *Christus : Audite, quid judex iniquitatis dicit : DEUS non faceret vindictam electorum suorum clamantium ad se, die ac nocte, & patientiam habebit in illis. Luc. 18. v. 6, & 7.*

USUS II. ADHORT.

SI strictura misericordiæ ita se pandunt mediis in Calamitatibus, studeamus, ut DEUM oremus pro abbreviatione dierum, si illi quoque Calamitatibus fœcundi, & dicamus : *Ad te orabo Domine : mane exaudies vocem meam :* ex *Psalm. 5. vers. 4.* Studeamus, ut misericordiæ divinæ nos committamus totos, & dicamus : *Magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua : exaltare super cœlos DEUS, & super omnem terram gloriâ tuâ.* ex *Psalm. 57. vers. 11, & 12.* Studeamus denique, ut electorum nos accenseamus numero, & dicamus : *Ad matutinam custodiam, speret Israël in Domino : quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemtio.* ex *Psalm. 130. v. 7, & 8.*

USUS III. CONSOL.

SI strictura misericordiæ ita se pandunt mediis in Calamitatibus, bono sint animo, quotquot etiam in hoc Mundo pressuram patiuntur, & reservati sunt in finem seculorum *1. Corinth. 10. v. 11.* Si *dies calamitatis* videantur non breviandi, sed protrahendi. & conquerendum : *Usquequo Domine obliviscevis me in finem ? usquequò abscondis faciem tuam à me ? quamdiu ponam consilia in anima meâ, dolorem in corde meo per diem ? usquequò exaltabitur inimicus meus super me ?* ex *Psalm. 13. v. 2, & 3.* novimus DEUM habere *tempora in manu suâ Dan 2. v. 21.* non *pati nos tentari ultra posse 1. Corinth. 10. vers. 13.* sed facere in ipsâ horâ auxilii, ut decurretur Calamitas, juxta illud : *Momentum in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus, ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum jubilatio. Psalm. 30. v. 6.* Si imminere videatur *totale Excidium*, atque conquerendum : *Attende de cœlo, & vide de sancto habitaculo tuo : & solio gloriæ tuæ : ubi est zelus tuus, & fortitudo tua, multi-*

tudo

fundo viscerum tuorum & miserationum tuarum continuérunt se super me. ex *Esaiæ 63. v. 15.* novimus DEUM potius salutí destinare, & dicere: *Tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te: faciam enim consummationem: sed castigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius. Jeremiæ 30. v. 11.* comprobare illud: *Laudetur Dominus quotidie, onus quidem imponit nobis DEUS, DEUS est salus nostra Sela. DEUS noster, DEUS salvos faciendi, & Domini, Domini exitus mortis. Ps. 68. v. 20, 21,* experiri nos, quam verùm illud: *Misericordiæ Domini quia non sumus consumti: quia non defecérunt miserationes ejus, novæ diluculo, multa est fides tua. Thren. 3. vers. 22, 23.* Si denique electorum Numerus fiat exiguus, atque ingemiscendum: *Consumti sunt fideles à filiis Hominum.* ex *Psalm. 12. vers. 2.* novimus firmum esse fundamentum: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus. 1. Timoth. 2, v. 19.* manere tamen Semen electum, quod dicere possit: *Sumus instar turturioli, in quo pernoctant in cucumerariis hortis & ficus Urbs custodiæ* ex *Esaiæ 1. v, 9.* & tandem, ut tales fuerunt signati in *Hierobolyma*, atque præservati *Ezechielis 9. v. 4,* ita signari & præservari istiusmodi electos, ut possint dicere: *Sonent sanè & turbidæ fluant aquæ ejus, & montes tremant in summitate suâ Sela; rivuli fluminis lætificant civitatem DEI, sanctas habitationes Altissimi: DEUS in medio ejus, non commovebitur, adjuvabit eam DEUS ante auroram. Psalm. 46. v. 4, 5, 6.* AMEN.

DOMINICA XXVI. POST TRINITATIS, MATTH. XXV ℣. 35.

Ἐπείνασα γὰρ καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν· ἐδίψησα καὶ ἐποτίσατέ με· ξένος ἤμην, καὶ συνηγάγετέ με.

Esurivi enim, & dedistis mihi edere: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram & collegistis me.

Specimen quoddam insigne quondam liberalis animi exhibuit Abraham, Pater credentium, dum scil. adventantes viros convivio excepit, refecit, & intra quercetum suum recepit, de

exhibent, deprædicanda in die pantocritico juxta verba prælecta, de quibus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

SUaviſſimâ Compellationem in Proceſſu judiciali *Patris cœleſtis* expoſuerat *Chriſtus*, addit itaq; rationem & dicit, ſe dicturũ Regem ſc. cœleſtem: *Eſurivi enim & dediſtis mihi edere: ſitivi & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram & collegiſtis me.* Quæ verba non eò torquenda, quaſi *Chriſtus* hic aliquod meritum vel Cauſam Beatitudinis poſſidendæ alleget, cùm aliud doceat præcedens Compellatio, ipſa electorum ſubſequens locutio & totius Scripturæ conſtans Typus de Beatitudine per fidem conſequendâ, adeoque particula γὰρ non eſt hic cauſalis, ſed ratiocinativa, oſtendens non Cauſam Beatitudinis, ſed à ſigno beatos deloribens. Dicit autem *Chriſtus* ſe dicturum I. Eſurivi ſc. in membris meis, fidelibus in hiſce terris, qui quandoque etiam fame & caritate annonæ premuntur *Actor. 11. v. 28.* & dediſtis mihi, cor non occluſiſtis, ſed exhibuiſtis, fuiſtis miſericordes ad Exemplum Patris veſtri juxta monitum illud: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Luc. 6. v. 36.* dediſtis autem manducare, ſive quo veſcendum, φαγεῖν, quæ vox inprimis uſurpatur de exhibitione Panis ad edendum *Matth. 14. v. 16. & 20.* II. Dicit ſe dicturum: ſitivi ſcil. in meis membris, in fidelibus defatigatis hoc in Orbe, quibus quandoque etiam cum *Meſſiâ* conquerendum: *Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in pulverem mortis ponis me. Pſalm. 22. v. 16.* & vos, qui fuiſtis proni ad beneficiendum, obſervantes illud: *Deriventur fontes tui foràs in plateas rivuli aquarum. Proverb. 5. v. 16.* dediſtis mihi bibere, ἐπότισάτε με, quæ vox inprimis uſurpatur de potu aquæ, qui nobis cum brutis communis *Luc. 13. v. 15.* III. Dicit ſe dicturum, hoſpes eram. In membris meis peregrinantibus, & hinc inde ob Confeſſionem fidei oberrantibus, qui quandoque etiam in Exilio ab uno loco ad alium migrare coguntur, & ſe diſpergunt *Actor. 8. v. 1.* & collegiſtis me vos, qui cor habebatis patens, etiam januas domus voluiſtis patere, juxta monitum illud: *Hoſpitalitatem nolite obliviſci, per hanc enim quidam neſcientes,*

scientes, angelos hospitio exceperunt. Ebr. 13. v. 2. collegistis, recreastis me, συνηγάγετέ με adduxistis me, recepistis me in ædes vestras sub tectum vestrum, ut gallina solet sub *alas congregare pullos* suos, quæ vox inprimis ita usurpatur *Matth. 23. v. 37.*

L. D.

VIdemus, Quàm glorioſum futurum ſit Electis, ſi in hâc vitâ fuerunt fœcundi bonis operibus ſive Actibus miſericordiæ. Hoc docet *Chriſtus* teſtatus. *ſeſe commendaturum illâ in die extremo coram omnibus hominibus congregatis.* Glorioſa futura eſt Electis frequens Eſurientium Cibatio, oſtenſurus quippe Judex univerſæ Carnis illos habuiſſe benignum oculum & reſpexiſſe in membra *Chriſti* eſurientia, & cum *Samaritano* vidiſſe proximum, cum miſericordiâ erogaſſe, unde viveret *Luc. 10. v. 33, 37.* illos habuiſſe cor in miſeriam pronum, & cum *Jobo* veraciter dixiſſe: *Si negavi, quod deſiderabant, pauperibus, & oculos viduæ deficere feci, & comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex eâ, quia ab infantiâ crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ fovi eam. cap. 31. v. 16, 17, 18.* illos habuiſſe manum liberalem & erogaſſe panem petentibus, deſiderantibus, egentibus, & cum *Eliſa* diſtribuiſſe. *2. Reg. 4. verſ. 42, 43.* Ut quondam laudabiliter egit *David*, dum vidit *Ægyptium*, miſertus eſt illius, & exhibuit ei, unde reficeretur, de quo *1. Sam. 30. verſ. 11, 12.* ita laudabiliter agunt electi, ſi oculo benigno reſpiciant eſurientes, miſereantur & manum aperiant, neque hoc tantùm in hâc vitâ laude dignum, ſed & in pantocritico die deprædicabitur, atque dicetur: *Fructum adinventionum ſuarum comedet juſtus.* ex *Eſaiæ 3. v. 10.* Glorioſa futura eſt Electis frequens ſitientium Potatio. Deprædicabit enim oculum benignum, quòd reſpexerint illi ad membra ſitientia, fideles in his terris, qui defatigati & aquam hujus & alterius vitæ expetierunt & dixerunt ſæpius: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo; ſitivit in te anima mea, deſiderat ad te caro mea.* ex *Pſalm. 63. v. 2.* Deprædicabit cor pronum erga illos, qui miſericordiâ digni, ſitibundi in deſerto ſeculi, ut illi: *Qui dederunt David & populo, qui cum eo erat ad veſcen-*

vescendum. 2. Sam. 17. vers. 29. Deprædicabit manus liberales, quæ si non vinum, tamen potum aquæ ministrarunt ad Exemplum DEI, siticulosi, de quo *David: Emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt, potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt feræ in sitî suâ. Psalm. 104. v. 10, 11.* Ut quondam laudabiliter egerunt Principes in *Ephraim*, dum potarunt captivos, infirmos ex *Judâ*, attenderunt illorum sitim, misericordiâ moti sunt, & exhibuerunt ipsis refectionem, de quo 2. *Paral. 28. v. 15.* ita laudabiliter agunt electi, si oculo benigno respiciant sitientes, misereantur & manu exhibeant potum, neque hoc tantùm in hâc vitâ laude dignum, sed & in extremo die deprædicabitur secundùm illud *Christi: Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Matth. 10. v. 42.* Gloriola futura est Electis frequens peregrinorum Receptio. Demonstraturus quippe *Judex* universæ Carnis illos benigno oculo respexisse peregrinos illos, de quibus *Paulus: Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt ovillis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis & in cavernis Terræ. Ebr. 11. v. 37, 38.* misericordem animum habuisse erga illos, qui in Exilio atque divagantur, & cum Exule *Davide* conqueruntur: *Transire cuperem cum catervâ, & ambulare ad domum DEI in voce exultationis & confessionis, cum sono festivitatis. Psalm. 42. v. 5.* patras domus, manusque corporis habuisse apertas erga appropinquantes atque recepisse illos *Actor. 28. v. 1. & 2. 7.* Ut quondam laudabiliter egit *Raguel*, dum *Mosen* peregrinum, exulem & appropinquantem benignè respexit, miseratus illius, eum in domum & familiam suam recepit *Exodi 2. v. 20, 21.* Ita laudabiliter agunt *Electi*, si benigno oculo respiciant peregrinos, misereantur, recipiant, neque hoc tantùm in hâc vitâ laude dignum, sed & in pantocritico die deprædicabitur, atque dicetur: *Ecce tabernaculum DEI cum hominibus, & habitabit cum illis, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* ex *Apoc. 21. v. 3.*

USUS I. DEHORT.

SI tam glorioſum futurum electis, ſi in hâc vitâ fuerunt fœcundi operibus miſericordiæ, ignominia æterna manebit illos, qui cum *Epulone* vident *Lazarum* eſurientem, & nihilominus illi *denegant micas etiam de menſâ Luc. 16. v. 21.* manet enim fixum illud: *Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis: ecce ſervi mei lætabuntur, & vos confundimini, ecce ſervi mei jubilabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione Spiritus ululabitis. Eſaiæ 65. v. 13, 14.* ignominia æterna manebit illos, qui ſitientes non potarunt, viderunt languentem. nec miſerti ſunt & cum impiis negarunt refectionem, *qui intra muros ſuos oleum parare fecêrunt, & torcularia calcarunt, & ſitierunt. Job. 24. v. 11.* manet enim fixum illud damnati: *Pater Abraham miſerere mihi, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia cruciorin hâc flammâ. Luc. 16. v. 24.* ignominia æterna manebit illos, qui in ædes ſuas non receperunt exules, peregrinos & appropinquantes, ſed oculos ſuos & portas occluſerunt, imò excluſerunt & dixerunt: *Hi, qui orbem concitant, huc venêrunt, quos ſuſcepit Jaſon, & hi contra decreta Cæſaris faciunt, regem alium dicentes eſſe Jeſum. Actor. 17. v. 6. & 7.* manet enim fixum illud: *Judicium ſine miſericordia illi qui non fecerit miſericordiam. Jacob. 2. v. 13.*

USUS II. ADHORT.

SI tam glorioſum futurum electis, ſi in hâc vitâ fuerunt fœcundi operibus miſericordiæ, ſtudeamus, ut cum Tobiâ nos exhibeamus benignos, miſericordes & liberales in panem frangendo, de quo *Tobiæ 1. v. 19, 20.* memores, quòd paſcamur ita ipſum *Chriſtum*, qui nos cibat juxta illud: *Omnia à te exſpectant, ut des illis in tempore ſuo. Pſalm 104. v. 27, 28.* Studeamus, ut cum *Rebeccâ* nos exhibeamus benignos, miſericordes & liberales

les in potu præbendo *Gen. 24. v. 17, 18, 19.* memores, quòd potemus ipsum *Christum*, qui ipse dicit: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Johan. 4. v. 14.* Studeamus, ut cum *Jobo* nos exhibeamus benignos, misericordes & liberales in peregrinis recipiendis, & dicere possimus: *Foris non pernoctavit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* ex *Jobi 31. v. 32.* memores, quòd recipiamus ipsum *Christum*, qui benedicet ædibus nostris, *ut Salus nostræ domui fiat. Luc. 19. v. 9.*

USUS III. CONSOL.

Si tam glorioſum futurum electis, ſi in hâc vitâ fuerunt fœcundi operibus miſericordiæ, bono ſint animo, qui obſervarunt hactenus id, quod DEUS imperat: *Frange eſurienti panem, & afflictos vagosque induc in domum tuam, cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Eſaiæ 58. v. 7.* Etſi quandoque etiam nobis ſit parùm panis cum illâ Viduâ *Zarpathicâ*, de quâ *1. Reg. 17. v. 12.* novimus, ſi porrigamus panem proximo, quantum poſſumus, *Chriſtum* ſibi acceptum laturum, & ut *David* benefecit filio *Abimelechi*, quia panes propoſitionis eidem dedit eſurienti, de quo *1. Samuel. 22. v. 23.* ita non tantùm deprædicaturum opus illud in extremo die, ſed & ſuperabundanter compenſaturum, & completurum illud: *Vincenti dabo edere manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Apoc. 2. verſ. 17.* Etſi quandoque etiam nobis ſit parùm aquæ & potus ut *Hagari*, de quo *Gen. 21. v. 17.* novimus, ſi porrigamus potum proximo, quantum poſſumus, *Chriſtum* ſibi acceptum laturum, & ut *Eleaſar* benefecit *Rebeccæ* pro potu, exhibuitque Cimelia *Gen. 24. verſ. 22.* ita non tantùm deprædicaturum opus illud in extremo die, ſed & ſuperabundanter compenſaturum & completurum illud: *Ego ſum Alpha & Omega, initium & finis. ego ſitienti dabo de aquæ vivæ fonte, gratis, qui hæreditate conſequetur omnia, & ero illi DEUS, & erit mihi filius. Apoc. 21. verſ. 67.* Etſi quandoque nobis ſit exiguum tugurium cum *Lydiâ* purpurariâ *Actor. 16. verſ. 15.* novimus, ſi patefaciamus

ædes proximo, quantum possumus, *Christum* sibi acceptum laturum, & ut *Elisa* benefecit *Sunamitidi* pro receptione in domum 2. *Reg.* 4. *v.* 10, 32. *& seq.* ita non tantùm deprædicaturum opus illud in extremo die, sed & superabundanter compensaturum & completurum illud: *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo DEI mei, & foràs non egredietur amplius, & scribam super eum nomen DEI mei, & nomen civitatis DEI mei, novæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo in DEO meo, & nomen meum novum. Apoc.* 3. *v.* 12. AMEN.

IN FERIA

IN FERIA ANDREÆ, MATTH. IV. vers. 22.

Οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες τὸ πλοῖον, καὶ τὸν πατέρα αὐτῶν ἠκολούθησαν αὐτῷ.

Ait illi protinus relictâ navi & patre suo, secuti sunt eum.

INsigne Specimen exhibuit quondam Obsequii sui Elisa, vocatus enim ab Eliâ Magistro reliquit omnia & secutus est illum in officio, ita ut pariter quæsiverit & intenderit Salutem Israelis, ut constat ex *1. Reg. 19. v. 19, 20, 21.* Insigne Specimen Obsequii exhibuit Elisa, dum scil. attendit ad Excellentiam Eliæ, qui illum vocabat. Erat hic *Elias* Vir magnæ Authoritatis in *Israele*, Lux in tenebris, Propheta Domini, habitans ad tempus prope fluvium *Crith*; quapropter cùm tantus Vir ipsum vocat, observat vocantem atque eidem se submittit, agnoscens illum esse eum, qui doctrinâ & zelo igneus, de quo *Syrach: Surrexit Elias Propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. cap. 48. v. 1.* Insigne Specimen Obsequii exhibuit Elisa, dum attendit ad præsentia, eaque lubens reliquit. Erat ille non servus, sed locuples agricola, qui habuit duodecim juga boum & juxta se laborantes, quorum unusquisque jugum boum agebat, stimulabat & ad arandum urgebat, utut autem dives, nec absque opibus, tamen reliquit illa omnia, & quia festinabat ideoque etiam occidebat par boum, quia gestiebat illico sequi *Eliam*, ideoque usus fuit aratro pro lignis, ut convivium celebraret suis valedicens, nec tantùm collaborantibus, sed & parentibus valedixit respiciens ad illud: *Diliges Dominum tuum ex toto corde, & ex totâ animâ & ex totâ fortitudine*

tuâ. Deut. 6. v. 5. Insigne denique Specimen Obsequii exhibuit Elisa, dum secutus ita fuit Eliam, ut etiam illius tramiti insisteret. Erat tunc temporis status corruptus in populo DEI, *Israël* desciverat à verâ & sincerâ Religione & turbata omnia erant in Regno ex impii Regis & Reginæ Imperio, nihilominus *Elisa* vocantem Propheram insequitur, eidem obtemperat, Scholas post discessum ejus visitat, Verbum prædicat & passim convenit deviosque reducit, ut etiam *Syracides* de illo dicat: *Cùm Elias tempestate tectus in cœlum evectus esset, Spiritus ejus requievit super Eliæo copiosè; neque enim ille principem metuebat, neque quisquam eum superare poterat; & cùm jam mortuus esset, corpus ejus prophetabat: Vivens Elisæus miracula faciebat; & mortuus miraculum edidit. cap. 48. v. 13, 14, 15.* Ut quondam sese exhibuit *Eliæ Elisæus*, ita *Johannes* & *Jacobus Christo*, de quibus ex verbis prælectis τὸν Θεῶ.

EXEGESIS.

VOcaverat *Christus Johannem* & *Jacobum* filios *Zebedæi*, qui dicuntur *confestim reliquisse navem cum patre.* In quibus verbis *primò* observandum, ad cujus Verbum reliquerint. *Matthæus* dicit: *Continuò ad auditam vocem Christi reliquisse, illius*, qui tanquam Lux effulserat in finibus *Sebulon* & *Naphtali*, juxta vaticinium *Esaiæ c. 9. v. 1.* qui prædicare cœperat: *agite pœnitentiam, Regnum DEI propinquavit*, ut non tantùm hîc legitur sed *Marc. 1. v. 15.* qui denique ambulabat circa Mare *Galilææ*, Lacum *Genezareti*, ut dicitur *Luc. 5. v. 1. Secundò* observandum, Quid reliquerint. Dicuntur autem *reliquisse* τὸ πλοῖον, Navigium sive Navim cum retibus & ceteris instrumentis, in quâ hactenus fuerant, & ex quâ sibi alimenta quæsiverant & paraverant juxta ordinationem divinam *Psalm. 28. v. 2.* reliquisse patrem *Zebedæum* scil. cui hactenus adhæserant, qui Ubertatem duxerat, ex quâ hos filios genuerat, de quo *Matth. 20. v. 20.* reliquisse operarios, qui conducti erant, ut unâ laborarent, ipsos juvarent & in subsidium adhiberentur, ut constat ex *Marc. 1. v. 20.* *Tertiò* observandum, cujus Intuitu reliquerint omnia. Dixerat *Christus* autem: *Ego faciam vos piscatores hominum*, qui capturi non

non pisces, sed homines, nobilissimum animal & ad imaginem divinam præ cæteris primò conditum, juxta illud *Gen. 1. v. 27.* non reti ex arte contexto, sed Verbo, quod organon potentissimum *Rom. 1. v. 16.* non ad occisionem & interitum, sed ad salutem & beatitudinem æternam juxta intentionem DEI, *volentis omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2. v. 4.*

L. D.

Videmus, Quomodo legitimè sese parent ad Officium & Ministerium sacrum Vocati. Legitimè se parant ad Ministerium sacrum vocati considerando I. Vocantis Dignitatem. Vocat enim illos Lux Mundi, cui quondam *Pater* dixit: *parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & desolationes Israël convertendas, ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum Terræ. Esaiæ 49. v. 6.* vocat illos Propheta Magnus, de quo quondam *Moses: Prophetam de medio tui & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit Dominus Deus tuus, ipsum audies. Deut. 18. v. 15.* vocat illos Dominus orbis & Maris, de quo *David: Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi, qui habitant in eo; quia ipse super maria fundavit eum; & ad aquas præparavit eum. Psalm. 24. v. 1. & 2.* Si quondam surrexit *Jacobus* & vocante patre dixit: *Ecce adsum Gen. 27. v. 18.* multò magis surgendum, si DEUS vocet, & legitimè parabunt sese, qui considerant Majestatem & dignitatem Vocantis, quique ipse dicit: *Ecce hæc & Jerusalem Evangelistam dabo. Esaiæ 41. v. 27.* Legitimè se parant ad Ministerium sacrum vocati considerando II. Temporalium vilitatem, quod scil. Natalia, in quâ occupantur, sit vile lignum, cui confidant nautæ *Sap. 14. v. 1.* quod Pater & Mater tantùm sint authores vitæ corporalis, & generent post lapsum ad *Imaginem propriam Gen. 5. v. 3.* quòd socii sint tantùm socii laboris & lucri temporalis, de quo ipse *Christus* pronunciat: *Quid prodest Homini, si universum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ. Matth. 16. v. 26.* Si quondam filii *Jacobi* non arrendere debuerunt ad reculas suas, tanquam rem preciosam, sed

sed pro vili habere juxta mandatum *Josephi: Ne parcant oculi vestri supellectili vestræ, relinquite eam, quia omnes Opes Ægypti vestræ erunt. Gen. 45. v. 20* multò magis relinquenda temporalia si DEUS vocet & legitimè parabunt sese, qui considerant rerum temporalium vilitatem, atque observant illud *Christi: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Matth. 10. v. 37.* Legitimè se parant ad Ministerium sacrum vocati considerando III. Finis Salubritatem. Vocantur illi ut piscentur homines, in quibus Imago DEI per Regenerationem refulget, ut dicere possint: *Nos omnes revelatâ facie gloriam Domini tanquam in Speculo recipientes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domino Spiritu ex 2. Cor. 3. v. 18.* vocantur illi, ut piscentur homines Verbo potentissimo organo, de quo *Paulus: Vivus est sermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum Cordis. Ebr. 4. v. 12.* vocantur illi, ut piscentur homines ad æternam Beatitudinem, ut perducant ad illud flumen, quòd describitur *ut fluvius aquæ vivæ, Splendidus, tanquam Chrystallus procedens de sede Agni & DEI. Apoc. 22. v. 1.* Si quondam *Israelitæ* debuerunt progredi ad Mare rubrum, & suos filios, & filias perducere ad terram *Chanaan Exod. 14. v. 22.* multò magis respiciendum ad Salubritatem finis, si DEUS vocet & legitimè se parabunt, qui considerant Scopum & finem eximium, quòd scil. vocati sint, ut piscentur homines, atque compleant illud: *Nunc ego mitto te aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad DEUM: ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos, per fidem, quæ est in me. Actor. 26. v. 18.*

USUS I. DEHORT.

SI ita legitimè se parant ad Ministerium sacrum vocati, peccant graviter, qui non attendunt Majestatem vocantis, sed dicunt cum *pharisæis*: nos non *sumus illius Discipuli sed Mosis: nos scimus, quia Mosi locutus est DEUS, hunc autem nescimus, unde sit. Joban. 9. vers. 28, 29.* experientur illi illud:

illud: *Est qui accusat vos Moses, in quo vos speratis; si enim crederetis Mosi, crederetis & mihi, quia de me locutus est. Joan. 5. v. 45, 46.* Peccant graviter, qui non attendunt ad temporalium vilitatem, sed cum Juvene illo vocati *tristes discedunt Matth. 19. v. 22.* experientur illi illud: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & retrò respiciens aptus est Regno DEI. Lucæ 9. vers. 62.* Peccant graviter, qui non attendunt ad finem & Scopum Ministerii, ut piscentur homines, sed titulos inanes, atque etiam citra Verbum sibi male imaginantur, & dicunt: *Non peribit Lex à sacerdote, neque consilium à sapiente nec sermo in propheta.* ex *Jer. 18. v. 18.* experientur illi illud: *Mœrebunt omnes piscatores, & lugebunt omnes mittentes hamum in flumen, & expandentes rete super faciem aquarum infirmabuntur. Esaiæ 19. v. 8, & 9.*

USUS II. ADHORT.

Sic ita legitimè se parant ad Ministerium sacrum vocati, studeant omnes & singuli vocati, ut ad dignitatem Vocationis attendant, atque cum *Esaiâ* dicant vocanti: *Ecce ego, mitte me. Esaiæ 6. v. 8.* Studeant omnes & singuli vocati, ut navem & retia temporalium vilipendant, atque dicant cum *Paulo: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta: quia propter eminentissimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Christi Jesu Domini nostri, propter quem omnia pro damnis duxi, & arbitratus stercora, ut Christum lucrifaciam.* ex *Philip. 3. vers. 7, & 8.* Studeant omnes & singuli vocati, ut ad finem vocationis suæ attendant, atque dicant cum *Petro: Non desinam semper commonere de his, quæ saluti vestræ conducunt, & quidem scientes, & confirmatos vos in præsenti veritate; justum enim arbitror, quamdiu in hoc tabernaculo sum, suscitare vos in commonitione, certus, quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Jesus Christus significavit mihi; dabo autem Operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum omnium memoriam habeatis.* ex *2. Petr. 1. vers. 12, 13, 14, 15.*

USUS III. CONSOL.

SI ita legitimè se parant ad Ministerium sacrum vocati, bono sint animo, qui ita se parant, atque exhibent se ut Ministros DEI 2. *Cor. 6. v 4.* Si *Diabolus* illos avocare moliatur, ostendat Regna mundi, & pompam ductis in Montem *Matth. 4. v. 8.* norunt si attendant ad Christum Lucem Mundi Nebulas illas discussurum, Prophetam magnum Discipulos suos consolidaturum, & Dominum hunc defensurum adversus *Leviathanem*, tanquam illum *fortiorem, qui universa ejus arma abstulit, in quibus confidebat, & Spolia ejus distribuit. Luce 11. v. 22.* Si *Mundus* ostendat opes, atque moliatur tales affigere divitiis, & rerum temporalium studio velit, ut aurum & argentum nobis DEUS sit, ut filii seculi describuntur *Job 31. vers. 28.* norunt, si attendant ad vilitatem omnium temporalium navem patrem & socios eos relicturos esse, atque observaturos illud *Christi: Omnis, qui reliquerit Domos vel fratres, aut patrem, aut matrem, aut sororem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Matth. 19. v. 29.* Si denique propria *Caro* illos stimulet, ut piscentur ad Exitium proximi & voluptatem probrosam, & sequantur illos, *qui expandunt sagenam suam, & semper interficere gentes non cessant.* de quibus *Habacuk 1. v. 17.* norunt si attendant ad finem Vocationis, piscaturam salutarem, DEUM Carnem suffluminaturum, Spiritus copiâ subventurum & facturum, ut quamplurimos piscentur, qui cum ipsis experiantur illud *Pauli: Qui seminat in carne suâ, de carne & metet Corruptionem, qui autem seminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. Galat. 6. vers. 8.*

AMEN.

IN FE-

IN FERIA THOMÆ, JOH. XX. ℣. 28.

Ἀπεκρίθη ὁ Θωμᾶς, καὶ εἶπεν αὐτῷ, ὁ Κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου. *Respondit Thomas, & dixit ei: DOMINUS meus, & DEUS meus.*

ILlustris fuit Confessio fidei, quam quondam edidit populus Israelitanus, dicens: Dominus ipse DEUS, Dominus ipse est DEUS, de quo *1. Reg. 18. v. 39.* Illustris fuit hæc confessio fidei, respexit enim illum, qui hactenus sese exhibuerat populo suo potentissimum. Erat DEUS *Israelis* ille, qui quondam potenter eduxit eum è fornace ferreâ, servitute Ægyptiacâ, quæ alis aquilinis illum sustinuerat & portarat, qui denique noverat quid refractarius futurus, quapropter cùm ille sese luculento exhibet Specimine, agnoscit populus etiam talem, atque ad illum revertit considerans illud: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præsunt operibus; quia novi dolorem ejus descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terrâ illâ in terram bonam & spaciosam, terram, quæ fluit lacte & melle. Exod. 3. v. 7, & 8.* Illustris fuit hæc confessio fidei, propendebat enim in Majestatem DEI. Flammâ enim decidente exlitùs populus in faciem suam cecidit; DEUM verùm venerabundo Animo, & gestibus fuit prosecutus, atque dixit: *JEHOVAH ipse est Elohim, JEHOVAH ipse est Elohim*, DEUS ille, qui infinitæ Majestatis, potestatis & Dominii, & is ipse DEUS, qui venerandus quondam fuit propositus nostris Majoribus in *Mose: Audi Israel Dominus Deus noster Jehova unus est; diliges Dominũ tuum ex toto corde, & ex totâ animâ, & ex totâ fortitudine tuâ.* de quo *Deut. 6. v. 4. & 5.* Illustris denique fuit hæc Confessio fidei, respexit enim illum, qui *Israelitis* portio, den jenigen der Jacobs Schatz genennt worden/ assumpserat populus Nomen Jehovah non

fruſtra, ſed quia eſſentiale, & DEUM contra diſtinguit omnibus Deaſtris, quapropter, ut oſtenderet populus non ſe ulterius adhærere *Baali, Sidoniorum* Idolo, ſed vero DEO Numinique æterno, qui hactenus tot documentis probarit liberatorem ſe eſſe populi ſui, Informatorem & Gratioſum Dominum, apertè ingeminat nomen Jehovah, atque hoc vult indicare. quod *David: Erubeſcant & conturbentur in ſeculum ſeculi: & confundantur & pereant, & cognoſcant, quia nomen tibi Dominus, tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram. Pſalm. 83. v. 18, 19.* Non tam illuſtrem edidit Confeſſionem tum temporis populus *Iſraeliticus*, æquè illuſtrem depoſuit *Thomas* dicendo: *Domine DEI, DEUS mi*, de quo σὺ ὁ Θεός.

EXEGESIS.

INſignia ſunt planè Verba, quæ prodidit *Thomas* ad Conſpectum Salvatoris dicendo: *Domine mi & DEUS mi* voluit enim nihil aliud dicere, *quàm Tu es Dominus meus & DEUS meus.* Alloquitur *primò* his Verbis Chriſtum, quem jam ex corpore oſtenſo agnoverat è mortuis glorioſè reſurrexiſſe, atque compleviſſe illud, quod in viâ verſus *Jeruſalem* prædixit, de quo *Matth. 20. v. 19.* quem jam ex Introitu in cœtum & blandâ Salutatione agnoverat veniſſe, ut errabundam oviculam quæreret, ſui miſereretur, qui hactenus devius & incredulus, atque compleviſſe illud, quod poſt Cœnam ultimam prædixerat: *Non relinquam vos orphanos, veniâ ad vos. Joh. 14. v. 18.* quem jam ex Diſcurſu & admonitione, ut inferret digitum & videret manus perfoſſas, nec non ſuas immitteret in Latus, agnoverat Conſcium actorum & dictorum, quòd ille etiam, utut viſus fuerit abſens, tamen Verba incredulitatis audiverit & cognoverit, atque compleviſſe illud, quod prædixerat ultimò: *Percutiam paſtorem & diſpergentur oves gregis. Matth. 26. verſ. 31.* Alloquitur *ſecundò* his Verbis Chriſtum, i. a ut dicat illum eſſe *Dominum*, illum eſſe *DEUM*, quibus titulis exprimit divinam Majeſtatem, quæ illi competebat ſecundùm naturam, quam à Patre acceperat per Eſſentiam, ſecundùm illam quam à Matre acceperat per Unionis gratiam, illum DEUM & Dominum, qui à Patre acceperat per generationem æternam, æternum eſſe ſecundùm illud: *Tu es filius meus, ego hodie genuite. Pſalm. 2. v. 7.* illum

DEUS

DEUS & Dominum, qui etiam secundùm humanam Naturam DEI Filius, secundùm illud Angeli, *quod nascetur ex te sanctum, filius DEI vocabitur. Lucæ 1. v. 35.* illum DEUM & Dominum, cui omnia subjecta secundùm illud *Petri: Certissimè sciat domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit DEUS hunc Jesum, quem vos crucifixistis. Actor. 2. vers. 36.* Alloquitur *tertiò* his Verbis Christum, ut illum sibi appropriet & dicit: *Tu es Dominus meus & DEUS meus.* Meus hactenus fuisti Magister & Dominus, quem secutus fui ab initio meæ Vocationis, meus eris Dominus & DEUS, in æternum meus Dominus & DEUS, qui etiam me precioso sanguine redemisti, quod ex Verbis cænæ institutæ memoriâ recolo & colligo, de quo *Matth. 26. v. 28.* meus Dominus & DEUS, qui etiam me certum fecisti de Resurrectione tuâ, ut essem *testis* illius *Actor. 10. v. 40, 41.* meus Dominus & DEUS, qui etiam me traxisti Verbo tuo & compellatione gratiosâ ad TE tanquam ille, qui quondam dixit: *Ego si exaltatus fuero à terrâ, omnes trahan ad me. Joh. 12. v. 32,*

L. D.

VIdemus in quo consistat vera fides in Messiam verùm sive Christum. Hoc docet Thomas dicendo: Domine mi DEUS mi. Consistit I. vera fides in Christi agnitione, ut scil. agnoscamus ipsum esse omnipotentem, qui propriâ virtute resurrexerit, atque ita demonstrarit se esse *Filium DEI Rom. 1. v. 14.* ut scil. agnoscamus ipsum esse beniguissimum, atque nolle, ut ullus pereat, qui illud Pastoris munus expleat, dicentis: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* de quo *Lucæ 15. v. 4, 5, 6.* ut agnoscamus ipsum esse omniscium, qui sciat fragilitatem & defectus omnes nostros, *tanquam ille, cui nemo opus erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine.* de quo *Johannis cap. 2. v. 25.* Si quondam *Thecuitis* agnovit in Davide potentiam, qui posset agere & decernere, Benignitatem, quâ miseræ vellet gratiosè subvenire & Sapientiam, atque di-

xit: *Sicut angelus Domini, sic est Dominus meus Rex, ut audiat bonum & malum, unde & Dominus Deus tuus est tecum.* 2. *Sam.* 14. *v.* 17. multò magis nostri erit Officii agnoscere *Christum*, tanquam potentissimũ, benignissimum & perspicacissimum, qui proinde ita se exhibuit tanquam *qui Similis filio hominis, vestitus podere, & præcinctus ad mammillas zonâ aureâ: caput ejus & capilli sunt candidi. velut lana alba, & tanquam nix; & oculi ejus tanquam flamma ignis, & pedes ejus similes orichalco sicut in camino ardentes. Apoc.* 1. *v.* 13, 14, 15. II. Consistit vera fides in Majestatis divinæ veneratione, ut scil. veneremur *Messiam*, tanquam verum & æternum DEUM, *qui sit dominator in Israël, & cujus egressus ab initio à diebus æternitatis.* de quo *Micha cap.* 5. *v.* 1. ut scil. veneremur *Messiam*, tanquam divinâ Majestate coronatum etiam secundùm humanam Naturam, de quo *David: Ipse vocabit me, pater meus es tu; DEUS meus & petra salutis meæ: & ego primogenitum ponam eum, altissimum præ regibus Terræ, in æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi. Psalm.* 89. *v.* 27, 28, 29. ut veneremur *Messiam* secundùm utramque Naturam tanquam Dominum Orbis, de quo *Paulus: Deus suscitavit Jesum à mortuis, & constituit ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum, & potestatem & virtutem, & dominationem, super omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam futuro & omnia subjecit sub pedibus ejus, & dedit caput super omnia, ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & plenitudo illius, qui omnia in omnibus adimplet. Eph.* 1. *v.* 20, 21, 22, 23. Si quondam etiam peregrina Regina *Arabiæ* venerata fuit *Solomonem*, tanquam Majestate splendidissimum, atque dixit: *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super Thronum Israël, eò quòd dilexerit Dominus Israël in sempiternum, & constituit te regem, ut faceres judicium & justitiam.* 1. *Reg.* 10 *v.* 9. quantò magis nostri erit Officii venerari *Christum*, tanquam Majestate divinâ fulgidum, cui se etiam prosternunt Seniores 24. & dicunt: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creâsti omnia, & per voluntatem tuam sunt, & creata sunt.* ex *Apoc.* 4. *v.* 11. Consistit denique III. vera fides in Messiæ hujus appropriatione, ut scil. & nos credamus esse nostrum Messiam, Dominum & DEUM, qui

nos

nos redemerit sanguine suo, juxta illud *Petri: Non corruptibilibus auro vel argento redemti estis, de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine Christi quasi agni immaculati & incontaminati, 1. Epistolæ c. 1. v. 18, 19.* esse nostrum *Messiam*, Dominum & DEUM, qui nos certos fecerit de Resurrectione suâ, atque dixerit: *Vivus & fui mortuus, & sum vivens in secula seculorum & habeo claves mortis & inferni. Apoc. 1. v. 18.* esse etiam nostrum Messiam Dominum & DEUM, qui trahat adhuc dum Verbo suo, atque traxerit nos ad se in Exordio vitæ nostræ, & ipso opere contestatus sit illud: *Longè Dominus apparuit mihi, & in charitate perpetuâ dilexite, ideò attraxi te miserans. Jeremiæ 31. v. 3.* Si quondam *Abigail* tibi appropriavit *Davidem*, qui illam cum familiâ ab Excidio servarat, o-blenderat sese Principem esse Domini, qui superior futurus *Sauli*, atque tenerrimè illam dilexit & blandâ compellatione ad se traxit dixit: *Ecce famula tua sit in ancillam, quæ lavet pedes servorum Domini mei. 1. Sam. 25. v. 41.* quantò magis nostri erit Officii appropriare hunc *Messiam* Dominum & DEUM, qui nos redemit, resurrectionis certos fecit & attraxit, qui proinde ita se exhibuit tanquam eum, *qui in vestimento habet scriptum nomen, Rex Regum & Dominus Dominantium. Apoc. 19. v. 11, 12, 13, 14, 15, 16.*

USUS I. DEHORT.

SI fides vera consistit in hisce partibus, non erunt fideles, qui *Christum* non agnoscunt, ut Omnipotentem, Benignissimum & Omniscium, sed cum *Judæis* perversis dicunt: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israel est, descendat de cruce. Matth. 27. v. 42.* experientur illi illud: *Omnis, qui ceciderit supra illum lapidem, conquassabitur; supra quem autem ceciderit, comminuet illum. Luc. 20. v. 18.* Non erunt fideles, qui *Christum* non ut divinâ Majestate præditum venerantur, sed cum *Judæis* perversis dicunt: *Nonne benè dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes; nunquid tu major es Patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt; quid teipsum facis? Johan. 8. v. 48, & 53.* experientur illi illud *Pauli: Si quis non amat Dominum nostrum Jesum*

Christ-

Christum, sit Anathema, Maran atha, 1. Cor. 16. v. 22. Non erunt fideles, qui *Christum* sibi non appropriant, sed cum *Judæis* perversis dicunt: *Nos scimus, quia Mosi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit. Johan. 9. v. 29.* experientur illi illud: *Vobis qui tribulamini requiem nobiscum, in revelatione Domini Jesu de cœlo, cum Angelis virtutis ejus in flammâ ignis, dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. 2. Thess. 1. v. 7. & 8.*

USUS II. ADHORT.

SI fides vera consistit in hisce partibus, benè agunt, qui *Christum* agnoscunt ut Omnipotentem, Benignum & Omniscium atque dicunt: *Nosse te consumata justitia est, & scire justitiam & virtutem tuam est radix immortalitatis. Sap. 15. vers. 3.* Benè agunt, qui ipsum venerantur ut verum DEUM & Dominum, loquuntur cum *Thomâ* & agnoscunt illud: *Scimus quod filius DEI venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum & simus in vero & in filio ejus Jesu Christo, hic est verus Deus & vita æterna. 1. Johan. 5. v. 20.* denique *Christum Messiam* sibi fide appropriant, & cum *Paulo* dicunt: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus; quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii DEI, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Gal. 2. v. 20.*

USUS III. CONSOL.

SI fides vera consistit in hisce partibus, bono sint animo, qui veri fideles atque ædificati super hunc lapidem *1. Petr. 2. vers. 5.* Si ingruant *tentationes Mundi* atque solicitent nos, ut recedamus ab Ecclesiâ atque fiamus istiusmodi oves, *propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves Occisionis.* qualem describuntur *Psalm. 44. vers. 22.* novimus *Christum* nostrum esse Omnipotentem, Benignum & Omniscium illum Pastorem, qui dicit: *Quod perierat, requiram, & quod errans erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte est, custodiam, & pascam illos in judicio. Ezech.*

cio. *Ezech. 34. v. 16.* ut possimus dicere: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem. 2. Tim. 1. v. 12.* Si ingruant tentationes *Sathanæ*, atque ille velit videri DEUS *2. Corinth. 4. v. 4.* novimus *Christum* esse verum DEUM illum, qui describitur *ut Deus benedictus in secula. Rom. 9. v. 5.* ut possimus dicere: *In hoc apparuit filius DEI, ut dissolvat opera Diaboli. 1. Johan. 3. vers. 8.* Si denique tentationes *carnis* ingruant atque cruciquerendum: *Peccatum ut appareat peccatum, per bonum cooperatur est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Rom. 7. v. 13.* novimus *Christum* esse nostrum Christum, de quo *Paulus: Salvator omnium hominum maximè fidelium. 1. Tim. 4. vers. 10.* ut possimus dicere: *Scio ego, quòd redemtor meus vivit, & in novissimo die de terrâ resurrecturus sum: & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum; quem visurus sum mihi, & oculi mei conspecturi sunt, & non alienus.* ex *Jobi 19. v. 25, 26, 27.* AMEN, AMEN.

FERIA STEPHANI, MATTH. XXIII. vs. 37.

Ἱερουσαλὴμ, Ἱερουσαλὴμ, ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, καὶ λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτὴν, ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυναγαγεῖν τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ὄρνις τὰ νοσσία ἑαυτῆς ὑπὸ τὰς πτέρυγας, καὶ οὐκ ἠθελήσατε;

Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti?

INsigne Elogium tribuitur Spiritui sancto, dum dicitur illum in primordio rerum incubuisse aquis, de quo *Gen. 1. v. 2.* Insigne Elogium tribuitur Spiritui sancto. Erat hic Spiritus non Spiritus quidam creatus, qualis tanti operis non potuit esse Artifex, neque ignis elementaris aut ventus, qualis tum nondum erat, nec tandem

vis divina aut voluntas Domini, sed Spiritus increatus, *Spiritus misericordiarum à facie Jehovæ*, ut reddidit *Targum Jonathanis* & *Hierosolymitanum*, adeoque ille Spiritus, qui à Patre & Filio procedit, *Paracletus*, *qui mittitur à Patre*, *procedit à Patre.* juxta illud *Johan. 15. vers. 26.* Insigne Elogium tribuitur Spiritui sancto, quòd creaturis excludendis fuerit intentus. Erant adhuc creaturæ in mole illâ primigeniâ, nondum perductæ ad statum perfectionis, quem in universi ordine & ornatu habere debuerunt, quapropter Spiritus hic illi moli intendit, atque in sequentibus diebus Speciem post Speciem creaturarum excludit, ut ad hanc operationem respiciens *David* dicat: *Verbo Domini cæli facti sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. Psalm. 33. v. 6.* Insigne Elogiũ tribuitur Spiritui sancto, quòd se moti itarit super aquas. Erat hic Spiritus Spiritus vitæ, quapropter conformiter sibi etiam operabatur, atque ut *Meracbephet* docet, instar Avis vel Gallinæ incubabat subjectæ moli & aquis, omnia comprehendebat suo ambitu Omnipotenti & fovebat materiam tanquam ovis incubans, ut loquitur *Basilius* & ut *Claudius Victor* loquitur: *hic sacer extensis impendens Spiritus undis altrices animabat aquas ac semina rerum nondum compositis fundenda ad semina terris insinuanda dabat.* & hoc quidem conformiter verbo *Ebræo*, quod notat commotionem potentissimam, efficacissimam, atque illo in significatu occurrit etiam juxta primam conjugationem *Jeremiæ 23. vers. 9.* Quod quondam in Creatione rerum *Spiritus S.* Elogium obtinuit, idem habet *Salvator* noster in Recreatione & Restauratione spirituali, qui ipse dicit: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui liberos tuos congregare, ut gallina pullos suos sub alas suas, & noluisti?* de quâ similitudine eleganti *οὐ Θεῷ.*

EXEGESIS.

Dixerat *Christus* emphaticè: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti?* ut itaque eò magis de suo Affectu certiores redderet præsentes, similitudine eleganti illâ exponit congregationis voluntatem & addit, *quemadmodum Gallina congregat pullos sub alas*

las suas. In quibus verbis observandum 1. quòd Christus comparet sese gallinæ. In græco est vox ὄρνις, quæ in genere notat avem, speciatim autem hîc notat gallinam, quæ est avis serii & intensi affectus, adeoque vult ostendere, sese corde esse ardentissimo præditum, quod etiam declaravit *flens super Jerusalem*, cùm accederet illam *Luc. 19. v. 41.* quæ est avis oculi in suos intenti, adeoque ostendere vult, sese esse oculi satis perspicacis, qui intendat suis, quod etiam declaravit ingrediens Templum & expellens illos, qui domum suam profanaverant *Marc. 11. v. 15.* quæ est avis vocis glocitantis & convocantis, adeoque vult ostendere vocis sono amœnissimo se esse præditū, quod etiam declaravit *convocans*, & ad se invitans: *Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias, Matth. 22. v. 4.* Secundò observandū, quòd Christus Hierosolymitanos comparet pullis. In græco habetur vox νοσσιὰς, quæ notat pullos, *Lutherus* rectè reddidit Küchlin/ qui infirmi & teneri, ut omnia, quæ modò edita in Lucem, unde etiam DEUS differri voluit in hominibus recens natis Circumcisionem usque in diem octavum, de quo *Gen. 17. v. 12.* qui variis periculis & injuriis expositi, vulturum, milvorum, & avium rapacium, quales describuntur *Levit. 11. v. 13.* qui facilè errabundi & devii, unde *ave* dicitur *ad laqueum facilè appropinquare Proverb. 7. v. 23.* Tertiò observandum, quòd Christus suam Gratiam comparet alis, & dicat: *quoties volui te congregare, ut gallina pullos suos sub alas.* In græco legitur πτέρυγας, quæ notat extremitates avium, quibus solent se extendere super subjectos, unde de alis *Cherubim* dicitur, quòd extenderint alas suas *Exod. 25. v. 20.* quibus solent tegere & obumbrare subjectos, unde dicuntur alæ animantium illorum visionis obtexisse corpora *Ezech. 1. v. 23.* quibus solent fovere & calefacere subjectos, unde dicuntur alæ fovisse *Israëlitas Deuter. 32. v. 11.*

L. D.

VIdemus, Quantus sit Affectus Christi & fuerit in omnes, quàm sincerus integer & perfectus. Sincerus est Affectus *Christi* in omnes 1. ex Propensionis Sublimitate.

Ardet enim in nos corde sincero, atque dicit : *Nonne est Ephraim mihi filius charissimus ? nonne in hoc delitiæ meæ ? quia ex quo locutus sum de eo; adhuc recordabor ejus; idcirco conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserabor ejus: ait Dominus. Jer. 31. v. 20.* oculis suis nobis intendit atque dicit : *Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt universa ista, dicit Dominus: ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & timentem sermones meos. Esaiæ 66. v. 2.* voce suâ & glocitatione invitat & dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos : tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris. Matth. 11. v. 28, & 29.* sublimis fuit propensio Matris in *Sunem* in filium, quem in sinu suo habuit, de quo *2. Reg. 4. v. 20.* at longè sublimior est propensio *Galline cælestis*, quæ ita pronunciat : *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Jerusalem consolabimini. Esaiæ 66. 13.* Sincerus est Affectus *Christi* in omnes II. ex Pullorum Egestate, sunt quippe omnes homines pulli infirmi, quibus dicendum in ortu vitæ: *Sum quidem & ego mortalis homo similis omnibus & ex genere terreno natus, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum, caro decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somni conveniente : & ego natus accepi communem aëreni, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus edidi plorans, & in involumentis nutritus sum, & curis magnis: Sap. 7. v. 1, 2, 3, 4.* sunt omnes homines pulli variis periculis expositi, quibus dicendum in progressu vitæ: *Cùm venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, in omnibus affligebamur. 2. Corinth. 7. v. 5.* sunt omnes homines pulli facilè devii, quibus usque ad terminum vitæ dicendum: *In multis offendimus omnes.* ex *Jacobi 3. v. 2.* Profunda quondam fuit indigentia *Mephibosethi*, qui infirmus, periculis obnoxius & *pedibus non valens*, de quo *2. Sam. 4. v. 4.* at longè profundior Indigentia est humani generis, de quo *Solomon: Nescit homo tempus suum, sed sicut pisces capiuntur hamo malo, & aves laqueo comprehenduntur : sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo supervenerit. Eccles. 9. v. 12.* Sincerus est Affectus *Christi* in omnes III. ex Gratiæ Diffusione, extendit enim alas Misericordiæ

diæ suæ, atque dicit: *Ego, si exaltatus fuero à terrâ, omnes trahem ad me ipsum. Joh. 12. v. 32.* obumbrat alis Providentiæ suæ, atque dicit: *Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens & liberans, transiliens, & salvans. Esaiæ 31. v. 5.* fovet alis Calotis & Gratiæ suæ, atque dicit: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas est in pennis suis. Malachiæ 4. v. 2.* prolixa fuit Gratiæ diffusio, quam experta fuit à *Boazo, Ruth Moabitis*, juxta petitum *Ruth. 3. v. 9.* at longè diffusior Gratia *Christi* & alæ ejusdem, qui ita prominent, ut possint dicere: *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbrâ alarum tuarum sperabo, donec transeat infortunium. Psalm. 57. v. 2.*

USUS I. DEHORT.

Si tam sincerus est Affectus Christi in genus humanum, graviter peccant illi, qui putant *Christum* non seriâ in nos propensione ferri vel etiam cum *Jobo* dicunt tempore Calamitatis: *Mutatus es mihi in crudelem, & duâ manu tuâ ostendis te esse inimicum. Job. cap. 30. v. 21.* memores illi deberent esse illius: *Audite me domus Jacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo utero, qui gestamini à meâ vulvâ; usque ad senectam ego ipse, & usque ad canitiem ego portabo, ego faciam, ego portabo, & salvabo. Esaiæ 46. v. 3. & 4.* Peccant illi, qui putant se non esse infirmos, periculis expositos, devios, vel etiam cum *Ephraimo* dicunt: *Dives sum, paravi mihi opes, in omnibus laboribus meis non invenietur iniquitas, quæ peccatum sit. Oseæ 12. v. 8.* memores illi deberent esse illius: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt omnes, nemo est qui faciat bonum; non est usque quidem. Rom. 3. v. 12.* Peccant illi, qui putant Gratiæ alas esse contractas, vel etiam cum *Jeremia* dicunt: *Operuisti in furore, & persecutus es nos: occidisti nec pepercisti.* ex *Thren. 3. v. 43. 44.* memores illi deberent esse illius: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumti; quia non defecerunt miserationes ejus: novæ diluculo, multa est fides tua. Thren. 3. v. 22, & 23.*

USUS II. ADHORT.

SI tam sincerus est Affectus Christi in genus humanum, studeamus omnes & singuli, ut hanc sinceram propensionem piè deveneremur atque dicamus: *Diligit populos, omnes sancti in manu illius sunt, & ipsi appropinquunt pedibus ejus: accipient de doctrinâ illius. Deuter. 33. v. 3.* Studeamus, ut infirmitatem & indigentiam nostram humiliter agnoscamus, atque dicamus: *Scio Domine, quia non est hominis via ejus; nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos. Jeremiæ 10. v. 23.* Studeamus denique, ut omni tempore confugiamus sub alas Gratiæ & Misericordiæ divinæ, atque dicamus orantes: *Custodi me, ut pupillam oculi mei, sub umbrâ alarum tuarum protege me; à facie impiorum, qui afflixerunt me. Psalm. 17. v. 8. & 9.*

USUS III. CONSOL.

SI tam sincerus est Affectus Christi in genus humanum, bono sint animo, qui agnoscunt illud & dicunt: *Tua sunt Domine, qui amas animam. Sap. 11. v. 27.* Si videatur propensio illa langere atque conquerendum: *Attende de cœlo & vide de habitaculo sancto tuo, & solio gloriæ tuæ; ubi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum continuerunt se super nos. Esaiæ 64. v. 15.* novimus *Christum* esse Gallinam Matrem, esse illum, qui dicit: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum ut non misereatur filii uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui, ecce in manibus meis descripsi te. Esaiæ 49. v. 15, 16.* Si videatur pullorum infirmitatem & egestatem non attendere, atque conquerendum: *Expectatio Israël, Salvator noster in tempore tribulationis: quare quasi peregrinus es in terrâ, & quasi viator declinans ad pernoctandum? Jerem. 14. v. 8.* novimus *Christum* esse pullis egentibus destinatum, atque dicere: *Quod perierat requiram, & quod errans erat, reducam; & quod fractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte est cûstodiam, & pascam illos in judicio. Ezech. 34. v. 16.* Si denique videatur alas Gratiæ esse contractas atque conquerendum: *Usquequò Deus improperabit inimicus, blasphemabit adversarius*

vius nomen tuum in finem? Ut quid avertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo omnino? Psalm. 74. v. 10. & 11. novimus *Christum* esse Gallinam extendentem alas, obumbrantem & foventem, ut possimus dicere in hâc vitâ: *Qui habitat in latibulo Altissimi, in umbrâ Omnipotentis commorabitur. Dicet Domino: Spes mea es tu, & refugium meum, sperabo in eum. Psalm. 91. v. 1, 2.* atque in confinio æternitatis: *Deus, quàm preciosa est misericordia tua? filii hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt: inebriabuntur à pinguedine domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Psalm 36. v. 8, 9, 10.* AMEN.

FERIA JOHANNIS EVANGELISTÆ, JOH. XXI. ℣. 24.

Οὗτός ἐστιν ὁ μαθητὴς, ὁ μαρτυρῶν περὶ τούτων, καὶ γράψας ταῦτα, καὶ οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ.

Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de hu, & scripsit hæc: & scimus, quòd verum est testimonium ejus.

Miraculosè quondam Virga Aaronis posita coram Domino floruit & fructus tulit, de quo *Numer. 17. v. 8.* Hæc Virga fuit Virga eminens & præstantissima. Erant Virgæ duodecim, divisa scil. Tribu *Josephi* in *Ephraim* & *Manassem*, inscripta habebant nomina Principum & ex Amygdalo delumptæ, ut cum *Ebræis Cyrillus* docet, inter has autem præstantissima fuit illa, cui inscriptum erat Nomen *Aaronis*, tanquam primogeniti in Tribu *Levi*, eandem totam repræsentans, si ad cognationem *Caath* attendatur, ex quo descendit, cujus parentes *Amram* & *Jochabed* integræ famæ inter suos, frater verò *Mosis*, unde ita describitur *Exod. 6. v. 20.* Hæc Virga fuit Deo grata & dilecta præ cæteris. Erant omnes Virgæ positæ coram Testimonio sive coram Arcâ, in quâ tabulæ Legis, testimonium voluntatis divinæ, & ut volunt Doctores, in ipso Sancto Sanctorum col-

collocatæ, quanquam verò singulæ fuerint coram Domino, hæc tamen peculiariter fuit animata, vivificata & tanquam DEO acceptissima demonstrata, qui vocare solet ea, quæ non sunt, ut sint & ad Verbum suum facit omnia consistere, juxta illud: *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Psalm. 33. v. 9.* Hæc Virga denique fuit Virga floribus & fructibus fœcunda. Erant Virgæ cæteræ quidem etiam formæ cum hâc ejusdem, & referebant baculos pastorales vel Sceptra & Scipiones; verùm hæc fuit fructibus generosis abundans in medio cæterarum & primo protrudit germina, dein caliculos & baccas in flores erumpentes, & tandem fructum perfectum & maturum, nuces scil. amygdalorum, unde etiam tanquam insigne divinæ voluntatis testimoniũ & miraculosa Virga reponita fuit cum tabulis legis, urnâ aureâ *Mannâ* refertâ in Tabernaculum & Arcam, de quo *Ebr. 9. v. 3. & 4.* Si dilecti probè spectemus *Johannem* Evangelistam, cujus memoriam hodie recolimus, deprehendemus illum inter Apostolos quoque fuisse Virgam eminentem, DEO dilectam & fructibus fœcundam singulariter, quapropter occasione ultimorum Verborum hujus Evangelii paulò altiùs illa repetemus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

POstquam recẽsita esset Historia, quæ tunc tẽporis contigit conditur his Verbis: *Hic est ille Discipulus, qui testimoniũ perhibet de his, & scripsit hæc; & scimus, quòd verum est testimonium ejus.* Ubi observandum I. quis ille Discipulus ratione ortus, fuit autem *Johannes*, quod nomen notat gratiosum, quodque etiam Baptista, qui fuit *Zachariæ* & *Christi* præcursor, gessit secundùm Voluntatem divinam de quo *Luc. 1. v. 63.* cujus Pater *Zebedeus*, Vir honestus, qui piscando sibi quæsivit victum, Mater verò *Salome*, cujus mentio fit *Matth. 20. v. 20.* cujus frater, qui unâ cum ipso insudavit operi manuum, ut constat ex *Matth. 4. v. 21.* II. Observandum quis ille Discipulus ratione status, fuit autem ille vocatus ad Apostolatum & Ministerium, unde etiam inter illos recensetur, qui vocati *Matth. 10. v. 2*; fuit Oris & linguæ potentis, unde etiam dicti sunt ambo fratres *Johannes & Jacobus Benebargem Marc. 3. v. 17.* fuit denique duc-

dilectissimus *Christo*, unde etiam in ultimâ Cœnâ super pectus illius recubuit *Johan. 13. v. 25.* III. Observandum quis ille ratione donorum & Muneris, fuit autem instructus Spiritu S. cum cæteris Apostolis & largiter donis illius perfusus, ut constat ex *Actor. 4. v. 13.* fuit Doctor publicus, qui primùm inter *Judæos* Evangelium disseminavit, dein in *Asiâ* & inprimis, ut vult *Eusebius*, *Ephesi*, ubi antea *Paulus* maximo fuit expositus periculo, de quo *Actor. 19. v. 29, & 30.* fuit denique Scriptor divinus, qui reliquit nobis Evangelium scriptum planè aureum, tres Epistolas & sublimem Apocalypsin, quam ita finit: *Si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate sanctâ, & de his, quæ scripta sunt in libro isto. Apoc. 22. v. 19.*

L. D.

Videmus, Quomodo in hoc Discipulo Idea quædam nobis sistatur genuinorum Discipulorum Christi, Exhibetur enim Idea probi Ministri Ecclesiæ in illo I. in originis Honestate. Debet enim Minister Ecclesiæ esse *Johannes* gratiosus & amœnus, de quo dici possit: *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam: & cùm benè educatus essem, Veni ad corpus inconquinatum.* ex *Sapientiæ 8. v. 19, & 20.* debet esse honestis ortus parentibus, ita ut Pater quærat manu vel aliquo alio honesto medio sibi victum, Mater sit *instar vitis fructiferæ Psalm. 128. v. 2, & 3.* debet esse etiam quandoque honestæ familiæ, ita ut habeat honestos fratres, qui sicut Cedri, cingentes pontificem, *circa quem corona fratrum: & quasi plantatio cedri in monte Libano; sic circa illum steterant quasi rami palmæ, & omnes filii Aaron in gloriâ suâ. Syrach. 50. v. 14.* Quemadmodum illa *Arbor* censetur esse bona, quæ ex vivâ prodit radice & ad aquas plantata est, quales fuerunt illæ *Gen. 21. v. 33.* ita Ministri Ecclesiæ illi genuini censentur, qui honesto nomine, Parentibus & familiâ gaudent, atque sunt tales, quibus dici potest: *Benedictio sit tibi, mihi fili, quia optimi viri filius es. Tob. 7. v. 7.* Exhibetur in illo Idea probi Ministri Ecclesiæ II. in status Qualitate. Est enim enim Minister Ecclesiæ vocatus à DEO, memor Verborum *Pauli:*

Quomodo prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, annunciantium bona. Rom. 10. vers. 15, est etiam Minister Ecclesiæ potens Verbo & Ore, atque memor Verborum *Pauli: Firmiter tene cum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit & exhortari in sanâ doctrinâ, & eos, qui contradicunt, arguere. Tit. 1. v. 9.* est etiam Minister Ecclesiæ Christi ἐγκόλπιος, qui ex pectore illius fugit fluenta doctrinæ, memor Verborum *Pauli: Scite supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem DEI plenitudinem. Eph. 3. v. 19.* Quemadmodum illa *Arbor* censetur esse bona, quæ plantata à DEO accipit secura robora & ornatum, ut illæ *Solomonis Ecclesiastis 2. v. 5, & 6.* ita *Ministri* illi *Ecclesiæ* genuini censentur esse, qui à DEO plantantur, omnia ab illo accipiunt, & cum *Paulo* dicere possunt: *Gratiâ DEI sum id, quod sum, & gratia ejus, quæ est in me, vacua non fuit, sed abundantiùs illis laboravi.* ex *1. Corinth. 15. v. 10.* Exhibetur Idea probi Ministri in illo III. in Functionis Sedulitate. Debet enim quoque instructus Spiritu animosè dicere, atque profiteri: *Ego repletus sum fortitudine Spiritus Domini judicio & virtute, ut annunciem Jacob scelus suum, & Israël peccatum suum.* ex *Michæ 3. vers. 8.* debet quoque animatus eodem publicè dicere, atque ad illud attendere *Pauli: Prædica Verbum: instà opportunè, importunè; argue, increpa, exhortare in omni longanimitate & doctrinâ. 2. Timoth. 4. vers. 2.* debet quoque incitatus scribere & posteritatem informare, atque concludere: *Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Jesus, filius Syrach, Jerosolymita, qui renovavit Sapientiam de corde suo, beatus, qui in istis versatur bonis: qui ponit illa in corde suo, sapiens erit in corde suo, sapiens erit semper, si enim hæc fecerit, ad omnia valebit, quia Lux DEI vestigium ejus est.* ex *Syracidis 50. vers. 29, 30, 31.* Quemadmodum illa *Arbor* censetur esse bona, quæ protrudit gemmas folia & fructus, ut illæ, quas produxit in Apologo *Jotham Judic. 9. v. 9, 10, 11. &c.* ita *Ministri* illi *Ecclesiæ* censentur esse genuini, qui virtute ex alto acceptâ laborant, protrudunt flores Doctrinæ, folia & fructus, qui perennant & se exhibent tales, ut ipsis dici possit: *Omnis arbor bona fructus bonos facit;* ex *Matth. 7. v. 17.*

USUS

USUS I. DEHORT.

Si ita in Johanne exhibetur Idea probi Ministri, caveatur, ne ad Ministerium assumantur vilis & inhonestæ conditionis homines, quales elegit in rationem status *sui Jeroboam*, de quo *1. Reg. 12. v. 31.* quid enim dein sequitur præter Indignationem DEI, ut Propheta Domini, de *Juda* annunciare teneatur illud? *Ecce filius nascetur Domui David, Josias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in thura succendunt, & ossa hominum super te incendet. 1. Reg. 13. v. 2.* Caveatur, ne ad Ministerium assumantur, qui recumbunt super pectus seculi, Christo invisi sunt & *hostes crucis, quorum finis interitus, quorum DEUS venter est.* quales describuntur *Philip. 3. v. 18, 19.* quid dein sequitur præter Indignationem DEI in istiusmodi Ministros & populum, ut *Jeremias* annuncia-re teneatur illud? *Hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes: gladius & fames non erunt in terrâ hâc: in gladio & fame consumentur prophetæ illi; & populi qui-bus prophetant, erunt projecti in plateis Jerusalem præ fame & gladio, & non erit, qui sepeliat eos, & ipsi & uxores eorum, & effundam super eos malum suum. cap. 14. v. 15, & 16.* Caveatur, ne ad Ministerium assumantur desides & inertes homines, quales fuerunt tempore *Esaiæ: Speculatores cæci omnes, qui nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes jacent & amant somnum; & canes impudentissimi, nescierunt saturitatem; ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinarunt, unusquisque ad avaritiam suam. cap. 56. v. 10, 11.* quid enim dein sequitur præter Indignationem DEI? ut teneatur *Amosus* aliquis pingui *Amaziæ* annunciare illud: *Uxor tua in civitate constuprabitur, & filii tui, & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua dividetur, & tu in terrâ pollutâ morieris. cap. 7. v. 17.*

USUS II. ADHORT.

Si ita in Johanne exhibetur Idea probi Ministri, benè agunt, quotquot ad Exemplum illius recogitant etiam natalium

Honestatem, & norunt se esse ex radice aliâ, quam illi de quibus: *Multigena impiorum multitudo non erit utilis & adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. & si in ramis in tempore germinaverint; infirmitas posita à vento commovebuntur, & nimietate ventorum eradicabuntur, confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.* qui describuntur *Sap. 4. vers. 3, 4, 5.* Benè agunt, quotquot ad Exemplum illius probè attendunt & norunt status Qualitatem, atque profiteri possunt se esse vocatos & dilectos à *Christo* longè alterius conditionis, quàm illi, *qui voluptatè existimant diei deliciasi, coinquinationes & maculæ, luxuriosè viventes in deceptionibus suis lautè, oculos habètes plenos adulterii; & incessabilis delicti: pellicientes animos instabiles, cor exercitatum in avaritiâ habentes, maledictionis filios derelinquentes viam rectam, erravêrunt secuti viam Balaam filii Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit.* qui describuntur *2. Petr. 2. v. 13, 14, 15.* Benè agunt, quotquot ad Exemplum illius recogitant functionis Sedulitatem, & norunt se esse in Officio suo industrios, atque indefessos, diversissimos ab illis, quos pingit *Syracides: In lapide de luteo lapidatus est piger, & loquentes aspernationem illius; de sterco boum lapidatus est piger, & omnis, qui tetigerit eum, excutiet manum. cap. 22. v. 1, & 2.*

USUS III. CONSOL.

Si ita in Johanne exhibetur Idea probi Ministri, bono sint animo, qui ad illam se componunt & sibi proponunt tanquam Typum, ut *Paulus* sese exhibuit *Philippenfibus cap. 3. v. 12.* Si etiam Ministris Controversia moveatur de minus splendidâ origine, & ex laicis laici æstimentur, ut quidem illi contigit *Actor 4 v. 13.* norunt modò sint honestæ originis, hoc ipsis sufficere, juxta illud *Pauli: Non multi sapientes secundùm carnem: non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit DEUS, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit DEUS. & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt obliteraret, ut non glorietur Omnis caro in Conspectu ejus. 1. Cor. 1. v. 26, 27, 28.* Si etiam Ministris Controversia moveatur de stu-

tuum

tu num veri Messiæ Discipuli, prædicatio & operatio illorum laudabilis, ut quidem illi contigit, de quo *Actor. 4. v. 1, & 2.* norunt, modo recumbant super pectus *Christi*, hoc ipsis sufficere, atque dicere posse cum illo: *Charissimi, si cor nostrum non condemnaverit nos, fiduciam habemus ad DEUM, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo faciamus, & hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus Jesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.* ex *1. Joh. Epistola cap. 3. v. 21, 22, 23.* Si denique etiam Ministris Controversia moveatur, de Officio & digni censeantur non assumptione, sed Relegatione ut quidem contigit *Johanni*, qui in *pathmum* fuit missus, ut ipse dicat se fuisse *in hac Insula*, de quo *Apoc. 1. v. 9.* norunt modò sint in illo indefessi, reportaturos coronam, atque experturos illud, quod ipse *Johannes* dicit & Filius DEI promittit: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo DEI mei; & foràs non egredietur amplius, & scribam super eum nomen DEI mei, & nomen civitatis DEI mei, novæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo à DEO meo, & nomen meum novum. Apoc 3. v. 12.* AMEN.

FERIA PURIFICATIONIS MARIÆ, LUC. II. *vl.* 29.

νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σε δέσποτα κατὰ τὸ ῥῆμά σου ἐν εἰρήνῃ.

Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace:

FElix quondam fuit Clausula, quæ intercessit Elisæ cum Naaman; cùm enim hic Abitum pararet, dixit illi Elisa: Vade in pace, ut constat ex *2. Reg. 5. v. 19.* Felix fuit hic discessus, dimisit enim præsentem Elisa. Erat hic *Elisa* Vir magni nominis, qui potens in populo & auctoritate pollens, illuminatus desuper & gaudens Luce divina, quique Salutem quæsivit sui populi ac promovere studuit, imò qui erga præsentem se exhibuit beneficum, atque

eundem liberavit à profundo Malo, hic itaque dimittit, hic loquitur cum illo, hic eundem serenat in Conscientia, unde etiam *Syracida* de ipso loquitur, tanquam Viro divino, potenti verbo & opere dicens: *Cùm Elias tempestate tectus in cœlum evectus esset, Spiritus ejus requievit super Elisæo copiosè, neque enim ille principem metuebat, neque quisquam eum superare poterat; & cùm jam mortuus esset, corpus ejus prophetabat. Vivens Elisæus miracula faciebat, & mortuus miracula edidit. cap. 48. v. 13, 14, 15.* Felix fuit hic Discessus, factus enim fuit in Pace. Erat hactenus *Naaman* homo miser, qui Corpus ægrum circumferebat, Leprâ laborabat & carne unâ atque altera parte exesus erat, quanquam autem ita accesserit *Elisam*, nihilominus aliter longè discedit, sanus quippe dimittitur Corpore & animo, ut Caro illius fuerit instar pueri vernans, Animus veri DEI notitiâ imbutus, cui verè *Elisa* dicere potuit Patriam anhelanti: *Vade in pace*, ut quondam *Jethro Mosi* discedenti *Exodi 4. v. 18.* Felix denique fuit hic Discessus, dimisit enim Elisa Naamanum servum. Erat *Naaman* Vir illustris & Consiliarius Regis, clarus ex Expeditionibus & proinde Regi quoque suo gratus & acceptus, verum nihilominus sese humiliat coram *Elisâ*, vocatque se servum illius, nec tantùm illi se submittit, sed vel maxime verò DEO *Israelis*, dum fide charitate & Spe eidem adhæret, terramque impetratam ex *Israelitico* solo in *Syriam* secum adducit & *Aram* ex illâ DEO vero erigit, & in illus Cultu reliquum vitæ transigere sibi constanter proponit, nec ulterius quicquam *Rimmoni* deferre vult, qui vel *Venus*, ut quidam volunt, vel *Saturnus*, ut alii probabilius judicant, in rei veritate verò Diabolus & Idolum vanitatis, de quo *David: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, oculos habent & non videbunt; aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabuntur; manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo. Psalm. 115. v. 4, 5, 6, 7.* Ut quondam dimissus fuit ab *Elisa Naamanus Syrus*, ita desiderat se à Superiore dimitti *Simeon* dicens: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.* de quo *νῦν Θεῷ*.

EXE-

EXEGESIS.

CYgnæum hoc Carmen insigne est, quia breve Verbis, profundum sensu. Ita enim incipit grandævus senex: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace secundùm Verbum tuum.* In quibus Verbis observandum I. Quis dimittens. Dicit autem *Simeon: nunc dimittis Domine*, & per hunc Dominum intelligit verum & æternum DEUM. In græco est vox Δεσπότης, quæ usurpatur de *Domino potenti*, & proinde *timendo 1. Petr. 2 v. 10.* quæ usurpatur de *Domino prudenti*, & proinde tali, cujus sapientæ regimini sese servi comitate debent *Tit. 2. v. 9.* quæ denique usurpatur, de *Domino benigno*, & proinde honore quoque debito prosequendo *1. Timoth. 6. v. 1, & 2.* II. Observandum Quid dimissiò. Intelligitur autem per hanc Dimissionem, dimissio per beatam Analysin Animæ & Corporis, unde additur *in pace*, in Serenitate Conscientiæ ad æternam pacem & tranquillitatem juxta Verbum promissionis nunc post Complementum hujus Verbi, visum *Messiam* & prehensum brachiis. In græco occurrit vox ἀπολύεις, quæ usurpatur, de *incarcerato Barrabâ* dimisso, de quo *Matth. 27. v. 21.* quæ usurpatur de *populo post Satiationem* ex deserto dimisso, de quo *Marc. 8. vers. 9.* quæ denique usurpatur, de *hydropico sanato dimisso Luc. 14. vers. 4.* III. Observandum quis dimissus. Dicit autem *nunc dimittis Domine servum tuum.* In græco est vox δοῦλον, quæ usurpatur de *servo bene animato in herum*, quales illi qui crediderunt *Joban. 4. v. 51.* quæ usurpatur de *servo humili* coram Hero, atque ita legitur *Marc. 10. v. 44.* quæ denique usurpatur de *Servo obsequioso & prompto* ad Ingenium & Imperium Heri, quales illi, quos commendat *Centurio Matth. 8. v. 9.* adeoque summatim hoc vult dicere grandævus *Simeon*, nunc completis Annis vitæ meæ in Senio post visum *Christum*, & completum Verbum promissionis Tu ô Domine DEUS meus, dimittis me ex hâc vitâ in alteram beatam, tuum servum scil., qui hactenus tibi servîit publicè & privatim, charismata sua probè collocando & ad publicum Usum adhibendo, ut quidem *Paulus* loquitur *1. Corinth. 12. v. 7.*

L. D.

L. D.

Videmus, Quid sentiendum sit de morte piorum Christianorum, nempe non esse mortem, sed felicem Analysin & Transitum ex hâc vitâ in æternam & beatitudinem consummatam. Felix Transitus est mors piorum secundùm explicata I. ex Dimittentis Auctoritate. Dimittit enim illos DEUS, Dominus dominantium & Rex Regum. Dimittit illos Dominus potentissimus, qui potestatem habet dimittendi in manu suâ, de quo *Moses: Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit. Psalm. 90. v. 4.* Dimittit illos Dominus sapientissimus, qui optimè novit, quando illis migrandum, quando sint dimittendi, de quo *Jobus: Cessa paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat sicut mercenarii dies ejus. cap. 14. v. 6.* Dimittit illos Dominus benignissimus, qui gratiosè illos subducit malis imminentibus, de quo *Esaias: Justus perit, & non est, qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colliguntur, & non est, qui intelligat, à facie enim mali collectus est justus: veniet pax, requiescet in cubili suo, in directione suâ ambulans recte. cap. 57. v. 1. & 2.* Quemadmodum ipse DEUS singulariter ex ærumnoso statu hujus vitæ ad votum dimisit *Eliam*, Currum mittens & Angelos deducentes 2. *Reg. 2. v. 11.* Ita ipse DEUS Dominus potentissimus, sapientissimus & benignissimus suos dimittit pios, atque mandat Angelis, ut animam confestim *portent in sinum Abrahæ Luc. 16. v. 22.* Felix Transitus est mors piorum secundùm explicata II. ex Dimissionis Salubritate. Dimittuntur enim ex ergastulo corporis, ægri ad libertatem adspirant juxta votum illud: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore hujus mortis. Rom. 7. v. 24.* dimittuntur ex deserto hujus seculi & attingunt Patriam æternam juxta votum illud: *Non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus. Ebr. 13. v. 14.* dimittuntur ex lectulo ægritudinis & assequuntur Sanitatem confirmatam juxta votum illud: *Liberabit me Dominus ab omni malo, & salvum faciet in regnum suum cœleste, cui gloria in secula seculorum Amen. 2. Timoth. 4. v. 18.* Quemadmodum *Pharao* dimisit è carcere, squa-

qualore & depreſſione *Joſephum*, atque eundem exaltavit, Aulæ admovit & honorificè habuit *Gen. 41. v. 14. 40. 41. & ſeq.* ita dimittit DEUS pios ex ærumnoſo hujus ſtatu vitæ ad libertatem & felicitatem æternam, ut *Johannes* dicat: *Beati mortui, qui moriuntur in Domino à modò; etiam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos. Apoc. 14. v. 13.* Felix Tranſitus eſt Mors piorum ſecundùm explicata III. ex dimiſſi Qualitate. dimittit enim DEUS ſervos credentes, qui hactenus fiduciam ſuam poſuerunt in ipſum, tanquam Dominum potentiſſimum, atque dixerunt: *Dominus eſt illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Pſalm. 27. v. 1. & 2.* dimittit DEUS ſervos humiles, qui humiliarunt ſe hactenus coram Domino illo dominantium ſapientiſſimo, atque ex profunditate animi dixerunt: *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo DEO noſtro in ſecula ſeculorum. Apoc. 7. v. 12.* dimittit ſervos obſequioſos, qui hactenus præſtiterunt obſequia ſua ipſi, tanquam Domino benigniſſimo, atque dixerunt: *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis: in mandatis tuis exercebor, & reſpiciam vias tuas in juſtificationibus tuis meditabor: non oblivîſcar ſermones tuos: benefac ſervo tuo, ut vivere queam: & cuſtodiam ſermones tuos. Pſalm. 119. verſ. 14, 15, 16, 17.* Quemadmodum DEUS ipſe quondam dimiſit ſervum ſuum *Moſen*, qui illi ſervierat in ſinceritate animi, atque dixit illi: *Aſcende cacumen montis hujus, & oculos tuos circumfer ad occidentem, & ad Aquilonem, Auſtrumque & Orientem, & aſpice, nec enim tranſibis Jordanem iſtum; præcipe Joſuæ & corrobora iſtum, atque conforta: quia ipſe præcedet populum iſtum, & dividet eis terram, quam viſurus es. Deut. 3. v. 27, 28.* ita dimittit DEUS ſervos ſuos, qui ipſi fideles, coram illo humiles & obſequioſi fuerunt atque complet illud: *Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis; ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis: ecce ſervi mei lætabuntur, & vos confundemini, ecce ſervi mei jubilabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis: præ dolore cordis, & præ contritione Spiritus ululabitis. Eaiæ 65. v. 13, 14.*

USUS I. DEHORT.

SI piorum mors est transitus in Beatitudinem æternam, infelices erunt illi, quos Dominus non dimittit, sed qui sibimet ipsis vim inferunt, & injussu Domini supremi excedunt, ut *Abitophel*, de quo 2. *Sam.* 7. *v.* 23. non enim redeunt ad DEUM Dominum, sed ad iratum & justum Judicem, qui *dabit unicuique secundum opera, tribulationem & angustiam in omnem animam hominis operantis malum. Rom.* 2. *v.* 6. & 9. infelices erunt illi, qui non dimittuntur in libertatem, patriam & sanitatem, sed in Infernum ut *Epulo* ille *Luc.* 16. *v.* 24. non enim illi dimittuntur, sed detruduntur cum in *locum, ubi vermis eorum non morietur Esaiæ* 66. *v.* 24. infelices erunt illi, quos Dominus non dimittit servos, sed abigit tanquam obstreperos & infideles, ut *Sebnam*, de quo *Esaias: Ecce Dominus hinc mittet jactabit te, sicut jactat vir fortis & operiendo operiet te. Esaiæ* 22. *v.* 17. non enim illi ut servi fideles laudabuntur, sed culpabuntur ut negligentes *talentum Matth.* 25. *v.* 26.

USUS II. ADHORT.

SI piorum mors est transitus in Beatitudinem æternam, studeamus, ut in hâc vitâ agnoscamus potentiam, scientiam & benignitatem Domini nostri, atque dicamus: *Tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ: in te projectus sum ex utero. Psalm.* 22. *v.* 10, 11. Studeamus, ut ad beatam dimissionem anhelemus atque appropinquante fine vitæ nostræ dicamus: *Domine, secundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi Spiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quàm vivere. Tob.* 3. *v.* 6. Studeamus, ut in hac vitâ fideliter, humiliter & obsequiosè serviamus atque observemus illud: *Servite Domino in timore & exultate ei in tremore. Psalm.* 2. *v.* 11.

USUS III. CONSOL.

SI piorum mors est transitus in Beatitudinem æternam, bono sint animo, quotquot beatè finiunt & cum *Paulo* dicunt:

Di-

Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo. Philip. 1. v. 23. Si videatur Dominus noster nobis non esse benignus & conquerendum: *Mutatus es mihi in crudelem, & durâ manu ostendis te mihi esse inimicum meum. Job. 30. v. 21.* novimus sub nube tantùm latere Gratiam hujus Domini, atque, utut malis afficiamur, tamen eidem posse nos animas tanquam *fideli conditori* commendare atque dicere: *Credo videre bona Domini in terrâ viventium. Ps. 27. v. 13.* Si videatur *Carcer Corporis* molestus, Mundique desertum & varia ægritudo nos circumscribat & conquerendum: *Heu mihi, quòd peregrinus sim cum Mesech, & habitem cum tabernaculis Cedar; multum animæ meæ habitare cum his qui oderunt pacem. Psalm. 120. v. 5, 6.* novimus dimissionem nostram esse in libertatem, patriam & sanitatem consummatam atque nos posse dicere: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus tabernaculi dissolvatur, quòd ædificationem ex DEO habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2. Cor. 5. v. 1.* nec non: *Absterget Deus omnes lachrymas ab eorum oculis; & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor ultra erit, quia prima abierunt. Apoc. 21. v. 4.* Si denique videatur *Servitus* nostra esse contempta coram DEO & Domino in Mundo, atque conquerendum: *Puto quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos; quia spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus; tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* ex *1. Cor. 4. v. 9. & 13.* novimus nos fuisse servos magni Domini, qui sese fideles & obsequiosos exhibuerunt, atque posse certos esse de promissione illâ: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in Throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in Throno ejus, Apoc. 3. v. 21.* certos esse illius: *Euge serve bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. vers. 21.*

AMEN.

IN FERIA MATTHIÆ, MATTH. XI. ℣. 29.

Ἄρατε τὸν ζυγόν μου ἐφ' ὑμᾶς, καὶ μάθετε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι πραΰς εἰμι, καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν.

Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quòd mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.

EXimiè quondam resplenduit Eleasar tempore Maccabæorum, dum scil. pressis suis contribulibus & Israelitis illustre Documentum & Exemplum dedit, ut ex ipso discerent exprimere illa, quæ præmisit, de quo 2. *Maccab. 6. v. 28.* Eximiè resplenduit Exemplo hic Eleasar, præluxit enim Judæis, illis scil. qui ejusdem cum ipso originis, stemmatis & sanguinis. Erant tunc *Judæi* ob peccata pressi, valde desiderabant liberationem & quietem, inducias à Tyrannide *Antiochi*, qui *Jovis Olympii* & *Xenii* idolum introduxerat in terram sanctam & vitiorum semina passim spargere jusserat, quapropter his pressis *Eleazarus* prælucet, atque ostendit, quàm verum illud *Jeremiæ: Bonum est præstolari cum silentio salutare DEI. Thren. 3. v. 26.* Eximiè resplenduit hic Eleasar Exemplo, præluxit enim divino & salutari modo. Non patiebatur ille, tanquam maleficus, sed sanctum sese exhibuerat, ostendebat verbis ex ore sinceribus sese regi Spiritu sancto, non dicere aliena à Salute, sed quæ conducunt ad Constantiam fidei, ad Exercitium patientiæ, ad *finem fidei*, qui est *vita & salus æterna*, ut *Petrus* loquitur *1. Epist. 1. v. 9.* Eximiè resplenduit hic Eleasar Exemplo, præluxit enim tanquam Vir gravis. Erat ille *Eleazarus* unus de primoribus Scribarum, de præcipuis viris, qui in lege divinâ egregiè fuit versatus & quidem ita, ut aliis *Israelitis* docendo præesset. Vir ætate provectus, vultu decorus, qui hactenus cum suis multa quoque sustinuit ab *Antiocho* Rege impientissimo, quapropter, cum etiam esset illi moriendum

dam Exemplum forte & illustre reliquit adolescentibus *Israelitis*, ut illud insequerentur atque respicerent juxta monitum *Syracidis: Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. cap. 2. v. 10.* Ut quondam *Eleasar* illustre Exemplum dedit Juventuti, ita *Christus* omnibus & singulis Christianis, dicens: *Discite à me, quòd mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* de quo nunc dicam.

EXEGESIS.

UT Verba antecedentia hujus versiculi fuerunt solatio fœcunda, ita hic ipse versiculus dives monitorum. Non tantùm enim Salvator noster dicit: *Tollite jugum meum, sed & discite à me, quòd mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Ubi observandum I. Quos jubeat discere. Jubet autem illos, qui laborant & onerati sunt, atque sub onere penè fatiscunt ut conqueranur: *Iniquitates prævalvérunt mihi, & impietates nostras tu expiabis. Psalm. 77. v. 4.* illos, qui desiderant refici ex ipso, Serenitatem, quietem & tranquillitatem conscientiæ accipere, & dicunt: *Sicut servus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui. Job. 7. v. 2.* illos, qui jugum illius, in se quoque susceperunt, atque dicere possunt: *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentiâ suâ. Thren. 3. v. 27.* II. Observandum, Quid jubeat. Jubet autem discere. In græco est vox μάθετε, quæ usurpatur de discente divina, & *Doctrinæ originis divinæ*, atque ita usurpatur *Joh. 6. v. 45.* usurpatur de discente necessaria & *Doctrinâ imminentis æternitatis Marc. 13. v. 28.* usurpatur denique de discente utilia & *Doctrinâ virtutum ex varietate fluentium*, atque ita occurrit in Scripturis maximè *Matth. 9. v. 13.* III. Observandum, à quo jubeat discere. Jubet autem discere à se, qui onus nostrum in se recepit, ut *Johannes* dixerit de illo: *Ecce agnus DEI, qui tollit peccata Mundi. Joan. 1. v. 29.* a se, qui fons omnis refectionis, petra Salutis, ex quo quondam Israelitæ biberunt *1. Cor. 10. v. 4.* à se, qui jugum prætulit omnibus obsequii & virtutum in vitâ & passione suâ, atque dicere potuit: *Quis ex vobis arguit me de peccato; si veritatem dico, quare vos non credetis mihi. Joh. 8. v. 46.*

L. D.

VIdemus, Quinam genuini Discipuli in christianâ Ecclesiâ & Scholâ, nempe uno Verbo illi, qui à Christo discunt. Genuini Discipuli in Scholâ christianâ sunt discentes à Christo I. in Status Qualitate. Sunt enim tales, qui agnoscunt, sese pondere peccatorum esse gravatos & pressos adeoque ingemiscunt: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Psalm. 38. v. 5.* sunt tales, qui agnoscunt, sese indigos esse refectionis, adeoque ingemiscunt & gementes dicunt cum *Davide: Adhæsit pulveri anima mea; vivifica me secundùm verbum tuum.* ex *Psalm. 119. v. 25.* qui agnoscunt sese obligatos esse ad jugum *Christi*, variarumque virtutum ex illo radiantium aequè dicunt: *In hoc vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis: vobis relinquens, exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui, cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se. 1. Pet. 2. v. 21, 22, 23.* Ut *Isaacus* insecutus est *Abrahamum* sub lignorum fasciculo pressus, fatigatus & reficiendus, de quo *Gen. 22. v. 6.* ita illi sunt genuini Discipuli seminis *Abrahæ*, hæredicti *Christi*, qui sub onere peccatorum gemunt, refectionem desiderant, jugo se submittunt atque agnoscunt gravitatem *Iræ divinæ premere ad ima usque Deut. 32. v. 22.* Genuini Discipuli in Scholâ Christi sunt discentes à Christo II ex discendi Facilitate, possunt enim illi discere facilè, quia DEUS docet per suum Spiritum, ut *Johannes* dicat: *Vos unctionem habetis, quam accepistis ab eo, manet in vobis & non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. 1. Epistola cap. 2. v. 27.* possunt illi facilè discere, quia st mulat irascens Mundi & imminens æternitas, ut *Petrus* dicat: *Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus. 2. Epist. cap. 3. v. 11.* possunt illi facilè discere, quia utilia & salutaria in hujus doctrinæ complexu de Charitate, ut *Jacobus* dicat: *Diliges proximum tuum sicut teipsum cap. 2. v. 8.* Ut quondam filii *Jacob* didicerunt divina, necessaria & salutaria advocante illo

& di-

& dicente: *Congregamini ut annunciem, quæ ventura sunt vobis in diebus posterioribus, congregamini & audite filii Jacob, audite Israël Patrem vestrum. Genes. 49. v. 1, 2.* ita illi sunt genuini Discipuli *stellæ Jacobæ* Christi, qui discunt divina, necessaria & utilia, atque agnoscunt illud: *Redemtor tuus sanctus Israël: Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in viâ, quâ ambulas. Esaiæ 48. v. 17.* Genuini denique Discipuli in Scholâ Christi sunt discentes à Christo III. ex docentis Authoritate. Docet quippe illos *Christus* Exemplar sanctissimum, qui nullum proprium peccatum habuit, sed alia omnia in se recepit, de quo *Esaias: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum flagellatum, percussum à DEO & afflictum; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. cap. 53. v. 4. & 5.* Docet illos *Christus* Exemplar efficacissimum, qui etiam passus est sibi aperire latus ut affundat vires, de quo *Johannes: Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Jesus Christus, non in aquâ solùm, sed in aquâ & sanguine. cap. 5. v. 6.* Docet illos *Christus* Exemplar splendidissimum, qui ubiq; in Exinanitione Radios Obsequii & virtutum diffundit, de quo *Paulus: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cùm in formâ DEI esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Philip. 2. v. 5, 6, 7, 8.* Ut Capita *Israël* & Proceres insecuti sunt *Mosen*, onere officii gravatum, & portarunt cum illo *Exod. 18 v. 18, 19. & seq.* Ita illi sunt genuini Discipuli *Christi* Antitypici Mosis, qui docentur à *Christo*, atque dicere possunt: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Gal. 6. v. 14.*

USUS I. DEHORT.

Si illi sunt genuini Discipuli in Schola Christianâ, qui discunt à Christo, non erunt illi, qui à Mundo discunt licentiam & libertatem Carnis, atque dicunt: *Sit fortitudo nostra Lex justitiæ: quod enim infirmum est, inutile invenitur.* ex *Sap. 2. v. 11.* memo-

memores illi deberent esse illius *Pauli*: *Vos in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus servite invicem. Galat. 5. v. 13.* Non erunt illi, qui à Carne propriâ discunt propriam justitiam & fastum, atque dicunt: *DEUS gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic publicanus, jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ possideo.* ex *Lucæ 18. v. 11, & 12.* memores illi deberent esse illius *Pauli*: *Quid ergò dicemus, quòd gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem, quæ est ex fide, Israël verò sectando legem justitiæ ad legem justitiæ non pervenit, quare? quia non ex fide sed quasi ex operibus. Rom. 9. v. 30, 31, 32.* Non erunt illi, qui à Diabolo discunt cumulare peccata, reficere se bonis seculi, atque vitiorum germina passim protrudere dicuntque: *Venite ergò & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creaturâ tanquam juventute celeriter; Vino precioso & unguentis nos impleamus, & non pertereat nos flos temporis: coronemus nos Rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; nemo vestrum exsors sit luxuriæ nostræ; ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* ex *Sap. 2. v. 6, 7, 8, 9.* memores illi deberent esse illius *Pauli*: *Imitatores mei estote fratres, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis nos pro exemplari. multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum DEUS venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Philip. 3. vers. 17, 18, 19.*

USUS II. ADHORT.

Si illi sunt genuini Discipuli in Scholâ Christianâ, qui discunt à Christo, recensemus nosmet ipsos inter laborantes & onerantes, atque sub pondere peccatorum ingemiscamus & dicamus: *Super me incumbit furor furor tuus, & omnibus fluctibus tuis afflixisti me.* ex *Psalm 88. v. 8.* Discamus divina necessaria & salutaria, atque *cum tremore & timore salutem operemur Philip. 2. v. 12.* Discamus denique à *Christo* Exemplari nostro, atque

ita-

tendamus ad fidei nostræ *Authorem, Consummatorem, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contentâ, atque in dexterâ sedit DEI sedit. Ebr. 12. v. 2.*

USUS III. CONSOL.

SI illi sunt genuini Discipuli in Scholâ Christianâ, qui discunt à Christo, bono sint animo, quos hoc nomine ipse dignatur *Joh. 8. v. 39.* Si *Mundus* suadeat licentiosam libertatẽ, ut dicamus, *jugum abjiciamus à seculo, cõfregisti jugum meũ, rupisti vincula mea, & dixisti non serviam, in omni enim colle sublimi & sub omni ligno frondoso tagabaris meretrix. Jeremiæ 2. v. 20.* novimus ex Verbo nos esse onere prestos & ad jugum ferendum obstrictos, atque ipsum Messiam dicere: *Inebriabo animam lassam, & omnem animam dolentem saturabo. Jeremiæ 31. v. 25.* Si *Caro* nostra suadeat carnalia, atque ingemiscendum: *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem, & hæc sibi invicem adversantur.* ex *Gal. 5. vers. 17.* novimus ex Verbo divino nos accepisse necessaria & salutaria, atque ex illorum Numero, de quibus *Paulus: Vos non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu. Eph. 4. v. 20, 21.* Si denique *Diabolus* suadeat vitiorum segetem & peccatorum augmenta, imò *ignitis agat telis tentationum Ephes. 6. v. 16.* novimus ex Verbo Christum Exemplar illud eximium præluxisse, ut conformes fiamus illius imagini, atque gloriemur: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, certus enim sum, quia neque mors neque vita, neque Angeli neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum neque creatura poterit nos separare à Charitate DEI, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* ex *Rom. 8. v. 29. 38, 39.*

AMEN, AMEN.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS MARIÆ, LUC. I. ℣. 33.

Καὶ βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακὼβ εἰς τοὺς αἰῶνας, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος.

Regnabitque super domum Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.

Il ullus celebris Rex in Scripturâ, sanè is David est, Vir secundùm Cor DEI, qui laudabiliter rexit Judam & Israelem, probè observavit & diu habitavit in Jerusalem, de quo 2. *Sam. 5. v. 1, 2, 3, 4.* Celebris fuit Rex David præ cæteris, quia laudabiliter regnavit. Exaltaverat illum DEUS ab ovibus ad homines regendos, & pro baculo Sceptrum commisit illi regium, quapropter tuitus suos fuit, *Philistæos* dejecit, *Moabitas* devicit & *Syros* domuit sibique subjecit, populum verò suum pavit diligenter & rexit fideliter, nec non collapsa tempore *Saulis* restituit, & omnia in felicem & florentem statum promovit, ut verè dixerit: *David contrivit inimicos undique, & extirpavit philistim contrarios usque in hodiernum diem, contrivit cornu ipsorum usque in æternum. Syracidis cap. 47. vers. 8.* Celebris fuit Rex David præ cæteris, quia præfuit Judæ & Israeli. Constituerat adhuc Rege priore existente DEUS hunc *Davidem*, ut pasceret populum & esset Dux *Israelis*, quapropter, cùm accessissent tribus *Israelis*, *Judæ*, & sese submisissent, præest toti populo, tanquam unctus Domini, quem primùm *Samuel* privatim unxit, dein *Juda* solemniter & tandem tribus omnes solennissimè, ut verè potuerit dicere: *Quis ego sum Domine DEUS, & quæ Domus mea, quia adduxisti me hucusque* ex 2. *Sam. 7. v. 18.* Celebris tandem fuit Rex David præ cæteris, quia diu habitavit in Jerusalem. Dederat illi DEUS bonum temperamentum, Colorem & oculos suaves, in Exilio etiam passus est illum vagari per longum tempus & destinarat illum Regno, quapropter postquam admotus illi, indulget etiam tempus longum, ut illo fruatur, atque regnare fecit per septem Annos in *Hebron* & per triginta tres in *Jerusalem*, imò promittit etiam stabi-

stabilimentum Regni in posteritate, ut verè dixerit *Matthatias: David in suâ misericordiâ consecutus est sedem regni in secula. 1. Maccabæor cap. 2. v. 57.* Non *David* sed Filius *Davidis* nobis delineatur in præsenti festivali Evangelio, quapropter illam delineationem & Figuram σὺν Θεῷ spectabimus.

EXEGESIS.

DEscripserat *Angelus nascendum ex Mariâ tanquam magnum, tanquam Filium Altissimi, tanquam accepturum Solium patris sui Davidis*, ut itaque absolvat illam delineationem addit: *Et regnabit super Domum Jacobin æternum, & regni ejus non erit finis.* Dicit I. regnabit. In græco occurrit vox βασιλεύσει, quæ notat regnabit, imperabit, actus regios exercebit, regnabit potenter, suos ab adversariis defendendo & omnia sibi subjiciendo, adeoque complendo illud: *Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universos: insuper & pecora & campi, volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris; Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ? Psalm. 8. v. 7, 8, 9, 10.* regnabit gratiosè, indulgebit faciem & Lucem suam, adeoque complebit illud: *Liberabit clamantem pro auxilio, & afflictum, cui non esset adjutor; parcet pauperi & inopi; & animas pauperum salvas faciet. Psalm. 72. v. 12. 13.* regnabit feliciter suos beando & omnibus bonis coronando, adeoque complendo illud: *Beatum populum, cui hæc sunt: beatus populus cujus Dominus DEUS ejus. Psalm. 144 v. 15.* II. Dicit: regnabit in Domo Jacob. In græco legitur ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακώβ. *Beza* reddidit, in *Domo Jacob*; melius & Textui pressius *B. Luther* über das Hauß Jacob: per Domum *Jacob* autem hic intelligit Ecclesiam, cœtum sacrum in hisce terris, atque ita vocat illum, qui *Jacob* fuit Caput suæ domus seu familiæ, ex quo fuit denominata illa, & factus populus DEI peculiaris, sacerdotalque Regnum, ut constat ex *Exod. 19. v. 5, & 6.* quia Domus illa fuit ampla nec in una & altera tribu subsistit, sed ad duodecim usque sese extendit, quæ totam terram *Chanaan* occupârunt & sorte divisérunt eam cum *cis jordanensi* tractu, de quo *Josuæ 14. v. 2, & 3.* quia denique constat non tantùm *Judæis*, sed & gentibus, quarum figura erant tribus *Israel* citò

in *Assyriam* abductæ & in gentes dispersæ, atque nunc imminet tempus, quo populus prehensurus populum & dicturus : *Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad Domum DEI Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit Lex & Verbum Domini de Jerusalem.* ex *Esaiæ 2. vers. 3.* III. Dicit regnabit super Domum Jacob in æternum, In græco occurrit εἰς τὸν αἰῶνας, in æternum semper & indesinenter, & ne quis nostri cum *Sadducæis* opinaretur tempus longum tantùm, addit: *& regni ejus non erit finis*, sed regnabit hic, non ut *David* Pater illius per quadraginta tantùm Annos, sed æternum, tanquam ille, qui *semper idem manet & cujus Anni non deficiunt Psalm. 102. v. 28.* non ut *David* Pater per successores, sed ipse in proprio suppositò tanquam ille, de quo *David: Regnabit Dominus in secula, DEUS tuus Zion, in generationem & generationem. Psalm. 146. v. 10.* non ut *David* cum intercisione captivitatis *babylonicæ* in populo vel Extinctione Sceptri in *Herode*, sed indesinenter tanquam ille, cujus *Nomen æternum manet, quoniam Sol manebit Psalm. 72. v. 15.*

L. D.

VIdemus, Quàm Majestate dives Rex Christus etiam secundùm Humanam Naturam, ut verè inscriptum deprehendatur *vesti & Humero : Rex Regum & Dominus Dominantium. Apoc. 19. v. 16.* Majestate dives Rex Christus etiam secundùm Humanam I. ex Regiminis varietate. Regnat enim Sceptro Potentiæ in Regno Naturæ, ut *Paulus* dicat: *DEUS Christum suscitavit à mortuis, & constituit ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem & super omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo sed & futuro. Eph. 1. v. 20, 21.* Regnat Sceptro Verbi in Regno Gratiæ, ut *David* dicat: *Sedes tua DEUS in seculum seculi, virga directionis virga regni tui: dilexisti justitiam & odisti iniquitatem: propterea unxit te DEUS DEUS tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Psalm. 45. v. 7, & 8.* Regnat Sceptro Gloriæ in Regno vitæ æternæ, ut *Paulus* dicat: *Cum Christus apparuerit in vitâ vestrâ, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria mu-*

mortificate ergò membra vestra super Terram. Coloss. 3. vers. 3, & 4. Regnavit quidem etiam *Solomon* potenter, faventer & feliciter, ut dicatur: *Ipse obtinebat omnem regionem quæ erat cis flumen, à Thipsa usque ad Gazam, & cunctos Reges cis Euphratem, & habebat pacem ex omni parte, habitabatque Juda & Israël absque timore ullo, unusquisque sub vitis suâ & sub ficu suâ. à Dan usque ad Bersaba, cunctis diebus Salomonis. 1. Reg. 4. v. 24, 25.* At quis *Salomon*, cujus omnia finita ad *Messiam*, de quo ipse DEUS: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, sceptrum fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Zion; dominare in medio inimicorum tuorum. Psalm. 110. v. 2. & 3.* Majestate dives Rex Christus etiam secundùm Humanam Naturam II. ex Objecti Qualitate. Præest enim domui *Jacob*, præest ille Ecclesiæ, sive domui *Jacob*, quæ à patriarcha illo denominata, adeoque completum hîc illud: *Domini ego sum, & ille vocabit in nomine Jacob, & hic scribet manu suâ Domino, & in nomine Israel cognominabitur. Esaiæ 44. v. 5.* Præest ille Ecclesiæ, sive Domui *Jacob*, quæ ampla & in plures particulares Ecclesias diffusa, adeoque completum hîc illud: *Propè est, ut veniat Tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur, miserebitur enim Dominus Jacob & eliget adhuc in Israel, & requiescere eos faciet super humum suam, adjungetur advena ad eos, & adhærebit domui Jacob. Esaiæ 41. v. 1.* Præest ille Ecclesiæ sive Domui *Jacob*, quæ ex *Judæis* & gentibus coalescit, adeoque completum hîc illud: *Parùm est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & desolationes Israël convertendas, ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum Terræ Esaiæ 49. v. 6.* Præerat quidem *Joasus* Domui *Jacob*, applaudente coronato totâ *Hierosolymitanorum* civium turmâ 2. *Reg. 11. v. 12.* At quis *Joas*, qui ex parte tantùm Domui *Jacob* imperavit ad *Messiam*, de quo ipse Deus: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex & Sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terrâ: in diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Jehova justitia nostra Jeremiæ 23. v. 5, & 6.* Majestate dives Rex *Christus* etiam secundùm Humanam Naturam III. ex Objecti æternitate. Non enim hoc Regnum durat tantùm per aliquot Annos, sed æternum, ut *Micha* dicat: *Re-*

gnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usque in æternum. cap. 4. v. 7. non durat in successore priore Rege mortuo, sed æternùm & absque successione, ut *Daniel* dicat: *In diebus regnorum illorum suscitabit DEUS Cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. cap. 2. vers. 44.* non durat cum intercisione captivitatis, & Sceptri, minuti vel ablati, sed æternùm constanti felicitate, ut *David* dicat: *Orietur in diebus ejus justus, & abundantia pacis, donec auferatur luna, & dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Psal. 72. v. 7, & 8.* Duravit quidem etiam Regnum *Josiæ* Pii Regis per triginta & unum Annum, de quo 2. *Reg.* 22. *v.* 1. At quis *Josiæ* ejusque tempus regiminis breve & inclinans ad *Messiam*, de quo ipse *Daniel*: *Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus appropinquare fecerunt eum. & dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi servient; potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur. cap. 7. v. 13, 14.*

USUS I. DEHORT.

SI tam Majestate dives Rex Christus, caveant omnes homines, ne Sceptrum illius repudient gratiosum & dicant: *Nolumus hunc regnare super vos.* ex *Lucæ 19. v. 14.* ne contingat illud: *Reges eos in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes eos. Psalm. 2. v. 9.* Caveant omnes Christiani, ne a Domo *Jacobi* deficiant & aggregent se *Edomæis, tabernaculis Idumæorum & Ismaelitarum Moab & Agarenorũ, Gebal & Ammon & Amalec, Philistinis cum habitantibus Tyrum. Psalm. 73. v. 7, & 8.* ne contingat illud: *Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Apoc. 22. v. 15.* Caveant Principes & Reges, ne se opponant huic Regno æterno, illud demolire & vastare nitantur, atque *consultent adversus* illud: *ut assistant reges terræ, & Principes consultent simul adversus Dominum & adversus Christum ejus Psalm. 2.*

v. 2. ne contingat, quod illi Exercitui *flammâ* puniendo *Apoc. 28. verſ. 8, & 9.*

USUS II. ADHORT.

SI tam Majeſtate dives Rex Chriſtus, ſtudeamus, qui Chriſtiani, ut huic regnanti corde humili nos ſubmittamus atque coronis projectis dicamus: *Dignus es Domine Deus noſter, accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creâſti, omnia, & per voluntatem tuam ſunt & creata ſunt. Apoc. 4. v. 10, 11.* Studeamus, qui Chriſtiani, ut corde conſtanti Domui *Judæ* adhæreamus, ſimus & maneamus *electum genus, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. 1. Pet. 2. v. 9, 10.* Studeamus denique, qui Chriſtiani, ut corde deſiderante in æternum Regnum inclinemus 2. *Pet. 1. verſ. 10, 11.*

USUS III. CONSOL.

SI tam Majeſtate dives Rex Chriſtus, bono ſimus animo, qui hoc tempore audimus illud Evangelium *Sioni* lætum: *Ecce Rex tuus venit juſtus, & Salvator ipſe pauper, & vehitur ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ. Zach. 9. v. 9.* Si *peccatum* velit *regnare in corpore mortali*, ut *Paulus* loquitur *Rom. 6. v. 12.* En *Meſſias* regnat, & ut *Aháſuerus* porrexit Sceptrum *Eſtheræ Eſther 5. v. 2.* Ita *Chriſtus* porrigit Sceptrum Gratiæ live Evangelium, in quo *Chriſtus* ſe exhibet ita loquentem: *Ego DOMINUS ſanctus veſter, creans Iſraël, Rex veſter. Eſaiæ 43. verſ. 15.* de quo *Paulus*: *Chirographum, quod adverſus nos, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci & expolians principatus ac poteſtates, traduxit eos confidenter palàm in ſeipſo. Coloſſ. 2. v. 14. & 15.* Si *Edomæi* ſurgant atque dicant: **Rein ab/ Rein ab biß auff den Boden.** *Pſalm. 137. v. 7.* En *Meſſias* regnat ſuper domum Jacob, & ut *David* ſedem extendit in *Edom Pſalm. 60. v. 10.* Ita *Chriſtus* regnat ſuper domum *Jacob*, tuetur illam & conſervat & dicit: *Non modò jam non confundetur Jacob, nec vim vultus ejus erubeſcet Eſa. 29. v. 22. & Eſaiæ 43. v. 1, 2, 3, Hæc dicit Dominus, creans te Jacob, & for-*

formans te Israël; noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu, cùm transieris per aquas, tecum ero & flumina non operient te, cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israël, Salvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, & Æthiopiam & Saba pro te. Si denique *Mors* abrumpat Annos inter *Reges & rusticos Syrach. 41. v. 1, 2, 3, 4.* En *Messias* regnat in æternum, & ut *Cyrus* mortuos quasi in Babylonicâ captivitate remisit in Regnum *Judæ*, ut viverent *Esra 1. v. 3. & seq.* ita *Christus* excitabit ad vitam & regnum æternum, & *dabit Coronam & Regnum de manu Domini, quoniam dexterâ suâ tegit eos, & in brachio suo sancto defendet eos. Sap. 5. v. 17.* dicetque: *Venite benedicti Patris mei, hereditariò accipite regnum vobis paratum à constitutione mundi. Matth. 25. v. 34.* Finimus in verbis *Pauli: Liberavit me Dominus ab omni opere malo, & salvum me faciet in regnum suum cœleste, cui gloria in secula seculorum. Amen. 2. Timoth. 4. v. 18.* AMEN.

FERIA II. PASCHATOS, LUC. XXIV. ℣. 20.

Ὅπως τε παρέδωκαν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ἄρχοντες ἡμῶν, εἰς κρίμα θανάτου καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν.

Quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes & Principes nostri, in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.

NObile patientiæ exemplum fuit quondam Jeremias, Propheta Domini ex Anathoth oriundus, nam traditus fuit à suis Zedekiæ, condemnatus tanquam seditiosus & tandem etiam projectus in lacum, ut constat ex *cap. 38. v. 4. & seq.* Nobile patientiæ exemplum fuit Jeremias, tradiderunt enim eundem Principes populi. Erant illi potentes in Aulâ, maximè autem adversi *Jeremiæ*, cùm itaque dixisset de urbe illâ tra-

denda

deinde tradatur Jeremias, quapropter sollicitant hi Principes *Zedekiam*, ut occidat hunc virum, traduntque illum eidem tanquam talem, qui de industriâ dissolvat manus bellantium, nec quærat pacem, sed malum, adeoque supplicium mereatur illud, quod Pseudoprophetæ decretum *Deut. 13. v. 5.* Nobile patientiæ fuit exemplum Jeremias, innocens enim illorum erat, quorum accusabatur. Erat hic vir vitæ probatæ, & integer morum, suscitarat illum DEUS Prophetam, atque instruxerat quoque variis signis, quibus tum hunc populum, tum alios & extraneos debuit monere, nihilominus insurgunt adversus eum Principes populi, innocentiam illius temerant, atque contemnunt, nec attendunt, quòd ille à Domino acceperit Verbum ab illo constitutus Propheta, & factus ab eodem in *columnam ferream*, prout describitur *Jerem. 1. v. 7, 8, 9.* Nobile exemplum patientiæ fuit Jeremias, tandem enim obtinuerunt, quod voluerunt Principes. Erant illi urgentes valdè, nec quiescebant, erat etiam talis status rerum, in quo *Zedekias* putabat tempori cedendum, quapropter permittit, ut innocens infami modo immitteretur in lacum *Malchiæ*, in quo non aqua, sed lutum, in quo ipsi pereundum, adeoque expertus fuit, quod antea ipsi per insidias quoque intentabatur à suis, de quo conqueritur: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi, quia super me cogitaverunt consilia, dicentes: perdamus arborem cum fructibus ejus, & exscindamus eum de terrâ viventium. Jerem. 11. v. 19.* non tàm illustre exemplum patientiæ se quondam exhibuit *Jeremias*, æquè *Christus* in amarissimâ suâ passione, dum etiam traditus fuit à suis, ut condemnaretur & crucifigeretur, prout colloquium docet illorum, qui deambulârunt in *Emaus*, de quo *suò Θεῷ*.

EXEGESIS.

NOn tantùm descripsêrunt personam, de quâ illis sermo, *Emaunitici* Viatores, sed etiam illa, quæ contigerunt circa illam, & dixêrunt: *Annon nosti quomodo tradiderunt eum summi Sacerdotes & Principes nostri in condemnationem mortis & crucifixerunt eum.* In quibus verbis observandum 1. quinam dicantur tradidisse; vo-

cant autem eos summos Sacerdotes & Principes populi *Judaici*. In græco occurrit vox ἀρχιερεῖς, quâ notantur *Hannas* & *Caiphas*, qui eo tempore *Pontifex*, & dixerat in Concilio: *expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat. Johan. 11. v. 50.* occurrit vox ἄρχοντες, quâ notantur Principes, Assessores Concilii, qui circa sanguinem illum fundendum fuerunt operosi, ex quorum numero fuit *Joseph Arimathæus, qui non consensit in illorum sanguinarium decretum Luc. 23. v. 51.* occurrit vox ἡμῶν, nostri Pontifices, nostri Principes, qui debuissent quidem exemplo mansuetudinis prælucere, sed livore correpti & corrupti eundem persecuti sunt, & dixerunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, Johan. 18. v. 30.* II. Observandum, Quemnam dicantur tradidisse. Dicunt autem, *tradidisse αὐτὸν, illum*, qui *Jesus Nazarenus*, vir sanctus & impollutus, quique dicere potuit: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Joh. 8. v. 46.* illum, qui Prophetæ magni æstimatus, & longè aliter locutus fuit, quàm illi, & eorum Discipuli, ut constat ex *Matth. 7. v. 29.* illum, qui insignis Thaumaturgus, *potens non tantùm verbo, sed & opere*, atque tot & tanta miracula fecit, ut etiam quidam dixerint: *Christus cùm venerit, nunquid plura signa faciet, quàm hic. Johan. 7. v. 31.* III. Observandum, Cuinam & quo fine tradidisse dicantur; *tradidisse autem dicuntur in condemnationem mortis & crucifixionem.* Erat tunc temporis *Pontius Pilatus* Præses *Judææ*, huic itaque tanquam Executori lævitiæ suæ, non arbitro causæ, ut *Leo* loquitur, dicuntur tradidisse; dicuntur tradidisse *Christum* & quidem in *condemnationem mortis, & crucifixionem*, adeò ut *Pilatus* eundem condemnârit tanquam maleficum, ad mortis genus violentum, & præternaturale, ita ut in flore ætatis fuerit extinctus & Spiritum emiserit & dixerit: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Luc. 23. v. 46.* amarum & dolorificum, ita ut manus & pedes perfossi & cruci affixi cum latronibus, ut constat ex *Joh. 19. v. 18.* ad mortis genus infame & probrosum, adeò ut in toto populo habitus fuerit pro maledicto crucifixus juxta illud: *Maledictus qui pendet in ligno. Deut. 21. v. 23.*

L. D.

L. D.

Videmus, Quomodo Christum hoc tempore spectare, de illo differere, & Meditationes passionales explicare debeamus. Spectare illum debemus, ut I. traditum amarulenter. Tradiderunt enim illum ex invidiâ Sacerdotes, & *Pontifex*, qui tamen agnoscere debuissent, illum esse magnum illum Pontificem, futurorum bonorum, qui per *amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, intraturus. Ebr. 9. v. 11.* tradiderunt eum Principes Concilii ex livore, qui tamen agnoscere debuissent, illum esse *Principem vitæ*, de quo *Ezechiel: Suscitabo super eos pastorem unum, qui pascat eos, servum meum David, ipse pascet eos & erit eis in pastorem, ego Dominus ero eis in Deum, & servus meus David Princeps in medio eorum, cap. 34. v. 23.* tradiderunt eum præpositi reipublicæ & Ecclesiæ *Judaicæ*, ex mero odio, qui tamen agnoscere debuissent ipsum, cui omnia subjecit Pater, esse *Caput Ecclesiæ, quem Deus dedit caput super omnia, ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet Ephes. 1. v. 22, 23.* Ut ex merâ amarulentiâ filii *Jacob* tradiderunt *Josephum Midianitis* peregrinis, quem tamen ut solem in familiâ suâ debuissent *venerari. Genes. 37. v. 28.* ita summi in populo tradiderunt *Christum* peregrino *Pilato* ex merâ amarulentiâ, cùm tamen ipsum venerari debuissent & dicere: *Attollite ô portæ capita vestra; & elevamini portæ mundi: & introibit Rex gloriæ: quis est iste Rex gloriæ? Dominus Zebaoth, ipse est Rex gloriæ Sela. Psalm. 24. v. 9, 10.* Spectare debemus illum II. ut condemnatum innocenter; innocens enim fuit hic *Nazarenus*, ut *Esaias* de illo dixerit: *Iniquitatem non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus. cap. 53. v. 9.* innocens fuit hic Propheta, ut *Moses* de illo dixerit: *Prophetam de medio tui & de fratribus tuis sicut me suscitabit Deus tuus, ipsum audies. Deut. 18. v. 15.* innocens fuit hic Thaumaturgus, ut *David* de illo dixerit: *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus, & benedictum nomen majestatis ejus, in æternum, & repleatur majestate ejus omnis terra. Psalm. 72. v. 18, 19.* Ut quondam inventus fuit innocens *Elias*, contra *Achabum* verbo & mi-

raculis inclytus, ut verè dicere potuerit: *Non ego turbavi Israel, sed tu & domus Patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secutus estis Baalim. 1. Reg. 18 v. 18.* ita quoque *Christus* inventus fuit innocens, in vitâ, doctrinâ & miraculis, ut verè dixerit *Petrus* de illo: *Jesum Nazarethanum unxit Deus Spiritu sancto & virtute, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Actor. 10. v. 38.* Spectare debemus illum 1.) ut crucifixum indecenter. Damnatus enim tanquam maleficus, & cruci affixus violenter, ut conquerendum illi: *Congregata sunt super me flagella & ignoravi Psalm. 35. v. 15.* Damnatus fuit tanquam maleficus & cruci affixus extensione manuum & pedum dolorifica ut conquerendum illi: *Circumdederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me. foderunt manus meas & pedes meos, numerare possum omnia ossa mea, Psalm. 22. v. 17, 18.* Damnatus fuit tanquam maleficus & cruci affixus in opprobrium & contemptum, ut conquerendum: *Dederant in escam meam fel, & in siti meâ potaverunt me aceto Psalm. 69. v. 22.* Ut quondam *Nabothus* violento, dolorifico, & infami genere mortis fuit extinctus & à judicibus *Jesreel* condemnatus *1. Reg, 21. v. 13.* ita tradiderunt hostes *Christi* eum, ut ita condemnaretur ad mortem Crucis, atque experiretur illud: *Quomodo coarctor usque dum proficiatur baptisma. Luc. 12. v. 5.*

USUS I. DEHORT.

SI spectandus Christus ut traditus amarulenter, condemnatus innocenter, & crucifixus indecenter, caveamus, ne spectemus hoc tempore Principes ac Sacerdotes atque vestigiis Invidiæ, odii & amarulentiæ illorum insistamus, & dicamus: *Circumveniamus justum, quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Sap. 2. v. 12.* ne, quod feriit illos Excidium nos quoque corripiat, atque experiamur illud: *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti; Ecce relinquetur domus vestra deserta Matth. 23. v. 27, 28.* ne spectemus hoc tempore *Christum* tanquam nocentem,

qui

qui Cæsari tributum negârit, Regem se fecerit, populum seduxerit, atque dicamus: *Nos scimus, quia Moſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus Joh. 9. v. 29.* ne, quod *Judæis* accidit, cœcitas scilicet extraordinaria, eadem nos invadat, atque conquerendum: *Expectavimus lucem & ecce tenebræ: Splendorem & in tenebris ambulavimus, palpavimus ſicut cæci parietem, & quaſi absque oculis attrectavimus; impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. Eſaiæ 59. v. 9, 10.* Cavcamus, ne spectemus hoc tempore *Pilatum* condemnantem, atque eidem adhinniamus, illius vestigiis insistamus, & dicamus: *Contumeliâ & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius, morte turpiſſimâ condemnemus eum, erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius Sap. 2. v. 19, 20.* ne, quod ferit illum Excidium & miserabile lethum ex judicio divino nos quoque corripiat, atque experiamur illud: *Qui gladio occiderit, oportet illum gladio occidi. Apoc. 13. v. 10.*

USUS II. ADHORT.

SI spectandus Christus ut traditus amarulenter, condemnatus innocenter & crucifixus indecenter, studeamus, ut intueamur hunc traditum oculis fidei, dicamus: *SiDeus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit. Rom. 8. v 31, 32.* Studeamus, ut intueamur hunc condemnatum oculis fidei, atque dicamus: *DEUS eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur juſtitia DEI in ipſo. 2. Corinth. 5. v. 21.* Studeamus, ut intueamur crucifixum oculis fidei, atque dicamus: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mundus crucifixus eſt & ego mundo. Galat. 6. verſ. 14.*

USUS III. CONSOL.

SI Spectandus est Christus ut traditus amarulenter, condemnatus innocenter & crucifixus indecenter, bono sint animo, qui ita *Chriſtum præ oculis pictum contemplantur Gal. 3.*

v. 1. Si *peccata* noſtra tradere Gehennæ nitantur, atque conquerendum: *Alligatum eſt jugum iniquitatum mearum, manus ipſius implicatæ ſunt, & impoſitæ ſunt cervicibus meis: itaque impegit virtus mea, tractavit me Dominus ita, ut nequeam conſurgere. Thren. 1. v. 14.* reſpiciamus in *Chriſtum traditum;* ipſe enim eſt, qui traditus eſt propter peccata noſtra, ut poſſimus dicere: *Quod nunc vivo in carne in fide vivo filii DEI, qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me. Gal. 2. v. 20.* Si *peccata* noſtra conſcientiam vellicent, atque oſtendant nos nocentes & reos, atque conquerendum: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Pſalm. 143. v. 3.* reſpiciamus in *Chriſtum* innocentem, condemnatum propter peccata noſtra, ut poſſimus dicere: *Commendat DEUS ſuam charitatem erga nos, quoniam, cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius ſalvi erimus ab irâ per ipſum.* ex *Rom. 5. v. 8, 9.* Si denique *peccata* noſtra mortem mereantur, atque conquerendum: *Stipendium peccati eſt mors. Rom. 6. v. 23.* reſpiciamus in *Chriſtum* crucifixum; ipſe enim *crucifixus eſt* propter peccata noſtra, ut poſſimus dicere: *Et Chriſtus crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute DEI; nam & nos infirmi ſumus in illo, ſed vivemus cum eo ex virtute DEI in nobis 2. Corinth. 13. v. 4.* finimus itaque in *paſſionis* verbis *2. Timoth. 2. verſ. 8. memor eſto, Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David ſecundùm Evangelium meum.* AMEN.

FERIA PHILIPPI ET JACOBI, JOH. XIV. ℣ſ. 14.

Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή, οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ δι ἐμοῦ.

Dicit ei JESUS, Ego ſum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me.



Dmirabilis fuit Creatura quondam Columna Nubis & Ignis præfixa à DEO, quia in deſerto duxit, habitaculum ſe exhibuit Filii DEI & Iſraelitas defendit & protexit, cujus prima fit

mentio

mentio *Exodi 13. v. 21.* Admirabile fuit Opus illa Columna, quia duxit & comitata fuit populum. Erat desertum *Sin* horridum & non satis pervium, dumetisque undique cinctum, unde à *rubo* nomen duxit, quapropter DEUS erexit hanc Columnam, ut sicut quiescente illâ populus quiesceret, ita surgente illâ sive noctu sive interdiu ille quoque surgeret, & illa Cynosura eos duceret, atque comitaretur, unde etiam *Philo* de illâ: *Deus deduxit in viâ mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem. Sap. 10. v. 17.* Admirabile fuit opus illa Columna, quia sedes Omnipotentis & habitaculum. Non erat illa merum Corpus & Creatura, neque nudum signum absentis Majestatis divinæ, sed sedes, thronus & habitaculum Filii DEI, qui verè in illâ habitavit, atque ita suæ incarnationi præluſit, verè ex illa fuit locutus in seditione *Corah, Dathan & Abiram*, verè præcessit in illâ, unde etiam ipse DEUS: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & custodiat te in viâ, & introducat in locum, quem præparavi: ne rebellaveris ipsi, quia non relinquet te impunitum, cùm peccaveris, & est nomen meum in illo. Exod. 23. v. 20, 21.* Admirabile fuit opus illa Columna, quia Israelitas fovit atque protexit. Erat desertum *Arabiæ* fabulosum & calidi Climatis, quod peregrinantibus propterea valdè molestum, & eosdem fatigare solitum, quapropter DEUS erexit hanc Columnam, quæ fovit & interdiu umbram præbuit in levamen, noctu verò luxit, ut *Israelitæ* in viâ conservarentur, unde etiam de illâ *David: Expandit nubem in velum eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem. Psalm. 105. vers 39.* Non tam admirabile opus fuit hæc Columna, illustrior ostenditur in verbis prælectis, de quibus σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

INterrogaverat in ultimo sermone de Abitu *Thomas Christum* & dixerat: *Domine nescimus quò vadas & quomodo viam cognoscamus*, quapropter respondet blandè & emphaticè *Christus* illi: *Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad patrem, nisi per me*, ut non opus sit tibi vel tuis Apostolis dispicere de aliâ aliquâ viâ. Dicit I.

Ego

Ego sum via. In græco notanter dicitur: *Ego sum ἡ ὁδὸς*, illa ipsa via, unica & solida. Vocat autem se viam, quia per passionem & Mortem amarissimam viam aperuit nobis, atque promeruit, *qui intravit nobis viam novam, & viventem per velamen id est, carnem suam.* de quo *Ebr. 10. v. 20.* quia in diebus vitæ suæ illam Viam rectam ostendit prædicavit, annunciavit, ut etiam ipsi hostes fuerint confessi, *Magister, scimus, quoniam verax es, & viam DEI in veritate docet & non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum. Matth. 22. v. 16.* quia denique suos in illâ duxit, & adhuc ducit, ad exoptatam Metam, & venit, ut *pedes* nostros *dirigeret in viam pacis. Lucæ 1. v. 79.* Dicit II. Ego sum Veritas. Quidam existimant hoc per figuram aliquam dictum esse, & velle *Christum* significare, se esse viam veritatis, verùm non opus est Figura; cùm simpliciter intelligatur secundùm literam. In græco notanter cum præpositivo articulo iterum dicitur *ἡ ἀλήθεια* illa ipsa immota & infallibilis Veritas, vocat autem se Veritatem, quia per passionem & Mortem complevit omnes Umbras, verificavit & *unâ oblatione consummavit in sempiternum eos, qui sanctificantur. Ebr. 10. vers. 14.* quia veritatem prædicavit & manifestavit passim tempore Ministerii *Joban. 8. vers. 40.* quia denique duxit suos & adhuc ducit in Veritate, ad verum & solidum Bonum & omnes *promissiones in ipso Amen 2. Corinth. 1. vers. 20.* Dicit III. Ego sum vita. In græco notanter dicitur *ἡ ζωή*, illa unica & æterna vita vocat autem se viam, quia per passionem & Mortem nobis acquisivit vitam & mortem devicit *Ebr. 2. v. 14.* quia ostendit vitam & contulit in Verbo, ut illa fuerint Vita, & *Spiritus*, & *Petrus* dixerit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Joban. 6. v. 68.* quia denique suos duxit ad viram æternam Spiritu suo & adhuc ducit, atque propterea dixit: *Vos videtis me, quia ego vivo & vos vivetis Joh. 14. v. 19.*

L. D.

Videmus, In quem Christianus verus unicè in vitâ passione & Morte possit respicere, confidere & fundare se, nempe uno Verbo in Salvatorem nostrum JESUM

SUM Christum. Considere potest in Christum genuinus Christianus I. in Viæ Selectione, quia ipsum elegit in Viam, per qualem peregrinatur & ambulat, cognoscit ille *Christum* ut viam crucis. Est ille via Crucis, qui adiit hortum, prætorium & Aram Crucis ut ipsum sequeremur & per multas *tribulationes veniremus in Regnum DEI Actor. 14. vers. 22.* Est ille via doctrinæ, qui adiit *Galilæam*, *Judæam* & *Samariam*, docuitque, ut omnibus acclamaret illud: *Hæc est via, ambulate in eâ, & non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram. Esaiæ 30. vers. 21.* est ille Via Cœli, qui à sepulchro ad illud surrexit & ascendit, ut nos duceret ad Domos pacis & ostenderet se esse DEUM nostrum, qui dicat: *Hic DEUS est DEUS noster in æternum, & in seculum seculi, & ipse ducet nos usque ad mortem. Psalm. 48. v. 15.* Fuit quidem *Azarias* etiam fidelis Ductor in Via *Tobiæ*, quia ipsum in *Mediam*, & ex illâ in *Ninivem* reduxit *Tobiæ 5. v. 16.* At quid *Azarias* ille qui in *Ninivem* reduxit, ad *Christum*, qui ducit ad civitatem, cui fundamentum, quique nos prehendit, ducit, & in *funibus amoris comitatur Osea 11. v. 3, & 4.* Considere potest in Christum genuinus Christianus II. in Veritatis Apprehensione, quia ipsum ut primam Veritatem apprehendit. Apprehendit ille veritatem hanc substantialem, quæ passione & morte suâ omnes umbras complevit. quia *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Johan. 1. v. 17.* apprehendit ille hanc veritatem substantialem, quia ipse Verbo suo Veritatem aperuit, manifestavit, docuit, ut ipse dicat: *Ego sum in hoc natus, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam Veritati; omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Johan. 18. v. 37.* apprehendit ille hanc veritatem substantialem, quæ ipsum ducet ad vera & solida Bona, *ita ut si quis sermonem ejus audiverit, non sit visurus mortem in æternum. Johan. 8. v. 51.* Fuit quidem *Aaron* etiam gerens in pectorali suo *Urim* & *Thummim*, quod LXX. reddiderunt δήλωσιν & *Ægyptii* Sacerdotes æmulati in Sapphyro, de quo *Exod. 28. v. 30.* At quid *pontifex* in pectorali hæc gerens ad *Christum*, qui in Corde hæc habuit, ipsa fuit substantialis Veritas, ut dicere potuerit: *quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dixero, quare vos non creditis mihi? Johan. 8. v. 46.* Considere potest in *Christum*,

unicè genuinus Christianus III. in Vitæ promissione, quia ipsum æstimat suam vitam & ab illo sibi promittit & sperat æternum. Certus est Christum esse suam vitam per Mortem, juxta illud: *Dominus voluit conterere ipsum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Esaiæ 53. v. 10.* certus est Christum esse suam Vitam per Verbum, juxta illud: *Manifestata est nunc gratia per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium. 2. Timoth. 1. v. 10.* Certus est *Christum* esse suam Vitam per ductionem ad vitam æternam, juxta illud: *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die: hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Joh. 6. v. 39, 40.* Fuit quidem etiam *Elias* in hujus propheta, qui excitavit defunctum filium Viduæ *Zarpathicæ* & ostendit Verbum Domini esse veritatem in se *1. Reg. 17. vers. 22. & seq.* At quid *Elias* suscitans ad vitam naturalem unicum, ad *Christum*, qui spiritualiter vitam largitur & æternùm, atque Ovibus suis dat vitam æternam, *Oves enim, inquit: meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me, & do illis vitam æternam, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea. Joh. 10. v. 27, 28.*

USUS I. DEHORT.

SI Christianus ita confidere potest in Christum in Vitâ, Passione & Morte, deviant longe illi, quorum Cor semper pronum in devia, qui recedunt ab hâc viâ & respiciunt vias *Themani, incedunt per inculta, & ad vias Seba sperarunt. Job 6. v. 18, & 19.* Experientur illi, cum damnatis conquerendum, *Erravimus à viâ veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in viâ iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus; quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra & tanquam nuncius præcurrens.* ex *Sap. 5. vers. 6, 7, 8.*

7, 8, 9. Aberrant longè, qui recedunt & apostatare incipiunt à Veritate subsistantiali, sequentes Pseudoprophetas, *qui sequuntur Spiritum suum & nihil vident. Ezech. 13. v. 3.* experientur illi cum damnatis, ut cum falso Propheta dejiciendi in infernum, *stagnũ ignis ardentis sulphuris. Apoc. 19. v. 20.* Denique deviant valde illi, qui recedunt à vitâ verâ, nullam Spem habent futuræ, sed æstimant hanc lusum & jocum, *conversationem vitæ compositam ad lucrum. Sapientiæ 15. v. 12.* experientur illi cum damnatis secundam Mortem, atque deprehendetur illud: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos: robur ipsorum putrescet, infernus erit habitaculum ipsorum. Psalm. 49. vers. 14, 15.*

USUS II. ADHORT.

SI Christianus ita confidere potest in Christum in Vitâ, Passione & Morte, studeamus, ut huic viæ insistamus, nec *ad sinistram vel sinistram declinemus Deut. 5. v. 32.* memores illius: *Ecce vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. Petr. 2. v. 21.* Studeamus, ut Veritatis Verbum amplectamur *Joban. 8. v. 31, 32.* memores illius Inscriptionis: *sanctifica eos in veritate tuâ, sermo tuus veritas est. Joban. 17. v. 17.* Studeamus, ut hanc vitam speremus, vivamus *in fide filii DEI, qui dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis. Gal. 2. v. 20.* memores illius: *Cum mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO, cùm apparuerit autem Christus vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloriâ. Coloss. 3. v. 3, & 4.*

USUS III. CONSOL.

SI Christianus ita confidere potest in Christum, in Vitâ, Passione & Morte, bono sint animo, qui confidunt & illud *Petrus: non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Actor. 4. vers. 12.* Unus ejecti sint *paradiso* protoplasti, & nos in ipsis, ita ut viam nec quærere nec invenire rursus possimus ad illam viribus Naturæ, & am-

bulandum in *Vitâ omnis carnis* propterea *1. Reg. 2. v. 2.* novimus *Christum* esse genuinam Cœli Scalam, quæ attingat & illud & terram, esse viam illam *cui nota via vitæ Psalm. 16. v. 11.* & *ducere nos, qui ipsi ivit Joan. 20. v. 17.* Utut ejecti sint *paradiso* protoplasti & nos in ipsis, ita, ut Angelus flammeo gladio positus sit ante hortum, qui Eram DEI in infima penetrantem significavit & propterea falsum, illam *Carnem per legem ulterius justificari Rom. 3. vers. 20.* novimus *Christum* esse genuinam Cœli Scalam, in qua descendant & ascendant Angeli, esse illam Veritatem, quæ verè per carnem & passionem *reconciliavit omnia in cœlis & terra Coloss. 1. vers. 20.* esse illum, qui Angelis suis mandat super nos & jubeat ducere *Animas in Sinum Abrahæ Luc. 16. v. 22.* Utut denique ejecti sint *Paradiso* protoplasti & nos in illis, ita, ut excluſi ab Arbore vitæ, illius fructuum participes ulterius fieri nequeamus & propterea mortui censeamur in peccatis, & *Stipendium peccati Mors Rom. 6. v. 23.* novimus *Christum* esse genuinam Cœli Scalam, quæ ex Arbore vitæ, cujus folia facient ad Sanitatem gentium, esse vitam illam, quæ *Lux Mundi Joan. 8. v. 4.* esse illum qui conteſtatur, *ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet. Joan. 11. v. 25.* & *daturum vitam æternam, ut in judicium non veniant, ſed tranſeant de morte ad vitam. Joh. 5. v. 24.* AMEN.

IN FESTO ASCENSIONIS, MARC. XVI. ℣. 17.

Σημεῖα δὲ τοῖς πιστεύσασι ταῦτα παρακολουθήσει· ἐν τῷ ὀνόματί μου δαιμόνια ἐκβαλοῦσι· γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς·

Porrò ſigna eos, qui credidérint, hæc ſubſequentur, In nomen meum dæmonia ejicient: linguis loquentur novis:

Celebris eſt Victoria, quam quondam David reportavit de Goliatho, aggreſſus enim fuit hic juvenis in Nomine Domini Virum grandem & monſtroſæ ſtaturæ, eundem ferit & proſtra-

tum

tum in terram conculcavit abscisso Capite, de quo *1. Sam. 17. v. 17. v. 45, 46, 47. & seq.* Celebris est hæc Victoria, aggressus enim fuit hunc immanem Gigantem David Juvenis. Erat hic *Jessæus* juvenis floridæ formæ, præditus Spiritu Sancto, mentis & animi generosi, quapropter incitatus Spiritu hunc hostem aggreditur, confidens & sperans, ut quondam debellarit Ursum & Leonem, ita quoque adjutum ope divinâ feliciter acturum cum hoc hoste, tanquam illum, qui *Messiæ* confidat & dicat: *Præcinxisti me virtute ad bellum, depressisti insurgentes in me subtus me. Psalm. 18. v. 40.* Celebris est hæc victoria, impetrata quippe nomine DEI & virtute Omnipotentis. Erat hic *David* in comparatione ad hunc Virum vilis, contemptus, abjectus & parvus statura; verùm sepositâ illâ comparatione eundem aggreditur in Nomine Domini, plus facit hoc nomen omni robore *Philistæorum*, & potentiam divinam superiorem omni evanidâ, lapide è fundâ petito ipsum percutit in fronte, cui *Rabbini* volunt inscriptum fuisse *τετραγραμματον* Nomen scil. JEHOVAH, quod tamen existimamus potius insculptum fuisse menti Davidis, qui aliàs quoque hoc semper deprædicavit, inprimis autem cùm dixit: *Erubescant & conturbentur in seculum seculi, & confundantur & pereant, & cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus super omnem terram. Psalm. 83. v. 18. & 19.* Celebris est hæc Victoria, stravit enim non tam hominem, quàm monstrum hominis David. Erat hic *Jessæus* juvenis probè constitutus, figuræ & staturæ mediocris, & intra certam mensuram viribus & robore pollens, huc tamen non respiciens adoritur Gigantem, sternit monstrum & caput præscindit *Philistæi*, adeò ut illo dejecto fugerit & cœsus fuerit totus exercitus, quia ille occisus, qui altitudinis sex cubitorum & palmi, de stirpe *Gigantum* tanto armorum apparatu instructus, contemptor totius Exercitus *Israelitici*, gloriari poterea ut potuerit *David*, & dicere: *Dominus est illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? dum appropiant super me mali, ut edant carnes meas, qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt, & cadent. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Psalm. 27.*

v. 1, 2, 3. Ut quondam celebris fuit hæc victoria, ita consimilem spondet & promittit *Christus* suis cum dicit: *In nomine meo dæmonia ejicient.* de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

DIxerat *Christus* in genere signa esse secutura, ut itaque de Speciebus etiam constaret, recenset unam post alteram & primùm dicit: *In nomine meo dæmonia ejicient.* In quibus verbis observandum I. qui sint ejecturi. *Christus* dicit: *Credentes esse ejecturos*, per quos intelligit *Apostolos*, Viros apostolicos & Doctores, nec non alios primitivæ Ecclesiæ Christianos, illos, qui credebant in ipsum tanquam victoriosè à mortuis resurgentem, qui compleverit, quod dixit in viâ: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum & tertiâ die resurget. Matth. 20. v. 18, 19.* in ipsum tanquam in Cœlum ascendentem, qui compleverit, quod dixit vivus: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum. Johan. 20. v. 17.* in ipsum tanquam gloriosè regnantem, qui compleverit, quod coram *Pontifice* dixit: *A modo videbitis filium Hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cœli. Matth. 26. vers. 64.* II. Observandum, cujus virtute sint ejecturi. *Christus* dicit: *Illos ejecturos per nomen* illud supra omne Nomen. In græco legitur ἐν τῷ ὀνόματί μου, quod *Vulgatus* reddidit: *In nomine meo. Beza per nomen meum*, ut designaretur, unde tanta vis, tanta potestas, cujus beneficio hoc præstituri. Nomen autem *Christi* est ipse *Christus*, potentissimus Thaumaturgus, ut constat ex *Matth. 12. v. 21.* est ipse *Christus* cultu summo & divino afficiendus, ut constat ex *Psalm. 45. v. 18.* est ipse *Christus* per totum Orbem prædicandus, & per Evangelium manifestandus, ut constat ex *Matth. 10. v. 22.* III. Observandum, Quid ejecturi. Christus dicit: *Credentes ejecturos esse dæmonia.* Per dæmonia intelligit Spiritus malos, qui à Deo defecerunt, nec in Integritate primævâ *perstiterunt*, ut *Christus* docet *Johan. 8. v. 44.* Intelligit non unum, aut aliquos, sed plures & idcò

adhibet Numerum pluralem, ut indicet quasi *Exercitum sub uno Duce*, quales describuntur *Apoc. 12. v. 7.* intelligit potentes & fortes, adhibet enim verbum ἐκβαλεῖν, quod notat *vi hostili & potenti adversus potentem uti, & ejicere*, ut constat ex *Luc. 11. v. 19.*

L. D.

VIdemus, Quantum à Salvatore nostro virtutis & potentiæ redundarit in Ecclesiam suam. hoc docet ipse, dicens: *In Nomine meo dæmonia ejicient.* Insignis Virtus redundavit à Christo in Ecclesiam suam I. Subjectivè, quia credentes in ipsum acceperunt potestatem ejiciendi Dæmonia. Sunt enim illi credentes in *Christum* resurgentem, de quo *Paulus*, quòd *morte suâ destruxerit eum, qui habebat mortis imperium, id est Diabolum. Ebr. 2. v. 14.* item illi credentes in *Christum* ascendentem, de quo *Paulus*, quòd *captivam captivam duxerit, ascenderit & dederit dona hominibus, & descenderit in inferiores partes terræ. Eph. 4. v. 8, 9, 10.* sunt illi credentes in *Christum*, ad dextram Patris sedentem & regnantem hostibus suis omnibus & Diabolo dominantem, de quo *Paulus: Oportet illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus ejus, ultimus autem inimicus destruetur mors. 1. Corinth. 15. v. 25, 26.* Reliquerunt quidem *Israelitæ Pharaonem* suffocatum in Mari cum suo Exercitu, qui adhæserunt *Mosi* & illi crediderunt, sed non expulerunt & suffocarunt ipsi *Exod. 14. v. 30, 31.* At *Christiani* ejiciunt Dæmonia, credentes in illum, qui dixit: *De manu inferni redimam eos; de morte liberabo eos: ero pestilentia tua ô mors, ero lues tua ô inferne. Osee 13. v. 14.* Insignis Virtus redundavit à Christo in Ecclesiam suam II. Effectivè, quia credentes virtutem accipiunt à *Christo* & exercent, in Nomine illius agunt, efficaciter & expellunt. Ipsius Nomen est Nomen potentissimum, quod nos quoque facit potentes, ut dicat *David: Non est similis tui in Dis Domine, & non est secundùm opera tua: Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum, quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus. Psalm. 86. v. 8, 9, 10.* ipsum Nomen est Nomen adorabile, quod nos adorantes facit de ope certos, ut dicat

ut dicat *Paulus: Deus exaltavit Jesum, & donavit illi nomen super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & inferorum. Phil. 2 v. 9. 10.* ipsius Nomen est Nomen in toto Orbe splendidissimum, quod splendere facit Ecclesiam & membra illius in operibus admirandis, ut dicat *Esaias: In lætitiâ egredimini, & in pace educimini, montes & colles cantabunt coram vobis, jubilationem, & omnia ligna regionis plaudent manu; pro spinis adscendet abies, & pro urticâ crescet myrtus, & erit hoc Domino in nomen in signum æternum, non excindetur. cap. 55. v. 12, 13.* Debellarunt quidem *Israelitæ Cananæos* Duce *Josua* & expulerunt sedibus suis, verùm non exciderunt & penitus ejecerunt *Josuæ 12. v. 1. & seq.* At *Christiani* Israelitæ N. T: in nomine *Christi* expellunt & fortiter agunt in virtute illius, de quo *Esaias: Dominus ut Heros egredietur, sicut vir pugnator suscitabit zelum; vociferabitur & clamabit, super inimicos suos exfortabitur. cap. 42. v. 13.* Insignis Virtus redundavit à *Christo* in Ecclesiam 111. Objectivè, quia credentes in ipsum ipsa Dæmonia, Diabolos & *Sathanam* violenter ejiciunt. Ejiciunt illi illos Spiritus quondam præstantissimos, de quibus *Judas: Angelos, qui non servavêrunt principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit. vers. 6.* ejiciunt illi illos Spiritus numerosos, qui tanquam squamæ adhærent suo Duci, de quibus *Jobus: Magnificæ squamæ ejus sunt fortissima scuta, conjunctum squamis se prementibus; una uni conjungitur, & ne spiritus quidem incedit per eas. una alteri inhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. cap. 41. v. 6, 7, 8.* ejiciunt illi illos Spiritus potentes, de quibus *Paulus: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & potestates & adversus mundi rectores tenebrarum hujus seculi, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Eph. 6. v. 12.* Ejecerunt quidem *Jebusæos* cum claudis & cœcis Israelitæ, verùm saltem loco dejecerunt & sede, homines ejusdem conditionis, *2. Sam. 6. v. 8.* At *Christiani* expellunt & ejiciunt vi Dei & exuunt potestate non homines, sed Dæmonia, Spiritus robustissimos, respiciendo in illum, qui ipse dixit: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet, si autem fortior se superveniens vicerit eum, universa arma ejus aufert, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuit. Luc. 11. v. 21, 22.*

USUS I. DEHORT.

SI tantùm virtutis à Christo redundavit in Ecclesiam suam, caveamus, ne inter infideles computemur, qui ambulant ad ductum atri Spiritus *Eph. 2. v. 2.* talibus enim aliquando conquerendum: *Cadite super nos montes, & abscondite nos à facie sedentis super Thronum, & ab irâ agni, quoniam venit dies magnus iræ ejus, & quis poterit stare? Apoc. 6. v. 17, 18.* Caveamus, ne Nomen *Christi* ignoremus vel vilipendamus, ut in Verbo revelatum, patiamur nos excœcari, *ne fulgeat nobis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago DEI. 2. Corinth. 4. v. 4.* ne aliquando nobis accidat illud, *ut mittamur in stagnum ignis ardentis sulphure. Apoc. 19. v. 20.* Caveamus, ne huic forti domum paremus & cor inhabitandum præbeamus *Luc. 11. v. 25, 26.* ne aliquando nobis audiendum illud: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Matth. 25. v. 41.*

USUS II. ADHORT.

SI tantùm Virtutis à Christo redundat in Ecclesiam suam, studeamus, ut per fidem unicè adhæreamus Salvatori nostro, qui *accepit omnem potestatem, constitutus super omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem, & super omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed & futuro, cui Deus omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnia, ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & qui omnia in omnibus adimplet. Ephes. 1. v. 21, 22, 23.* Studeamus, ut illius Nomen in Verbo revelatum debitè veneremur, & dicamus: *Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ, justitiâ plena est dextera tua. Psalm. 48. v. 11.* Studeamus, ut *Diabolo* potentissimo Spiritui semper fortiter resistamus *confortati in Domino, & in potentiâ virtutis ejus, induentes armaturam DEI, ut possimus stare adversus insidias ejus. Eph. 6. v. 10. 11.*

USUS III. CONSOL.

SI tantùm Virtutis à Christo redundat in Ecclesiam, bono sint animo, quibus depugnandum in hâc vitâ ad *dextram & sinistram 2. Cor. 6. v. 7.* Si *Diabolus* agat contra nos *ignitis vibratis tentationum*, atque seducere nos gestiat, ut *Evam*, de quo 2. *Cor. 11. v. 3.* novimus nos esse credentes in *Christum*, qui porrexerit nobis *Clypeum fidei, ut illi eundem possimus opponere Ephes. 6. v. 16.* atque dicere: *Omne quod natum est ex DEO vincit mundum, & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. 1. Joh. 5. v. 4.* Si *Diabolus* agat contra nos per Nominis divini attentatam suppressionem atque excœcare gestiat & ducere *gestiat* ad suam *voluntatem ut impios 2. Timoth. 2. v. 26.* novimus nos in Nom ne divino confidere, illius, qui dixit: *Nunc est judicium mundi hujus; nunc princeps hujus mundi ejicietur foràs. Joan. 12. v. 31.* ut possimus dicere: *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus & exaltabitur. Prov. 18. v. 10.* Si denique vi perrumpere gestiat *Diabolus*, & *colaphizare* nos intendat, ut *Paulum 2. Cor. 12. v. 7.* novimus nos non tantùm esse pares uni Diabolorum, sed omnibus illum, qui in nobis, esse fortiorem toto Exercitu Dæmonum, *Semen Mulieris, quod contrivit caput serpentis Gen. 3. v. 15.* atque posse dicere: *DEUM brevi planè sub pedes nostros conculcaturum Sathanam Rom. 16. v. 20.* AMEN.

FERIA II. PENTECOSTES, JOH. III. ℣. 20.

Πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων, μισεῖ τὸ φῶς, καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ.

Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.

MAgnæ fuerunt & crassæ tenebræ, quæ quondam in Ægypto; operuerunt enim Ægyptios, totam terram occuparunt, & aerem tam tenebro-

brosum reddiderunt, ut nullus alterum videre aut loco movere sese potuerit, de quo *Exod. 10. v. 21, 22, 23.* Ingentes & profundæ fuerunt hæ tenebræ, quia circumfuderunt omnes & singulos Ægyptios. Erant *Ægyptii* populus idololatriæ totus deditus, ad cultum & venerationem omnium Creaturum usque ad cæpe & vile porrum pronus, superbus suæ voluntati litans, & tandem libidinibus impuris & voluptatibus fœdis inhians, quapropter tenebræ illos invadunt, lux verò *Israëlitas* circumfundit, qui tamen abominationi fuerunt *Ægyptiis*, quia pastores, ut nec conversari nec comedere cum illis voluerint, ut constat ex *Gen. 43. v. 32.* Ingentes & terribiles fuerunt tenebræ hæ, quia occuparant Terram, in quâ dominabatur Sathan princeps tenebrarum. Accesserant Pharaonem *Moses* & *Aaron*, & mandatum DEI proposuerunt *Pharaoni*, verùm ille caput opponit, pectus obfirmat & dicit: *quis DEUS ille Israelis?* habitabant *Jacobitæ* in *Ægypto* & nunc hunc nunc illum ad meliora incitabant; verùm frustra, ipsa miracula, quæ patrabantur, *Diabolus*, e idere & eludere tentabat suscitato *Janne* & *Jambre* cum cæteris Magis, qui *Mosi* sese oppositi fuerunt, ut tenebræ manserint incumbentes per triduum, Lux autem sola affecerit *Israelitas*, de quo 2. *Timoth. 3. v. 8.* Ingentes & profundæ fuerunt hæ tenebræ, quia Ægyptii Luci adversi. Secesserat in *Ægyptum Abraham*, & Lucem Verbi intulerat, secutus *Josephi*, qui *Principes erudiit*, ipsi *Jacobitæ*, ubi habitabant, & *Mosis* venerat, cui DEUS in luce & flammâ apparuerat, verùm cum odio habuerunt hanc lucem Verbi, quapropter illos terrent tenebræ & *Israëlitas* lux exhilarat solos, de quo *Sap. 17. v. 4. & Sap. 18. v. 1.* Ut quondam se res habuit in *Ægypto*, ita adhuc dum in hoc seculo, de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

QUanquam hoc Effatum *Christi* tale sit, cui conveniant etiam Gentilium *Euripidis* scil. *Xenophontis* & *Senecæ* sententiæ quoad verba, tamen alius & profundior sensus hîc continetur, quem ut evolvamus, observamus I. Quos adducat Christus. Dicit autem

πᾶς πεφύκασιν, adeoque notat omnem. Notat illum, qui non in præterito egit & conversus est, sed qui de *præsenti agens, omnis*, qui *intellectu suo ad istiusmodi respicit*, ut hæc vox usurpatur *Actor. 3. v. 17.* omnis, qui *voluntate suâ* ad talia *propendet*, ut hæc vox usurpatur *Job. 5. v. 29.* omnis, qui *Affectibus suis & conatibus Appetitus* in hæc *fertur* concitatus, ut hæc vox usurpatur *Luc. 23. v. 41.* II. Observandum, Quid talibus substernat. Dicit autem, *quisquis mala agit.* In græco est vox φαῦλα, quæ notat in plurali mala, talia quæ prava & perversa, & ut *Syrus* habet, odiosa mala, quæ à pravo corde producuntur, juxta illud *Christi: De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Matth. 15. v. 19.* quæ à pravo mundo seminantur, qui ubique corrumpere intendit, atque totus in *maligno positus est 1. Joh. 5. v. 19.* quæ tandem à *Diabolo* inspirantur, probantur, urgentur tanquam malo, à quo defendi pii desiderant 2. *Thess. 3. v. 3.* III. Observandum, Quomodo illorum statum describat. Dicit: *Quisquis mala agit, odit Lucem*, non dicit, fugit lucem, ut quidem impii obtenebris machinari & facinora vel inchoare, vel consummare, neque volunt, ut innotescat, quid illi agant, omnibus & singulis, sed dicit: *odit Lucem.* In græco est τὸ φῶς illam *Lucem mundi*, quæ *venit illuminare omnem hominem*, adeoque me. qui per Spiritum S. intendo ad agnitionem & detestationem mali illos adducere, ut sentiant Verbum Legis esse *Ignem Spiritus* & *Malleum conterentem Jeremiæ 23. v. 29.* qui per Spiritum S. intendo accendere in illis Lumen fidei, & propterea Evangelicam Lucem propono, ut *populus in tenebris sedens videat magnum Lumen & habitantibus in regione umbræ mortis lux oriatur. Esaiæ 9. v. 2.* qui per Spiritum S. intendo reformare illorum vires, facultates & membra, ut fiant filii Lucis, qui *fructus Spiritus exferant. Eph. 5. v. 9.*

L D.

VIdemus, Quantum distent à Filiis DEI, qui Spiritum S. acceperunt per Regenerationem, Filii seculi. Maximè distant Filii seculi à Filiis DEI. I. Subjectivè, si indolem illo-

illorum consideremus. sunt enim illi omnes & singuli Intellectu cæci, de quibus *Paulus : tenebris obscuratum habent intellectum, alienati à vitâ, per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, Eph. 4. v. 18.* sunt illi omnes & singuli Voluntate pravi, de quibus *Paulus : Conversati sunt in desideriis Carnis, facientes voluntatem carnis & cogitationum. Eph. 2. v. 3.* sunt illi omnes & singuli Affectibus effœnes, de quibus *Paulus : Semetipsos tradiderunt impuditiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritiam. Eph. 4. vers. 19.* Ut Exercitus Regum *Cananæorum* diversus fuit ab Exercitu *Josuæ*, quia ille cæcus ruit in perniciem, voluntate renisus fuit Voluntati divinæ & Affectibus ductus movit contra *Gibeonitas*, quem etiam die affulgente & Sole consistente *Josua* devicit *Josuæ 10. vers. 11, 12. & seq.* ita *Exercitus filiorum seculi* maximè diversus est ab Exercitu cœlestis *Josuæ*, quia cæcus, pravus & effœnis, & *& vanus in omni sensu suo, ut obscuratum sit insipiens cor ipsius, & faciat ea, quæ non conveniunt. Rom. 1. v. 21, 28.* Maximè distant filii seculi à Filiis DEI II. Objectivè, quia id, quod agunt quod moliuntur, exequuntur, non nisi malum, φαῦλα in plurali. Reguntur illi à Carne, quæ illos impellit ad φαῦλα, ut omnis *cogitatio illorum mala sit Gen. 6 v. 5.* reguntur illi à Mundo, qui illos invitat ad φαῦλα, ut *mundo se conforment 1. Johan. 4. vers. 5.* reguntur illi à *Diabolo*, qui illos regit & urget, ut *opus suum in illis exequatur Eph. 2. vers. 2.* Ut *Exercitus Sissaræ* fuit diversus ab Exercitu *Israelitarum* sub *Barak* fulgure militantium, quia habuit Rectorem *Jabin*, habitantem in *Hazor*, qui piorum *Tortor*, de quo *Judic. 4. v. 2. & seq.* ita *Exercitus filiorum seculi* maximè diversus est ab Exercitu cœlesti *Baraki*, quia regitur à carne, Mundo & *Diabolo*, cujus figura fuit hic *Jabin*, qui illum *habet ad nutum & ducit 2. Timoth. 2. v. 26.* Maximè distant filii seculi à filiis DEI III. Effectivè, quia illi odio habent Lucem Mundi *Christum*, qui per Spiritum intendit in illis agnitionem peccati ex Lege, quæ *Lux immutabilis Sap. 18. v. 4.* quia odio habent Lucem Mundi *Christum*, qui per Spiritum intendit in illis cognitionem salutarem *Messiæ* ex Evangelio claræ luce, de qua 2. *Corinth. 4. v. 4.* quia odio habent Lucem Mundi *Christum*, qui per Spiritum intendit in illis Lucem Honestatis, Lumi-

na virtutum, *quæ decent filios Lucis 1. Thess. 5. v. 5, & 8.* Ut *Exercitus Nahasi Regis Ammonitarum* diversus fuit ab Exercitu *Saulis*, quia odit Lucem, Mortem & somnum amavit, atque ideò Sole affulgente fuit oppressus *1. Sam. 11. v. 9, 10, 11.* Ita *Exercitus filiorum seculi* maximè diversus est ab Exercitu cœlestis *Saulis*, quia amat tenebras & odit Lucem & *nesciunt, quo ambulent, nesciunt quò eant, quia tenebræ occæcaverunt oculos ejus. 1. Joh. 2. v. 11.*

USUS I. DEHORT.

SI tantùm distant filii seculi à filiis DEI, caveamus, ne simus ex illorum numero, de quibus *Micha: Malum manuum suarum dicunt bonum: princeps postulat & judex propter retributionem: & magnus locutus est desiderium animæ suæ & intricant eam; qui optimus in eis est quasi paliurus, & qui rectus quasi Spina de sepe, cap. 7. vers. 3, & 4.* quid enim talibus expectandum præter angustiam, *& tribulationem in omnem animam Hominis operantis malum. Rom. 2. vers. 9.* Caveamus, ne simus ex illorum Numero, qui se submittunt regimini *Carnis Mundi & Diaboli*, atque tanquam in *catenâ cohærent ut squamæ Leviathanis Job 41. v. 6, 7, 8.* quid enim talibus expectandum præter societatem perpetuam cum *Diabolo: Ut pars illorum sit in stagno, ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Apoc. 21. v. 8.* Caveamus, ne Luci obluctemur, & Deo resistamus, odio habeamus & ex numero illorum simus, de quibus *Johannes: Lux in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt. cap. 1. v. 5.* quid enim talibus expectandum, præter ejectionem illam *in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Matth. 23. v. 13.*

USUS II. ADHORT.

SI tantùm distant filii seculi à filiis DEI, studeamus, ut gratâ mente Beneficium Regenerationis, per quam immutatæ sunt facultates nostræ, agnoscamus & dicamus: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, ut simus primitia aliquæ creaturarum ejus. ex Jacobi 1. v. 18.*

Seu-

Studeamus, ut pro Regimine Spiritus S. jugiter rogemus & dicamus: *Spiritus tuus bonus deducat me in terrâ rectâ propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tuâ.* ex *Psalm. 143. vers. 11.* Studeamus, ut Lucem Mundi ardenter & constanter diligamus & propterea in *Luce ambulemus, nox enim secessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergò opera tenebrarũ, & induamus arma lucis, sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis: non in contentione & æmulatione, sed induamus Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne faciamus ad desideria. Rom. 13. v. 12, 13, 14.*

USUS III. CONSOL.

SI tantùm distant filii seculi à filiis DEI, bono sint omnes animo, qui *filii DEI per fidem Johan. 1. v. 12.* Si etiam nostræ *facultates* non sint perfectè renovatæ & agnoscendum illud: *Quod operor non approbo, non enim, quod volo, hoc ago, sed quod nolo, illud facio.* ex *Romanor. 7. v. 15.* novimus *Intellectum* nostrum *perficiendum Luce, videmus enim nunc per Speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem, 1. Cor. 13. v. 12.* nostram voluntatem perficiendam sanctitate, *ut portaturi simus imaginem cœlestis Adami. 1. Corinth. 15. v. 49.* nostros Affectus perficiendos subordinationis Integritate cum omnibus membris, ut dicturi abjicientes Coronas: *Dignus es Domine DEUS noster, accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia & per voluntatem tuam sunt & creata sunt.* ex *Apoc. 4. v. 11.* Si in hac vita Imperium capessere tentet *Caro*, incitare Mundus, *Diabolus circumeat ut Leo rugiens, quærens quem devoret. 1. Petr. 5. v. 8.* novimus Corpus nobis dandum spirituale *1. Corinth. 15. v. 44. Mundum* transiturum, & *concupiscentiam ejus. 1. Joh. 2. v. 16. Diabolum* subjiciendum, ut dicturi: *Stimulus mortis peccatum est, virtus verò peccati Lex; itaque fratres mei dilecti stabiles estote, immobiles, abundantes, in Opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non sit inanis in Domino.* ex *1. Corinth. v. 56, 58.* Si denique *Lux* nostra *Christus* per nebulas calamitatum videatur intercepta, atque dicendum videatur: *Oppositi nubem tibi, ne transiret oratio.* ex *Threnor. 3. v. 44.* novimus in hac jam vita affulgere illam, *ut in eandem imaginem trans-*

transformemur à claritate in claritatem, tanquam à Domino Spiritu. 2. *Corinth.* 3. *v.* 18. affulsurum in morte, ut dicturi: *Dominus est illuminatio mea, & Salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* ex *Ps.* 27. *v.* 1. denique in Beatitudine æternâ, *ad illum civitatem, quæ non eget sole, neque lunâ ut luceant in ea; nam claritas DEI illuminabit eam, & lucerna ejus est agnus.* *Apoc.* 21. *v.* 23. AMEN.

FERIA JOHANNIS BAPTISTÆ, LUC. I. *vs.* 66.

Καὶ ἔθεντο πάντες οἱ ἀκούσαντες ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν, λέγοντες· τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται; Καὶ χεὶρ Κυρίου ἦν μετ' αὐτοῦ.

Et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes: Quidnam puer hic erit? Et manus Domini erat cum illo.

Singularis planè fuit Nativitas, status & progressus quondam Simsonis, Filii solis, ex tribu Dan oriundi, annunciavit enim illius nativitatem Angelus, fuit Nasiræus & tandem manum Spiritumque Domini potentem sensit, de quo *Judic.* 13. *v.* 5. Singularis fuit nativitas hujus Simsonis. Erat Mater ejus sterilis per naturam, Pater vir illustris in tribu *Dan*, tempus in quo vivebant ambo, calamitosum, quapropter miseretur illorum & suipopuli DEUS, facit, ut singulari modo concipiatur Simson, & prænunciat illus Nativitatem; accessit enim Angelus Domini, & *Manoam* testo illavit, atque instruxit, cujus *nomen mirabile, idem* scil. ille Angelus, qui quondam apparuit *Abrahamo* stipatus duobus in Viri formâ, de quo *Gen.* 18. *v.* 2. Singularis fuit status hujus Simsonis. Erat hic nascendus a DEO peculiariter electus, & magnis destinatus actibus, quapropter debuit comam alere, abstinere à vino & Sicerâ, cibisque immundis & temperantem se exhibere, quia *Nasiræus* ex Utero, quorum erat aliis præfulgere in populo, veste uti singulari, atque DEO sese dicatos exhibere, ut exponitur etiam *Numer.* 6. *v.* 4.

v. 4, & 5. Singularis fuit denique providentia divina circa hunc Simsonem. Natus enim sensim cæpit explicare dotes & opes Animi; crevit enim ex singulari benedictione divinâ, in primis annis & flore Juventutis; ostendebat vires divinitus datas, unde Manus Domini super ipsum & Spiritus divinus eundem animavit, incitavit in castris *Daniticis*, ut deprehensum sit, illum revera DEO esse curæ, potenter agitari, conservarique ab eodem, & quod de Judicibus generatim dictum, illud etiam de eo in specie dici potest, *quòd ossa illius adhuc vireant Syrach. 46. v. 14.* Ut quondam singularia emicuerunt in Simsone, ita comparia in *Johanne Baptista*, cujus memoriam hodiè celebramus, unde etiam illi, qui audiverunt illa, quæ circa ipsum contigerunt, admirabundi non tantùm illa conservarunt, sed & dixerunt: *Quis putas puer iste erit?* de quo σὺν Θεῷ.

EXEGESIS.

EGregiè & secundùm singulas circumstantias hactenus recensuit nativitatem *Johannis Baptistæ Lucas*, antecedentia referendo, ipsam describendo & consequentia subjungendo, inter quæ etiam hæc Verba leguntur. I. Et posuerunt in corde suo, adeoque indicare voluit, præsentes & audientes posuisse in corde suo, menti impressisse, non vanos rumores judicasse, reputasse apud animum, & studiosè considerasse, quæ divulgata de illius conceptione miraculosâ, quòd Cil. Angelus apparuerit *Zachariæ*, eamque annunciarit, unus ex illis qui *DEO assistunt Psalm. 103. v. 20.* quòd ille in Utero subsilierit, atque gaudio spirituali contestatus fuerit *Messiæ* præsentiam, ad quam ita anhelarunt magno desiderio Patres V. T. dicentes: *Quis dabit ex Sion salutem populo Israel? cùm averterit Dominus captivitatem plebis suæ exultabit Jacob, lætabitur Israël.* ex *Psalm. 14. v. 7.* quòd tandem natus & in Lucem editus ita, ut Pater qui mutus hactenus erat, postulando pugillarem locutus fuerit, nomen imposuerit DEO vinculum linguæ solvente, ut cum *Davide* gloriari posuerit: *Benedicam Dominum omni tempore: semper laus ejus in ore meo.* ex *Psalm. 34. vers. 2.* Secundò leguntur hæc Verba dicentes: quis putas puer iste erit? Portendunt hæc aliquid, quæ circa tam vivacem hujus pueri facta sunt, omnia sunt in futurum, quis-

nam putas puer iste erit? quantus quæso Vir? quantus Propheta? quantus minister Domini? nec fefellit illos Opinio, cùm fuerit magnus, illustris Doctrinâ tanquam novus præco conticescente *prophetarum* choro, secundùm illud: *Lex & prophetæ usque ad Johannem. Lucæ 16 v. 16.* illustris Medii baptismatis propositione, collatorque, cùm ideo sese centulerit ad *Enon*, de quo *Johan. 3. v. 23.* illustris denique singulari vitæ genere & probitatis Exemplo, de quo *Matth. 3. v. 4.* Tertiò leguntur hæc Verba, **Etenim manus Domini erat cum illo.** redditur ratio, quæ exponitur *versiculo 80.* adeoque indicare voluit *Lucæ*, singularem quandam virtutem apparuisse in illo, dotes admirandas reluxisse, afflatum quendam *superiorem* sese prodidisse, fuisse cum illo manum Domini potentem, quæ celebratur à Robore *Exodi 3. v. 19.* fuisse cum illo manum benignam, quæ commendatur à favore & Beneficentiâ *Deuteronomii 33. vers. 2.* fuisse cum illo manum Domini dirigentem & ducentem, quæ celebratur à divino regimine *2. Reg. 3. v. 15.*

L. D.

VIdemus, Quid sentiendum de illo, cujus nomen, & memoriam celebramus hoc die festo, quanti sit æstimandus Johannes Baptista, qui tempus hoc numine suo insignit. Magni æstimandus est Johannes Baptista I. ex admirandorum prolusione. Si enim attendimus ad illa, quæ circa ipsum contigerunt in exordio vitæ, deprehendemus accurate meditando, illius conceptionem esse annunciatam ab *Angelo*, ut utique deberet illum esse verum illum *Angelum*, de quo quondam *Malachias: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad Templum suum dominator, quem vos quæritis. & Angelus testamenti, quem vos desideratis. Malach. cap. 3. vers. 1.* deprehendemus accuratè meditando illius Exultationem in Utero ostendisse ipsum se esse paranymphum. *Messiæ*, qui is fit dixit: *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi: hoc ergò gaudium meum impletum est. Joh. 3. v. 29.* deprehendemus accuratè meditando solutionem linguæ Patris Baptistæ

à DEO

à DEO, ut ostenderetur illum esse Vocem illam extraordinariam, de quâ *Esaias: Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas DEI nostri. cap. 40. vers. 3.* Ut providentia DEI admiranda circa Nativitatem *Moysis*, & præluſit dignitati ſingulari in populo DEI, de quo *Exodi 2. v. 1, 2, 3. & ſeq.* ita quoque illa, quæ circa nativitatem Johannis contigerunt, præluſerunt Dignitati illius, quòd ſcil. Lux quædam fulgida *Joh. 5. v. 35.* Magni æſtimandus eſt *Johannes Baptiſta* II. ex ſtatus Conditione, factus enim eſt hic puer Doctor inſignis, qui clamavit: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, de quo *Matth. 3. vers. 1. & 2.* factus eſt hic puer *Baptiſta* inſignis, qui ipſe apud *Johannem: Ego baptizo in aquâ &c. cap. 1. v. 26.* factus eſt hic puer Exemplum vitæ ſingularis, de quo ipſe *Chriſtus: Venit Johannes, neque manducans neque bibens. Matth. 11. vers. 18.* Ut Vir plane ſingularis Doctrinâ & vitæ genere fuit *Elias*, qui quondam habitavit prope flumen *Crith*, *qui ſurrexit quaſi ignis, & verbum ejus quaſi facula ardebat.* de quo *Syrach. 48. vers. 1.* ita ſingularis planè Propheta & Doctor fuit *Johannes*, de quo ipſe *Chriſtus: Non major fuit, qui ex mulieribus natus quàm Johannes Baptiſta. Matth. 11. vers. 11.* Magni æſtimandus eſt *Johannes Baptiſta* III. ex Domini Dilectione. Erat enim cum ipſo manus DEI potentiſſima, ut imperterritè potuerit dicere: *Progenies viperarum, quis monſtravit vobis fugere à venturâ irâ.* ex *Matthæi 3. v. 7.* erat cum ipſo manus DEI benigniſſima, ut *Herodes* quoque *ipſum libenter audiverit Marc. 6. v. 20.* erat cum ipſo Manus DEI conſtantiſſima, quæ duxit ubique & ſemper afflatu ſingulari, ut *Chriſtus* dixerit: *Quid exiſtis videre Prophetam? etiam dico vobis, plus quàm prophetam Matth. 11. v. 9.* Ut quondam Manus divina fuit ſuper *Ezechielem* ad flumen *Chobar*, quæ potenter egit & benignè, & duxit *Ezech. 1. v. 3.* ita manus Domini fuit cum *Johanne*, & ſuper eum ut feliciter cæpta citra remoram conſecuta ſint progreſſum, & populus illum inſecutus fuerit turmatim *Luc. 7. v. 29.*

USUS I. DEHORT.

SI tanti æstimandus Johannes & qui vestigiis illius insistunt, peccant, qui hunc admirando modo natum non attendunt, sed cum impiis contemnunt, ut *Christus* exprobrat *Judæis*: *Venit ad vos Johannes in viâ justitiæ, & non credidistis ei, publicani autem & meretrices crediderunt ei, vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis, ut crederetis ei. Matth. 21. v. 32.* sanè tales dicuntur singulariter rei, & digni, ut *domus illorum deserta relinquatur Matth. 23. v. 38.* Peccant, qui hunc virum singularem in consimilibus persequuntur & contemptui ducunt Baptismum illius cum *pharisæi*, & legatis illorum, dicentes: *Quid ergò baptizas, si tu non es Christus, neque Helias, neque propheta? Johan. 1. vers. 25.* sanè tales dicuntur *aspernati esse consilium DEI adversus seipsos, Luc. 7. vers. 30.* Peccant, qui hunc, cum quo manus Domini, invadunt & cum *Herode* ipsam mortem intentant *Matth. 14. v. 10. & seq.* sanè tales dicuntur facere, non quod DEUS vult, sed quicquid illi volunt *Matth. 17. vers. 12.*

USUS II. ADHORT.

SI tanti æstimandus Johannes, & qui vestigiis illius insistunt, studeamus, ut illos, quos DEUS etiam à nativitate quasi destinavit in voces clamantes, lubenter audiamus atque dicamus: *Nunc adsumus omnes in conspectu tuo audire omnia, quæcunque tibi præcepta sunt à Domino.* ex *Actor. 10. v. 33.* Studeamus, ut illos, qui baptizant, admittamus, atque cum *Eunucho* dicamus: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Actor. 8. v. 36.* Studeamus ut illos, cum quibus est manus Domini, revereamur, atque dicamus: *Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam & manete.* ex *Act. 16. v. 15.*

USUS III. CONSOL.

SI tanti æstimandus Johannes & qui vestigiis illius insistunt, bono sint animo, qui cum *Johanne* observant illud: *Sol-*

licit

licitè cura teipſum, probabilem exhibere DEO, operarium in confuſibilem, rectè ſecantem verbum veritatis. 2. Tim. 2. v. 15. Si obſtrepat ſuperba *Hieruſalem* montanis *Ephraim*, mundus origini præconum, atque æſtimet tales *pro retrimentis 1. Corinth. 4. v. 14.* norunt illud *Pauli: Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi Deus elegit, ut confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. 1. Cor. 1. v. 26, & 27.* vocem illorum efficacem redditurum DEUM, juxta illud: *Ecce dabit voce ſuâ vocem virtutis. Pſalm. 68. v. 34.* Si propria *Caro* obſtrepat & illud inſinuet: *Ah Domine Deus; ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Jerem. 1. v. 6.* norunt ex pueris etiam Viros fieri & DEUM facere illud: *Si ſeparaveris precioſum à vili, quaſi os meum eris, convertentur ipſi ad te, & tu non converteris ad eos. Jerem. 15. v. 19.* facturum DEUM illud: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti robur propter inimicos tuos. Pſalm. 8. v. 3.* Si denique *Satanæ* manus adducat in Theatrum Vitæ perverſa loquentes, obſtrepat Eccleſiæ genuinis miniſtris, *ut exurgant viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. Actor. 20. verſ. 30.* norunt manum Domini fore ſecum, & DEUM facere, ut gloriari poſſint: *Ego ſemper tecum ſum, tenuiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me, & poſtea cum gloriâ ſuſcepiſti me. Pſalm. 73. verſ. 23, 24.* facturum DEUM, ut in contemptum productis falſis Doctoribus illi æternum triumphent cum *Johanne*, atque coronam illam immarceſſibilem accipiant, de quâ *1. Petr. 5. verſ. 4.*

AMEN.

IN FERIIS PETRI ET PAULI, MATTH. XVI. ψ. 19.

Καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

Et dabo tibi claves regni cœlorum: & quicquid alligaveris in terrâ, erit alligatum in cœlis: & quicquid solveris in terrâ, erit solutum in cœlis.

INsigne quondam fuit Ministerium, quod commissum Josepho in domo Potipharis, dum ille eundem designavit Oeconomum, omnem curam in illum transtulit, atque ita ad felicitatem suæ familiæ probè collimavit. de quo *Gen. 39. v. 4.* Insigne fuit Ministerium Josephi, lectus quippe & emptus à Domino domus ad hoc. Erat *Joseph* juvenis pientissimus, ductus singulari providentiâ DEI in *Ægyptum*, moribus probè compositis; quapropter attendendo ad illius ingenium *Potiphar* Princeps, Vir satellitum ipsum ministrum constituit primarium, cubicularium, & super universam domum administratorem, quales fuerunt aliàs illis, qui familiæ abundantis, ut patet Exemplo *Abrahami Eliezerum* ita constituentis *Gen. 15. v. 2.* Insigne fuit Ministerium Josephi, commissa enim fuit illi cura & inspectus in domum & omnia illius. Habebat quidem alios etiam servos & ancillas hic *Potiphar*, verum illæ non tantæ fuerunt dignationis & versabantur in agris & villis, unde notanter dicitur fuisse *Josephum* in domo Domini sui, hoc est fuisse præfectum toti domui, habuisse potestatem aperiendi & claudendi fores, admittendi vel excludendi hospites, dispositionem plenam circa illa, quæ ad Oeconomiam pertinebant, quemadmodum *Abraham* quidem etiam plures habuit vernas & ancillas, in quibus tamen eminuit *Eliezer*, de quo *Gen. 24. v. 14.* Insigne denique fuit Ministerium Josephi, accepit enim potestatem illam in felicitatem familiæ. Domi-

dini

dixit DEUS domui *Potipharis* largiter, quapropter animadvertens hoc ipsum *Potiphar*, omnia credidit *Josepho*, hilari agens animo, cùm omnia tenderent in incrementum opum sub illius manu, in felicitatem familiæ universæ & singulorum, ut sub inspectione & curâ *Eliezeri Damasceni* omnia etiam in familiâ *Abrahami* prosperè evenirent, ebuccinante hoc ipso *Eliezero* & dicente: *Non comedam, donec loquar sermones meos. Gen. 24. v. 33.* Ut quondam insigne fuit Ministerium, quod commissum *Josepho* in domo *Potipharis*, ita in domo DEI, quæ *Ecclesia* vocatur, nobilius quiddam deprehenditur, ad quod *Christus* respicit in præsenti Evangelio, cùm dicit: *Dabo tibi claves Regni cœlorum, & quicquid alligaveris in terrâ, erit alligatum in cœlis: & quicquid solveris in terrâ, erit solutum in cœlis.* de quo ex. Sect.

EXEGESIS.

Dignus memoratu hactenus protulerat *Salvator* dicendo: *Ecclesiam suam conservandam adversus portas inferni:* cùm verò necessarium eidem Ministerium Ecclesiasticum, in hunc etiam finem, quapropter addit: *Et dabo tibi claves Regni cœlorum, & quicquid alligaveris in terrâ, erit alligatum in cœlis: & quicquid solveris in terrâ, erit solutum in cœlis.* In quibus verbis observandum I. Cui aliquid promittat. Is verò est *Petrus* directè, & quoad actum compellationis, omnes verò & singuli *Apostoli* in illo, qui æquè cum ipso vocati ad *Apostolatum* & Ministerium sacrum *Matth. 10. v. 1.* qui omnes & singuli crediderunt, quod *Petrus* & quorum Nomine illam illustrem confessionem fidei ediderat, & propterea etiam circa discessum *Magistri* dixerunt: *Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus tibi est, ut te quis interroget, in hoc credimus, quia à DEO existi. Joh. 16. v. 30.* qui omnes & singuli in Orbem missi, ut proponerent hoc Dogma salutare de Persona & Officio *Christi*, quibusque post resurrectionem dictum est: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Matth. 28. v. 19.* II. Observandum Quid promittat. Dicit autem, *dabo claves.* Per *claves* non intelligitur plena potestas Ecclesiam regendi, ut volunt *Pontificii*, sed claves œconomicæ, claves doctrinales, cùm in *Judaismo* tum temporis con-

ris consuetum fuerit in Doctoratu cum pugillaribus exhibere claves, quo quidem *Christus* respexit *Luc. 11. v. 52.* claves domesticæ aperiendi fores Ecclesiæ, vel etiam occludendi & excommunicandi, quâ quidem clave usum constat *Paulum* circa incestuosum *1. Cor. 5. v. 5.* claves denique sacramentales, cùm ad cœnam illi tantùm admittendi, qui probant seipsos & etiam ad hoc attendendum secundum illud *1. Cor. 11. v. 28.* III. Observandum, Quale promittat. Vocat autem illas claves, *claves Regni cœlorum*, in quo quidem Regno *Christus* Sceptrum tenet, de quo quondam *David*: *Sceptrum virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Psalm. 110. v. 2.* in quo Spiritus S. membra coadunat *1. Corinth. 12. v. 13.* in quo denique omnia tendunt in spem Regni illius gloriosi & vitæ æternæ, ubi *erimus semper cum Domino 1. Thess. 4. v. 17.*

L. D.

VIdemus, Quàm preciosa sit clavis, quæ deposita Ecclesiæ commissa Ministerio. Preciosa est Clavis commissa Ministerio I. Materialiter, si consideremus subjecta, quibus ea concredita; sunt enim illi vocati à DEO & constituti à *Christo*, qui *dedit quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad præparationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Ephes. 4. v. 11, 12.* sunt illi fide veræ instructi, & dicentes cum *Petro*: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus filius DEI. Joh. 6. v. 68. 69.* sunt illi præsides Ecclesiarum passim in toto Orbe, quibus *commissa cura gregis Actor. 20. v. 28.* Ut quondam insigne fuit *Ministerium Eliæ*, quia vocatus fuit ab *Elia*, inde & confessione se illustrem exhibuit in perturbato rerum Ecclesiæ statu, & tandem constitutus in Episcopum Ecclesiæ *Israelitica*, in qua ambularet totam regionem *2. Reg. 19. v. 19.* ita quoque insigne est *Ministerium* & *clavis*, quæ eidem commissa est, quia illis concredit, qui vocati, fide instructi & Ecclesiis præfecti, quos Spiritu prævidit *David* dicens: *Pro Patribus tuis contingent tibi filii, constitues eos Principes in universam terram. Psalm. 45. v. 17.* Preciosa est Clavis

vis commissa Ministerium II. Formaliter, consistit enim illa in docendo, dum aperiuntur mentes hominum, unde *Paulo* docente apertum fuit *cor Lydiæ Actor. 16. v. 14.* Consistit illa in aperiendo vel claudendo fores Ecclesiæ, unde *Paulo* exerente illam potestatem exclusus fuit *incestuosus 1. Cor. 5. v. 3, 4, 5.* consistit illa in admittendo ad sacram Syntaxin & Cœnam, mysteria gratiæ, unde *Paulo* dicente ministri eidem conformiter habendi *1. Cor 4. vers. 1.* Ut quondam insigne fuit Ministerium *Elisæ*, quia potuit verbo ad corda penetrare, Ecclesiæ fores aperire vel claudere, nec non ad mysteria V. T. admittere ad Exemplum Magistri, qui *cœlum clausit & aperuit Sirach 48. v. 13, 14.* Ita quoque insigne est *ministerium & clavis*, quæ ministris competit, quia ad corda penetrat, fores aperit & claudit, ad sacra admittit secundum illud *Christi: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Joan. 20. v. 23.* Preciosa est Clavis commissa ministerio III. Causaliter, quia prodest ad regnum cœlorum, vergit ad illud ex intentione divinâ, viget enim in Ecclesiâ, in quâ *Christus* regnat, de quo *David: Sceptr. tua Deus in seculum seculi, virga directionis virga regni tui, dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Psalm. 45. v. 7, 8.* viget in Ecclesiâ, in quâ Spiritus Domini animat, vegetat & membra coadunat, de quo *Paulus: Unum corpus & unus Spiritus, sicut & vocati estis in una spe vocationis vestræ. Ephes. 4. v. 4.* viget in Ecclesiâ, in quâ spes vitæ æternæ, ad quam collimat, de quo *Petrus: Fratres satagite, ut per bona opera firmam vestram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non labemini aliquando. Sic enim abundanter vobis ministrabitur introitus in regnum æternum Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi. 2. Epistola 1. v. 11.* Ut quondam insigne fuit ministerium *Elisæ*, quia tendit ad regnum cœlorum, ad illam felicitatem, quam adiit *Elias* sublatus de terrâ in cœlum 2. *Reg. 2. v. 11.* ita quoque insigne est ministerium & clavis, quæ viget in Ecclesia, quia pervenire facit ad regnum cœlorum, quod descripsit *Philo: Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces illorum, & cogitatio eorum apud Altissimum; ideo accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini, quoniam dextrâ suâ teget eos, & in brachio tuo sanctificabit illos. Sap. 5. v. 16, 17.*

USUS I. DEHORT.

SI tam preciosa est Clavis commissa Ministerio, male agunt, qui, cùm illis DEUS eam vult conferre per vocationem, detrectare moliuntur & cum *Jona fugere volunt*, de quo *Jona 1. v. 3.* memores illi deberent esse illius: *Leo rugivit, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? Amos 3. v. 8.* male agunt, qui clavem docendi & ligandi nolunt ipsis congruere propter juventutem, quia potius ipsi *docendi*, & dicunt cum *Jeremia: Domine Deus ego nescio loqui, quia puer sum. cap. 1. v. 6.* memores illi deberent esse illius *Christi: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri. Luc. 21. v. 15.* malè agunt, qui, quia impuritatem in seipsis deprehendunt, putant non posse se liberare ab impuritate & ad regnum cœlorum perducere, & dicunt cum *Esaia: Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum Exercitum ego vidi oculis meis. cap. 6. v. 6.* memores illi deberent esse illius *Pauli: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas virtutis sit DEI, & non ex nobis. 2. Cor. 4. v. 7.*

USUS II. ADHORT.

SI tam preciosa est Clavis commissa ministerio, studeant omnes & singuli, ut, si vocantur à *Christo* ad accipiendam hanc Clavem, eidem se submittant, dicentes cum *Samuele: Loquere Domine, audit servus tuus. 1. Sam. 3. v. 10.* Studeant omnes & singuli, ut Clavem hanc tanquam fideles Oeconomi exerant ad monitum *Pauli: Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, increpa, exhortare in omni longanimitate & doctrinâ. 2. Tim. 4. v. 2.* Studeant omnes & singuli, ut per hanc Clavem ad regnum cœlorum suæ fidei commissos perducant, ingeminantes illud: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. 1. Pet. 2. v. 9.*

USUS

USUS III. CONSOL.

Si tam preciosa est Clavis commissa Ministerio, bono sint animo hâc instructi, tanquam *Oeconomi variorum donorum DEI 1. Pet. 5. v. 10.* Si *Vocationis Status* videatur esse durus & dicendum cum *Jeremia: Persuasisti mihi Domine, & persuaderi passus sum, fortior me fuisti, & invaluisti; factus sum in derisum totâ die, omnes subsannabant me.* ex *cap. 20. v. 7.* norunt, qui vocavit, etiam vires additurum, conservaturum in fide atque completurum illud promissum: *Si reversus fueris, tum convertar ad te, & ante faciem meam stabis, & si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris, convertentur ipsi ad te, & tu non converteris ad eos. & dabo te populo huic in murum æneum, expugnabunt, & bellabunt adversum te, & non prævalebunt, quia ego tecum sum, ut salvem te, & eruam te, dicit Dominus, & liberabo te de manu pessimorum, & redimam te de manu tyrannorum. Jerem. 15. v. 19, 20, 21.* Si *Clavis Abyssi* data aperit viam *Anti Christo*, de quo *Apoc. 9. v. 1. & 2.* norunt sese habere veram Clavem doctrinæ & disciplinæ, assistere illis illum *Christum*, qui Clavem habet, & dicit: *Hæc dicit Sanctus & verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit: Claudit & nemo aperit; Scio opera tua, ecce dedi te coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem. Apoc. 3. v. 7, 8.* Si denique via hujus seculi lata non ducat ad *regnum cœlorum*, *sed exitium*, *Matth. 7. v. 13.* norunt tamen sese aperire viam suis ad cœlum, observare illud *Pauli: Attende tibi & doctrinæ, perstа in illis; hoc enim faciens & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. 1. Tim. 4. v. 16.*

AMEN.

FERIA JACOBI, MATTH. XX. ℣. 23.

Καὶ λέγει αὐτοῖς, Τὸ μὲν ποτήριόν μου πίεσθε, καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε· τὸ δὲ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου, καὶ ἐξ εὐωνύμων μου, οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου.

Ait illis, Poculum quidem meum bibetis, & baptismate quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dextram meam & sinistram non est meum dare, sed iis continget, quibus paratum est à Patre meo.

NOn sine periculo, metu & tremore quondam Israelitæ pertransiverunt mare rubrum; Ægyptii enim illos odio habuerunt; Pharao eosdem fuit prosecutus & cum Mose erant in oculis illorum abominatio, victima cædenda secundum illud, *Exodi 14. v. 9, 10,* Non sine periculo, metu & tremore Israelitæ transiverunt hoc Mare, quia populus DEI & invisi propterea Ægyptiis. Erant hi filii *Jacobi*, DEI primogenitus, quem elegerat in peculium, habebant per patriarchalis manus adhuc Lipsana sacra, & verbi divini reliquias, transibant cum ipso & erant in via constituti ad terram *Canaan*, quapropter Ægyptiis sunt invisi. Odii victima publica, postquam per aliquod tempus erant in Ægypto, ostendente hoc *Davide: Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & malum machinarentur in servos ejus. Psal. 105. v. 25.* Non sine periculo, metu & tremore Israelitæ transiverunt per Mare rubrum, quia Pharao ipsos fuit persecutus. Attigerant pedibus fundum Maris, ante medium noctis divisæ aquæ instar murorum sese exhibuerant, *Aminadab* cum tribu *Juda* initium fecerat; quapropter insequitur illos *Pharao* exacerbatus, cum Exercitu suo intendit illos prehendere, & vel denuo in Servitutem reducere, vel etiam sanguinem illorum cum hoc Mari rubro miscere, quod procul dubio etiam obtinuisset, ni DEUS obstitisset.

stitisset, atq; duxisset populum suum per hoc Mare, *qui in luce stellarum per noctem transtulit illos per mare rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam; inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine profundorum eduxit illos. Sapientiæ 10. v. 18, 19.* Non sine periculo, metu & tremore transiverunt hoc Mare Israelitæ, quia non meliores erant Ægyptiis, quàm Ductor illorum Moses. Erant hi filii & Genus *Jacobi*, erant Israelitæ Affectæ *Mosi*, submiserant sese illius Ductui & regimini, secuti fuerant exeuntem ex *Ægypto*, quapropter idem imminet illis quod *Mosi*, qui ab alio priore Rege in aquam fuit missus, ut suffocaretur, de quo *Stephanus Actor. 7. v. 19.* Ut quondam *Israelitæ* transiverunt per Mare rubrum, ita de consimili transitu & Baptismo loquitur *Christus* in Evangelio prælecto dicens: *Baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini.* de quo *vide Θεῶ.*

EXEGESIS.

Duplici sermone figurato *Salvator* noster usus est in Responsione ad filios *Zebedæi*, dum non tantùm dixit: *Calicem quidem meum bibetis, sed etiam baptismate, quo ego baptizor, baptizabimini.* In quibus Verbis posterioribus observandum I. ad quos loquatur. Loquitur autem ad fratres illos duos, qui ipsum compellarunt, quos è Mundo pridem selegerat, sibi appropriarat & Discipulos constituerat, ut constat ex *Matth. 10. v. 2.* quos propter zelum in prædicando & agendo ipse vocaverat *Boanergem*, filios tonitrus *Marc. 3. v. 17.* quos denique habuit comites in Viâ versus *Jerusalem*, ultimo itinere ad passionem & mortem, atque unà cum cæteris Apostolis dein meliora docuit *Luc. 22. v. 25, 26.* II. Observandum Quid loquatur. Dicit autem: *baptizabimini*, loquitur de Baptismo crucis & tribulationum, atque prædicit illis, quid futurum sequenti tempore, quòd scil. Reges & Principes, tum inter *Judæos*, tum inter gentiles illos essent persecuturi, odio habituri & *pingues* contra *ipsos* ut *Psalm. 17. v. 10, 11.* quod *Herodes Agrippa* Nepos *Magni* anno ab hinc undecimo injecturus manum *Jacobo*, eum prehensurus & tandem supplicio capitali affecturus, de quo *Actor. 12. v. 1, & 2.* quòd *Domitianus* in secundâ persecutione Christianorum *Johannem*

non tantùm tanquam Christianum & unctum Oleo ferventi sit immissurus, sed & Episcopum Ecclesiæ *Ephesinæ* loco moturus & relegaturus in Insulam maris *Ægæi Pathmon*, de quo ipse *Apoc. 1. v. 9.* III. Observandum Quomodo loquatur. Dicit: *Baptismo quo ego baptizor & vos baptizabimini*, dicit suo baptismo illos esse baptizandos, non in quantum λύτρον pro genere humano sufficientissimum, qua ratione hic Baptismus soli Christo proprius, sed qua ratione notat passionem & mortem, in quâ conformandi sint tanquam membra suo capiti, & vocat hanc passionem, Baptismum, quia sanguine esset perfundendus, ut quidem cæpit talis copiosè stillare in horto *Luc. 22. v. 44.* quia omnia membra & totum Corpus affectura esset illa passio, ut & manus & pedes perforarentur & latus etiam post obitum lancea perfoderetur *Joh. 19. v. 34.* quia tandem fluctus tribulationum illum ita oppressuri, ut etiam occultandus in sepulchro, de quo *Matth. 27. v. 60.*

L. D.

Videmus, Quomodo adhuc dum filios DEI maximè verò Ministros Ecclesiæ oporteat in cruce & tribulatione conformari Imagini Filii Unigeniti. Hoc docet ipse Christus dicens: *Baptismo meo & vos baptizabimini.* Conformari oportet filios DEI electos in cruce imagini *Filii* secundum explicata I. ex status Conditione, quia illi Christiani & proin seculo exosi, sunt enim illi Discipuli *Salvatoris*, de quibus ipse: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum; sufficit Discipulo, ut sit sicut Magister ejus, & servo sicut Dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus! Matth. 10. v. 24, 25.* sunt illi *Buebargem*, qui tonitrua mittunt legis, peccata & pus illorum tangunt, de quibus *Amos; Odio habebant corripientem in portâ, & loquentem perfectè abominati sunt. cap. 5. v. 10.* sunt illi comites *Christi*, qui ipsum sequuntur in Via versus *Hierosolymam*, de quibus ipse: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matth. 16. v. 24.* Ut sic conformavit *Elisæ Eliæ*, Discipulus Magistro, quia erat Discipulus Zelo Spiritus quoque armatus & secutus illum ad *Jordanem* usque, de quo

2. Reg.

2. *Reg.* 2. *v.* 6, 7, *& seq.* ita sese conformant imagini *Filii, filii DEI*, quia sunt Discipuli *Christi*, Magistri, zelo ardent & in via contendunt crucis ad patriam, ut *Christus* proinde dicat: *Si de mundo fuissetis; mundus, quod suum erat diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Johan. 15. v. 19.* Conformari oportet filios DEI imagini filii in Cruce II. ex Baptismi destinatione, quia illis in Baptismo *Lucis* destinatus quoque est Baptismus *crucis;* expectat illos quandoque Baptismus persecutionis, juxta illud: *Adstitérunt Reges terræ, & principes consultant simul, adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Psalm.* 2. *v.* 2. expectat illos quandoque Baptismus sanguinis & mortis, juxta illud: *Propter te mortificamur totâ die; æstimati sumus sicut oves occisionis. Psalm. 44. v.* 23. expectat illos quandoque Baptismus Exilii & ejectionis in terram peregrinam, juxta illud: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion, in salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra, Ps. 137. v. 1, & 2.* Ut sese conformarunt *Heroes Davidis* Voluntati Domini, quia adierunt fontem *Bethlehemiticum*, ubi Principes hostium *Philistæorum*, vitæ periculum & metus depulsionis, ut etiam *David* dixerit: *Prohibeat mihi Dominus, ne faciam hoc, num sanguine hominum istorum, qui profecti sunt cum vitæ suo periculo, bibam? 2. Sam. 23. v. 16, 17.* ita sese conformant *filii DEI* imagini *Filii*, quia baptizantur persecutione, sanguinis missione & exilio, ut illis dicendum: *Probásti nos DEUS, igne nos examinavisti, sicut examinatur argentum. induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, vehi fecisti homines super capita nostra; transivimus per ignem & aquam*, ex *Psalm. 66. v. 10, 11, 12.* Conformari oportet filios DEI imagini *Filii* in cruce III. ex Exemplaris prolusione, quia *Christus* primùm hunc Baptismum sustinuit & ita illis præluit; baptizatus ille fuit persecutione ad sanguinem usque, ut *Jacob* dixerit: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Gen. 49. v. 11.* baptizatus ille fuit ipsâ morte usque ad interpatrem omnis sanguinis & virium, ut ipse dixerit: *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea; factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei, aruit tanquâ testa virtus mea, lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis ponis me. Psalm.*

22. *v.*

22. v. 15, 16. baptizatus ille fuit ejectione ex Urbe *Hierosolyma* usque ad montem *Golgatha* & Sepulchrum, ut *Esaias* dixerit: *De angustia & de Judicio sublatus est, generationem ejus, quis enarrabit? quia abscissus est de terrâ viventium, propter scelus populi mei percussum. cap. 53. v. 9.* Ut *Mannassæi* sese conformarunt *Gideoni* Duci, quia ad Exemplum illius se contulerunt ad fontem *Hared*, qui est metus & terroris, de quo *Jud. 7. v. 1.* ita sese conformant imagini *Filii, filii DEI*, quia ad Exemplum *Christi* sanguinem fundunt, mortificantur & egrediuntur sedibus, ut *Christus* proinde dicat: *Non est servus major Domino suo, si me persecuti sunt & vos persequentur, si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt. Joh. 15. v. 20.*

USUS I. DEHORT.

SI filiis DEI ita necesse est conformari imagini Filii DEI in cruce & tribulatione, caveamus, ne, cùm appropinquat ab ordine Discipulorum resileamus, & *filiis seculi adhereamus*, de quibus *David: Ab hominibus manus tuæ Domine, ab hominibus, qui sunt de mundo, quorum pars est in vitâ, quorum ventrem imples thesauro tuo, saturati sunt filiis, & reliquêrunt reliquias suas parvulis suis. Ps. 17. v. 14.* Cogitantes, quòd confestim in Baptismo, cùm facti sumus filii DEI, renunciaverim⁹ *Diabolo*, mundo & illius pompæ atq; facti simus abinde sanctificati &c. *1. Cor. 6. v. 11.* Caveamus, ne, si Baptismus crucis exundat, nimiùm contristemur, & dicamus: *Antequam comedam ingemo, & tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus. quia timor, quem timebam, evenit mihi, & quod verebar, accidit.* ex *Job. 3. v. 24, 25.* Cogitantes, quòd ad hoc in Baptismo simus destinati, juxta illud *Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur 2. Tim. 3 v. 12.* Caveamus, ne, si Baptismus planè non obtegat, à Christo discedamus & opes seculi cum illo *Juvene* præeligamus. *Matth 19. v. 22.* Cogitantes, quòd in Baptismo facti simus filii DEI, ut tales maneamus & induamus *Christum* cum passionibus *Gal. 3. v. 26, 27.*

USUS II. ADHORT.

SI filios DEI oportet conformari in cruce & tribulatione Imagini Filii, studeamus, ut Baptismo huic nos subjici-

jiciamus patienter, atque cum *Thomâ* Apostolo dicamus: *Eamus & nos, & moriamur cum eo. Joh. 11. v. 16.* Studeamus, ut hunc Baptismum honoratum æstimemus atque *Mosen* imitemur, de quo *Paulus: Ille magis eligens affligi cum populo DEI, quàm temporalem peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauris Ægyptiorum, improperium Christi. Ebr. 11. v. 25, 26.* Studeamus, ut huic Baptismo ad Exemplum Christi constanter nos submittamus atque ad Lucis Consecutionem serenæ, atque cum *Paulo* dicamus: *Quomodo non magis ministerium Spiritus erit in gloriâ? nam si ministerium damnationis in gloriâ est, multò magis abundat ministerium justitiæ in gloriâ; nam nec glorificatum est, quod claruit in hâc parte, propter excellentem gloriam. 2. Cor. 4. v. 8, 9, 10.*

USUS III. CONSOL.

SI filiis DEI ita necesse est, conformari Imagini Filii DEI in cruce & tribulatione, bono sint animo, qui cruce pressi cum Salvatore, qui dixit: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur. Luc. 12. v. 50.* Si *crux & tribulatio* immineat nobis Discipulis in viâ ad *Jerusalem*, atque conquerendum: *Abjecerunt cadavera servorum tuorum, escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem, & non erat, qui sepeliret. Psal. 78. v. 2. & 3.* novimus esse hunc Baptismum Baptismum filiorum DEI, Discipulorum *Christi, qui non patiuntur quasi homicidæ, aut fures, aut malefici, aut curiosi alienarum rerum. 1. Pet. 4. v. 15. & 16.* posse dicere: *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro, qui seminant in lachrymis cum jubilatione metent. Psalm. 126. v. 4. & seq.* Si copiosè sese effundat *Baptismus crucis*, atque conquerendum: *Abyssus abyssum invocat, ad strepitum canalium tuorum. Psalm. 42. v. 8.* novimus esse Baptismum DEI *assistentis Psalm. 124. v. 3, 4, 5.* ut possimus dicere: *Propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis, sed in his omnibus longè vincimus propter eum, qui dilexit nos; certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia po-*

terit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro. Rom. 8. v. 36. & seq. Si denique ad Exemplum *Christi* extrema immineant, atque cum illo dicendum: *Salvum me fac DEUS, quoniam intravêrunt aquæ, usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, & non est statio. Veni in altitudinem aquarum, & tempestas inundatione circumvenit me. Psal. 69. v. 2. & 3.* novimus ad Exemplum *Christi* esse Baptismum Christi & spem in illo emersionis, juxta illud: *Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam, grandes fluctus maris, grandis in altis Dominus. Psalm. 93. v. 4.* & illud *Pauli: Ex omnibus persecutionibus eripuit me Dominus, & omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. 2. Timoth. 3. v. 11, 12.* & ut *David* potuit dicere: *Misit de summo, & accepit me, extraxit me de aquis multis. Psalm. 18. v. 17.* ita & nos dicturos: *Fidelis enim sermo, nam si mortui fuerimus & convivemus, si sustinemus & conregnabimus. 2. Tim. 2. v. 11, 12.* atque audituros illud *Christi: Hi sunt, qui venêrunt de tribulatione magnâ & lavêrunt stolas suas, & dealbarunt eas in sanguine Agni, ideò sunt ante Thronum DEI, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus, & qui sedet in Throno habitabit super eos, non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neque ullus æstus, quoniam agnus, qui in medio Throni est, pascet illos & deducet eos ad vivos fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Apoc. 7. v. 14, 15, 16, 17.* AMEN.

FERIA BARTHOLOMÆI, LUC. XXII. ℣. 28.

Τμεῖς δὲ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου. — *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

INsigni Elogio digni quondam fuerunt, qui præ cæteris constanter adhæserunt mediis in calamitatibus Davidi, mœrore correpti & expulsi atque discedentis Hierosolyma, quia ille sele-

selectiores è populo, communicantes cum Davide in miseriâ, & ad extremum usque opem & assistentiam pollicentes, ut constat ex 2. *Samuelis 15. v. 18. & seq.* Insigni Elogio digni quondam fuerunt, qui constanter adhæserunt Davidi, quia insignes Viri. Erant in Regno quidam, qui defecerunt à *Davide* & *Absalonem* fuerunt secuti, verùm præstantiores animæ longè aliter sese exhibuerunt, secuti enim fuerunt *Davidem*, omnes selecti animi, imperterriti & destinati usibus futuris Regni, inter quos eminuerunt *Ithai* ex ordine militari, *Zadok* & *Abjathar* ex ordine Ecclesiastico, & postea *Sobi*, *Machir* & *Barsillai* ex ordine politico, de quo 2. *Sam. 17. v. 27.* Insigni Elogio digni quondam fuerunt, qui constanter adhæserunt Davidi, sustinuerunt enim cum illo multiplices calamitates. Redactus erat *David* ad extrema, metuebat vitæ periculum, nec enim aliud illi expectandum ab *Absolomo*, nomen illius fœtere fecerat jam apud populum, & proinde Urbe egressus fuit exul flens ad Olivetum usque, quamvis autem status illius temporis fuerit calamitosissimus, non tamen deserunt illum Ministri & laudati Heroes, sed malunt sua etiam relinquere, quàm Regem destituere, exhibentque sese fideles juxta illud: *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum, ambulans in viâ immaculatâ, hic mihi ministrabat. Psalm. 101. v. 6.* Insigni denique Elogio digni quondam fuerunt, qui constanter adhæserunt Davidi. Constiterunt enim fortiter & admirabiliter etiam in prælio, & parati erant eousque Regi adesse, ut etiam sanguinem maluerint fundere quàm Regem deserere, unde etiam *Ithai* disertè dicit *versiculo vigesimo primo: Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex: quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive ad mortem, sive ad vitam, ibi erit servus tuus.* nec minus dextrè se gesserunt ex ordine militari *Joab* & *Abisai* animam suam indiscrimen usque adducentes & gloriosè tandem vincentes, de quo 2. *Sam. 18. v. 7. & seq.* Non tanto Elogio digni illi quondam, longè illustriori illi, quos *Christus* paulò post ad montem Oliveti processurus hîc commendat, dicens: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* de quo ὑπὲρ Θεῷ.

EXEGESIS.

Disceptarant de primatu *Apostoli*, repressi etiam fuerant à *Christo* validis argumentis; ne itaque existimarent nihil superesse, quia Regnum temporale & prærogativas in illo *Christus* negasset, ideoque illos erigit promissione futuræ gloriæ, quæ longè sublimioris Conditionis, quàm omne Regnum mundanum, & ad quam nonnisi per viam crucis contendatur, dicit itaque: *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* In quibus verbis observanda I. Allocutio. Dicit *Christus* notanter: *Vos autem estis illi præ aliis* vos scil. *Apostoli, quos elegi è Mundo Johan. 13. v. 18.* quos Spiritu meo corroboravi, quibus patientiam commendavi & robora promisi *Matth. 10. v. 19.* quos desidero Consortes facere Regni per Acceptionem Crucis, quibusque jam pridem dixi: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie & sequatur me.. Luc. 9. v. 23.* II. Observanda est appropriata Tentatio. Dicit *Christus: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* In græco est vox πειρασμὸς vel πειρασμοὶ, quâ non notatur Tentatio aliqua activa, quâ *Christus* probasset Apostolos, sed passiva, qui cum *Christus* fuit tentatus permittente DEO in curriculo Ministerii sui in his terris, adeoque intelligitur Tentatio, quoad corpus & vitam, cùm scil. hostes ipsum fuerunt persecuti & voluerunt occidere, ut constat ex *Luc. 13. v. 31.* Tentatio quoad famam & nominis dignitatem, cùm scil. hostes ipsum spiculis linguæ fuerunt adorti, & nunc hisce nunc aliis convitiis prosecuti in faciem dixerunt: *Nonne benè dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes Johan. 8. v. 48.* Tentatio quoad necessaria subsidia, victum, domum & cætera, cùm scil. hostes ipsum ejecerunt, migrare fecerunt de loco in locum, ut nulla ipsi sedes fixa, sed adeunda deserta, ut conflat ex *Marc. 3. v. 7.* III. Observanda est Commendatio. Dicit enim *Christus: Vos permansistis mecum in illis Tentationibus* & rebus adversis, per quas animi conditio exploratur. In originario Textu occurrit vox διαμεμενηκότες, permanentes μετ' ἐμοῦ, stabiles in adversitatibus, perdurantes inter tentationum quoque fluctus, fidei tramiti insistentes; vox autem διαμένειν valde emphatica, notatque tam con-

stanter

ſtanter permanere, quàm conſtanter permanet ille, qui *veritati evangelicæ* innititur *Galat. 2. v. 5.* & ipſa illa veritas; tam conſtanter permanere, quàm conſtanter ipſe DEUS, qui *æternus manet Hebr. 1. v. 11.* tàm conſtanter permanere quàm conſtanter *Cœlum* & *Terra permanere* cenſetur à quibusdam *2. Pet. 3. v. 4.*

L. D.

VIdemus, Quàm egregium ſit perſeverare in fide chriſtianâ, conſtantem ſe præſtare usque in finem. Hoc docet *Chriſtus* in verbis explicatis. Laudabilis eſt perſeverantia I. ex perſeverantium Prælatione, quia tales à *Chriſto* præferuntur omnibus cæteris, tales quippe ſunt nonniſi illi, quos ipſemet è Mundo peculiariter ſelegit, & de quibus dicit: *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret, quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Joban. 15. v. 19.* tales ſunt nonniſi illi, quos ipſe Spiritu ſuo d gnatur & corroborat, de quibus *Paulus* dicit: *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum DEI, in quo clamamus Abba Pater: ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quòd ſumus filii DEI; Si autem filii etiam hæredes; hæredes quidem DEI, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & glorificemur, Rom. 8. v 15, 16, 17.* tales ſunt nonniſi illi, quos ipſe gloriæ per crucem deſtinat, de quibus *Petrus: Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. 1. Epiſtola cap. 4. v. 13.* Si quondam laudabilis fuit *perſeverantia* illorum, quos *Gedeon* aſſumpſit, quia illi ſelecti à cæteris Spiritu heroico fuerunt animati, & deſtinati ad victoriam conſequendam, de quo *Judic. 7. v. 7.* quantò magis laudabilis erit *perſeverantia in fide chriſtiana*, quia illorum, qui è mundo ſelecti, Spiritu armati, & gloriæ deſtinati, ut *Paulus* dicat: *Quos præſcivit eos prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus; quos autem prædeſtinavit, eos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, hos etiam glorificavit. Rom. 8. v. 29, 30.* Laudabilis eſt perſeverantia in fide II. ex Calamitatum Multiplicatione. Perſeverant enim tales in periculis vitæ, atque cum *Paulo* dicunt:

Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. Act. 21. v. 13. perseverant tales in periculis famæ, atque cum *Paulo* & cæteris *Apostolis* dicunt: *Puto, quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit tanquam mortis destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus; tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. 1. Cor. 3. v. 9. & 13.* perseverant tales in periculis victus, Amictus deficientis & Exilii, atque cum *Paulo* dicunt: *Scio & humiliari scio & abundare; ubique & in omnibus institutus sum, & satiari & esurire & abundare, & penuriam pati, omnia possum in eo, qui me confortat, Christo. Philip. 4. vers. 12. & 13.* Si quondam laudabilis fuit *perseverantia* eorum, qui adhæserunt *Eliæ* per varias tribulationes exercitato, cui *Jezabel* mortem intentavit, *Achab* calumniatus fuit *Turbonem*, ambo persecuti sunt in Exilium, quales Discipuli & *Elisæ*, de quo *1. Reg. 18. & 19* nec non *2. Reg. 2. v. 3, 5.* quantò magis laudabilis erit *perseverantia in fide christiana*, quia illa consistit in tot tantisque periculis & persecutionibus, ut *Paulus* dicat: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum DEI. Act. 14. v. 22.* Laudabilis est perseverantia III. ex Perseverantiæ Intensione, quia tales ita perseverant, ut non nutent, non facilè dimoveantur, perseverant, ut nitentes veritate immotâ, de quibus *Christus: Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram, & descendit pluvia & venerunt flumina, & flaverunt venti & irruerunt in domum illam & non cecidit; fundata enim erat super petram. Matth. 7. v. 24, 25.* perseverant, ut nitentes DEO immutabili, atque dicunt: *Profectò ad Deum est silentium animæ meæ, ab ipso enim salus mea: profectò ipse est petra mea, & salus mea, est refugium meum, non movebor vehementer. Psalm. 62. v. 2. & 3.* perseverant, ut nitentes novo cœlo & terrâ, in quâ justitia, de quibus *Petrus: Novos cœlos & novam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat. 2. Epistola cap. 3. v. 13.* Si quondam laudabilis fuit *perseverantia* illorum, quos ascivit *Hiskias* in calamitate & imminente obsidione, quia innixi sunt Veritate divinâ, Numinis Auxilio & Spe restitutionis & benedictionis, adeò ut populus non responderit ad minas, manserit in fide *Hiskiæ 2. Reg. 18. v. 5. &*

cap.

cap. 19. v. 21. quantò magis laudabilis erit *perseverantia in fide christiana*, quia illa tam intensa, tam robusta, tam probè confirmata, ut *Paulus* dicat: *Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas illorum fidem DEI evacuabit? absit; quin potius Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm judicaris. Rom. 5. v. 3, 4, 5.*

USUS I. DEHORT.

SI perseverantia tam laudabilis, illaudabiliter agunt omnes & singuli, qui de hâc prærogativâ non soliciti, toti Mundo dediti, atque ex illorum Numero, *qui æstimavêrunt lusum esse vitam istam, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecunque etiam ex malo acquirere.* de quibus *Philo Sap. 15. v. 12.* memores illi deberent esse illius: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt; Si quis diligit Mundum, non est charitas Patris in eo; quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo, & mundus transit & concupiscentia ejus. 1. Joh. 2. v. 15, 16, 17.* Illaudabiliter agunt omnes & singuli, qui in calamitatum multiplicatione murmurant, nimiùm turbantur & dicunt: *Si appenderetur ira mea in statera, & calamitates meæ apponerentur, tunc graviores essent, quàm arena maris, unde & verba mea absorbentur. Job. 6. v. 2. & 3.* memores illi deberent esse illius: *Elevaverunt flumina Domine, elevavérunt flumina vocem suam: elevavérunt flumina fluctus suos, à vocibus multarum aquarum; grandes fluctus maris, grandis in altis Dominus. Ps. 93. v. 4.* Illaudabiliter agunt omnes & singuli, qui planè deficiunt, ad tempus adhærent, tandem autem languent & discedunt, atque ex illorum sunt numero, *qui ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt. Luc. 8. v. 13.* memores illi deberent esse illius: *Justus ex fide vivet, quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Ebr. 10. v. 38, 39.*

USUS II. ADHORT.

SI perseverantia tam laudabilis, studeamus omnes & singuli, ut simus illi quibus dici possit: *vos estis*, & cum Apostolis è mundo

mundo seleĉi, Spiritu animati, Christum sequamur, memores illius: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus, & qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Matth. 10. v. 37, 38.* Studeamus omnes & singuli, ut simus illi, qui calamitatibus non cedant, observantes illud: *Tu igitur feras afflictiones, sicut bonus miles Jesu Christi, nemo militans DEO implicat se negotiis victus, ut ei placeat, qui se in militiam delegit, si autem aliquis certat, non coronatur, nisi legitimè certaverit. 2. Timoth. 2. v. 3, 4, 5.* Studeamus omnes & singuli, ut simus illi qui maneant fixi, memores illius: *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Matth. 24. v. 13.*

USUS III. CONSOL.

SI perseverantia tam laudabilis, bono sint animo, qui perseverant & fidem *auro præstantiorem ostendunt, quod per ignem probatur, invenitur in laudem & gloriam. 1. Pet. 1. v. 7.* Si simus *Mundo* inviſi, atque *exiguum Lumen* coram filiorum *seculi oculis* [illegible] *v. 4. & 5.* novimus nos è Mundo esse electos, atque dixisse Christum: *Non est servus major Domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur; Si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt, sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quòd nesciunt eum, qui misit me. Johan. 15. v. 20, 21.* novimus nos Spiritu esse instructos, atque dixisse Petrum: *Si probris afficimini in nomine Christi beati estis, quoniam gloria & DEI Spiritus super vos requiescit; ab ipsis quidem blasphematur, à vobis autem glorificatur. 1. Epistola cap. 4. v. 14.* novimus nos esse destinatos per crucem gloriæ & dixisse Paulum: *Sic mutui fuerimus & convivemus, si sustinemus & conregnabimus. 2. Tim. 2. v. 11. & 12.* Si *calamitates* esse multiplicent, & cum *Messia* conquerendum: *Infixus sum in limo profundi, & non est statio, veni in altitudinem aquarum, & alveus inundatione circumvenit me. [illegible] clamans; rauca facta sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum sperarem Deum meum: multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Psalm. 69. v. 3, 4, 5.* novimus tribulationes illas, tentationes, & *calamitates* esse tentationes Christi, quas ipse tanquam Caput

sub-

sustinuerit, in quibus cum ipso communicemus, ut in periculo vitæ possimus dicere: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, in difficultates conjicimur, sed non desperamus. 2. Cor. 4. v 8, 9,* ut in periculo famæ possimus dicere: *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die. 1. Cor. 4. v. 3.* ut in periculo necessitatis, indigentiæ & exilii possimus dicere: *Quis nos separabit à charitate DEI? tribulatio an angustia? an fames, an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus, tanquam oves occisionis, sed in his omnibus longè vincimus, propter eum, qui dilexit nos: certus enim sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Rom. 8. v. 35, 36, 37, 38.* Si denique Caro nostra labascere incipiat, atque conquerendum: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* ex *Matth. 26. v, 41.* novimus, qui nos elegit, etiam vires additurum, ut perseveremus in Verbi Veritate, atque observemus illud *Pauli: Vigilate, state in fide, viriliter agite & confortamini. 1. Corinth. 16. vers. 13.* ut perstitamus in Domino, atque de nobis dicatur: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum; montes sunt in circuitu Jerusalem, & Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc & usque in seculum. Psalm. 125. v. 1, 2.* ut denique attingamus Cœlum novum & Terram novam, atque audiamus jugiter, & excipiamus illud: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Apoc. 2. v 10.* & fruamur: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex, non solum autem mihi, sed omnibus, qui diligunt adventum ejus. &c. 2. Tim. 4. v. 7, 8.* AMEN.

IN FERIA MATTHÆI,
MATTH. IX. ℣. 13.

Πορευθέντες δὲ μάθετε τί ἐστιν Ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν. οὐ γὰρ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλ' ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν.

Quin potius ite, & discite quid sit illud, Misericordiam volo, & non sacrificium: non enim veni ad vocandum justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

INgens quondam Disparitas fuit inter Sacrificium, quod obtulit Cain, & illud, quod obtulit Abel, cùm prius DEO displicuerit, posterius autem placuerit, de quo *Gen. 4. v. 3, 4. & 5.* Placuit Abelis Sacrificium DEO, quia obtulit de animantibus ex grege suo. Fuere materia alias primorum sacrificiorum non *lac* & *lana*, ut quidam *Vir doctus* opinatur, sed vel fructus terræ, vel etiam animantia, oves scil. è gregè, unde quia *Abel* Pastor, obtulit ex optimis ovibus, atque DEO consecravit electa, probè cognoscens, se è manu Domini omnia accepisse, qui nuper Orbem condiderit, & inter alia etiam Terræ dixerit: *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia & bestias terræ, secundum species suas. Gen. 1. v. 24.* Placuit Abelis Sacrificium DEO, quia ex corde sincero fuit profectum. Erat ille Vir simplex absque fraude & dolo, quapropter adduxit quoque in conspectum divinum materiam sui sacrificii, agens coram DEO, qui melius ipsum novit, quàm ipse se, atque respexit illum, qui promissus *Adamo* post lapsum, dicente DEO: *Inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus. Gen. 3. v. 25.* Placuit Abelis Sacrificium DEO, quia ex fide in misericordiam tendit. Concepérat ille fidem in Messiam ex paternâ informatione, diligebat Cainum fratrem, utut duriorem, cùmque litigaret, etiam ad meliorem mentem eundem reducere annisus fuit, unde sacrificium non tam ratione actus

actus externi, quàm illius interioris animi dispositionis DEO valde placuit, ut visibili signo suum favorem fuerit contestatus. & *Paulus* dicat: *Fide uberiorem hostiam Abel, quàm Cain obtulit DEO, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus DEO. Ebr. 11. v. 4.* Ut quondam Sacrificium *Abelis* DEO placuit, ita tamen, ut ad cor respexerit & majoris fecerit fidem & misericordiam in illo, ita *Christus* dicit; *Misericordiam volo non sacrificium.* de quibus verbis συν Θεῷ.

EXEGESIS.

REmiserat *Christus* murmurantes *Pharisæos* ad *Oseam*; Textum itaque recitat & dicit: *Misericordiam volo, & non sacrificium:* quæ verba à quibusdam negativè accipiuntur, ut sensus sit: *Misericordiam volo, non sacrificia*, quia sacrificia sine fide ex hypocrisi oblata DEUS utique non vult; quibusdam ellipticè, ut sensus sit: *Misericordiam volo*, & non solùm sacrificio delector, quia etiam vera sacrificia non nisi pietatem absolvunt; quibusdam denique comparativè, ut sensus sit; non tam sacrificia, quam misericordiam volo, quæ Interpretatio communis. qui sensus firmatur, quia apud *Oseam* additur: *Cognitio DEI magis quàm holocausta.* Observandum autem in illa I. Quòd DEUS Sacrificia velit. Per Sacrificia autem hîc intelliguntur omnia illa externa in cultu legis, utpote quòd allata animalia & *fructus terræ*, de quo *Levit. 1. v. 2.* quòd illa *DEO* dicata, *consecrata*, de quo *Levit. 3. v. 16, 17.* quòd denique *mactata*, deflucta & consumpta in illius honorem & gloriam, de quo *Levit, 6. v. 21. &c.* II. Observandum, Quòd DEUS velit magis Misericordiam, unde *Chaldæus* habet: *Voluntas coram me est magis, quàm in sacrificio*, cui accedunt ex *Patribus Ambrosius* & *Augustinus*, adeoque dicitur magis velle ille, qui cor hominis introspicit, & de illo attributo deprædicatur *1. Reg. 8. v. 39.* ille, qui interna præfert externis & ingenuitatem probat sive sinceritatem, dicente *Davide: Scio Deus meus, quòd probes corda & simplicitatem diligas, unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli spontè universa hæc, & populum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. 1. Paral. 29. v. 17.* ille, qui vult, ut utriusque Tabulæ officia præscripta ob-

ſerventur & ſimus ſancti, ut ipſe *Levit. 19. v. 2.* III. Obſervandum, Quòd DEUS maximè velit Miſericordiam. Per Miſericordiam intelligit talem, quæ ex verâ fide tanquam radice efflorescit, & ex arbore bona procedit, de quo ipſe: *Facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, aut fructum ejus malum, ſiquidem ex fructu arbor cognoſcitur. Matth. 12. v. 33.* intelligit talem, quæ conſiſtit maximè in hoc, ut officia humanitatis exhibeamus, inprimis autem avertamus ab Errore ad veritatem, ab impietate ad Cultum DEI, ad Exemplum *Chriſti* dicentis: *Venit filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat. Luc. 19. v. 10.* talem denique, quæ in proximum vergit tanquam ejusdem nobiscum ſanguinis & generis, cui ſubveniendum, *cùm* ex uno *ſanguine omnes Act. 17. v. 26.*

L. D.

VIdemus, Quòd ad Exemplum Chriſti Miſericordiam, ut commendatiſſimum Affectum, paſſim manifeſtare debeamus. Commendatiſſima nobis eſto Miſericordia I. Sacrificium attendendo. Sunt enim illa quidem Cultus DEI externus, ſed nil ad miſericordiam, quâ non adducuntur animalia & fructus terræ ſimpliciter, ſed liberaliter, atque obſervatur illud: *Frange eſurienti panem tuum & afflictos vagosque induc in domum tuam, cùm videris nudum, aperi eum, & carnem tuam ne deſpexeris Eſaiæ 58. v. 7.* qua non DEO pinguedo cedit debita, ſed & diffunditur atque obſervatur illud: *Ite comedite pinguia & bibite dulcia, & mittite partes his, qui non præparaverunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt. Nehemiæ 8. v. 10.* quâ non tantùm mactantur animantia, ſed & cætæ pellesque ad alios devolvuntur, atque obſervatur illud: *Quomodocunque tueris, ita eſto miſericors; ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue, ſi exiguum tibi fuerit etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Tob. 4. v. 8. & 9.* Ut quondam *Hiob* quidem etiam Holocauſta obtulit multa, magis autem ſibi congratulatus eſt de miſericordiâ & dixit. *Si negavi, quod deſiderabant, pauperibus, & oculos viduæ deficere feci. Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex eo, quod de ovibus meâ crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ fovi eam. cum vi-*

di jun-

di peruentem, eò quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. cap. 31. v. 16, 17, 18, 19. ita præstat adhuc omnibus sacrificiis *Misericordia* atque omnibus præstat, ut *Johannes* dicat: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. 1. Epistola cap. 4 v. 21.* Commendatissima nobis esto Misericordia II. DEUM respiciendo. Præfert enim illam DEUS omniscius, qui cor & renes probat & dicit: *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, qui do unicuique secundum viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum. Jerem. 17. v. 10.* præfert illam DEUS ingenuæ mentis arbiter, qui candidos amat & dicit per *Solomonem: Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes perfectè, servans semitas justitiæ, & vias sanctorum suorum custodiens. Proverb. 2. v. 7. & 8.* præfert illam DEUS Tabularum Decalogi Conditor, qui vult utramque observari & dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & in totâ animâ, & in totâ mente tuâ, hoc est maximum & primum mandatum, secundum autem simile huic; Diliges proximum tuum sicut temetipsum, in his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ. Matth. 22. v. 37, 38, 39, 40.* Ut quondam DEUM respexit *David*, qui misericordiam vult & proinde dixit: *Estne aliquis, qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Jonathan? 2. Sam. 9. v. 19.* ita præstat adhuc ex DEI voluntate *Misericordia*, ut *Christus* ipse dicat: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est, nolite judicare & non judicabimini. nolite condemnare & non condemnabimini. dimittite & dimittetur vobis, date & dabitur vobis, mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum, eadem mensurâ, quâ mensi fueritis, remetientur vobis. Luc. 6. v. 36, 37, 38.* Commendatissima nobis esto Misericordia III. Modum expendendo. Est enim illa fructus fidei & Spiritus, unde *Paulus: Fides per charitatem operatur. Gal. 5. v. 6.* est illa Oviculæ aberrantis Reductio, unde *Paulus: Dixit Dominus: Sta supra pedes tuos, ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum & testes eorum, quæ vidisti, & eorum, quibus apparui tibi eripiens de populo te, & gentibus, in quos nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad Deum; ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter*

sanctificatos per fidem Actor. 26. v. 16, 17, 18. est illa Legis impletio, unde *Paulus: Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit; nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non dices falsum testimonium, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, summatim comprehenditur: diliges proximum tuum sicut teipsum. Rom. 13. v. 8, 9, 10.* Ut quondam modum hujus expendit *Tobias*, atque ex reliquo semine fidei corroboravit & proximos dilexit, officiis humanitatis eos fuit prosecutus *Tobiæ 1. v. 19. & 20.* ita præstat adhuc misericordia ratione radicis, formæ & objecti, ut *Jacobus* dicat: *Quæ autem desursum sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica aqua suadabilis, plena misericordiâ & bonis fructibus non judicans, sine simulatione. cap. 3. v. 17.*

USUS I. DEHORT.

SI Misericordia ita nobis debet esse commendatissima, peccant gravissimè, qui non misericordes se exhibent, sed in cultu externo hærent & proximum contemnunt similes *Pharisæis* illi, *qui stans apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri.* de quo *Luc. 18. v. 11.* memores illi deberent esse illius: *Quò mihi multitudo victimarum vestrarum, dicit Dominus, plenus sum holocausto arietum, & adipem pinguium & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui, cum veneritis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambuletis in atriis meis? Esaiæ 1. v. 11, 12, 13, 14, 15.* Peccant graviter, qui non misericordes se exhibent, sed saltem exterrè agunt, quasi essent benigni, hypocritè se gerunt coram DEO, similes illis, qui dicunt: *Ite in pace, calefacimini & saturamini. Jacob. 2. vers. 16.* memores illi deberent esse illius: *Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est, qui enim non diligit fratrem suum, quem videt Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? 1. Joh. 4. v. 20.* Peccant graviter, qui non misericordes se exhibent in reductione, nec erga omnes & singulos indigos, suis tantum faventes, cæteris duri & diri, similes illis *Pharisæis*, de quibus *Christus Matth. 5. v. 46, 47.* memores illi deberent esse illius: *Judicium sine misericordiâ illi, qui non fecerit misericordiam. Jacobi 2. v. 13.*

USUS

USUS II. ADHORT.

SI Misericordia ita debet nobis esse commendatissima, studeamus omnes & singuli, ut præ sacrificiis subveniamus & in Exercitiis charitatis & misericordiæ nos illustres ostendamus secundum monitum illud *Davidis: Totâ die miseretur & commodat: semen illius in benedictione erit. Psalm. 37. v. 26.* Studeamus omnes & singuli, ut sincero Corde subveniamus, Opera misericordiæ in conspectu DEI exerceamus, secundùm monitum *Johannis: filioli mei, non diligamus verbo neque linguâ sed opere & veritate. 1. Epistola cap. 3. v. 18.* Studeamus omnes & singuli, ut ex fide vera subveniamus & in Exercitiis charitatis & Misericordiæ nos illustres ostendamus erga proximum, quicunque ille sit secundùm monitum illud *Christi: Ego dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro lædentibus & persequentibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est, quia solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos, Matth. 5. vers. 44, 45.*

USUS III. CONSOL.

SI Misericordia ita debet nobis esse commendatissima, bono sint animo misericordes, juxta illud *Christi: Beati Misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Matth. 7. v. 5.* Si agnoscendum & dicendum cum *Davide: Non delectaris sacrificio, alioquin dedissem tibi; utique holocaustis non delectaberis.* ex *Psalm. 51. v. 18.* novimus Sacrificium Misericordiæ præstare, omni Cultu externo maximè fixum illud: *Qui sequitur justitiam & misericordiam, inveniet vitam, justitiam & gloriam. Prov. 21. v. 21.* Si agnoscendum Cor nostrum non planè esse sincerum, Affectu quandoque in transversum ad Immisericordiæ, & dicendum humiliter: *Proba me DEUS & scito cor meum: proba me & cognosce cogitationes meas; & vide si via iniquitatis in me est & deduc me in viâ æternâ. Psalm. 139. v. 23, 24.* novimus DEUM respicere Cordis non tam Integritatem, quàm sinceritatem, quousque in hâc vitâ possibilis, dicere etiam *Nathanaeli*, non

li, non integro: *ecce verè Israëlita, in quo dolus non est Johan. 1. v. 47.* propter *Christum* tegere defectus, manere fixum illud: *Charitas operit multitudinem peccatorum 1. Pet. 4. v. 8.* Si denique agnoscendum fidem quandoque esse infirmam, reductionem difficilem, proximum nobis adversum, & *Esavi* subeant affectus, dicentis: *Veniant dies luctus patris mei; & occidam Jacob fratrem meum. Gen. 27. v. 41.* novimus Spiritum temperaturum animum & æstum, & facturum, ut expendamus illud: *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam ex operibus fidem meam. Jacob. 2. v. 18.* ut expendamus illud: *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quem, scire debet, quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Jacobi 5. v. 19, 20.* ut expendamus illud: *Venite benedicti patris mei, hæreditario accipite regnum vobis paratum à constitutione mundi. Et vivi enim & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me, nudus & operuistis me, infirmus & visitastis me, in carcere eram & venistis ad me. Amen dico vobis quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Matth. 25. v. 34, 35, 36, 40.* AMEN.

FERIA SIMONIS ET JUDÆ, JOH. XV. ℣. 21.

Ἀλλὰ ταῦτα πάντα ποιήσουσιν ὑμῖν διὰ τὸ ὄνομά μου, ὅτι οὐκ οἴδασιν τὸν πέμψαντά με.

Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non noverunt eum, qui misit me.

Generosè quondam se gessit Urias Hetheus, dum scil sustinuit adversa in castris tanquam Minister regius, & laudi sibi duxit cum Arca Domini agere sub papilionibus existente, de quo *2. Sam. 11. v. 11.* Generosè se gessit Urias, quia non attendit ad Ammonitas hostes. Obsidebatur Urbs *Rabba*, exactâ hyeme, & verno tempore, quo Reges bella gerere solebant, Urbs potens & Regia, ita dicta à magnitudine, *Ammonitarum* munimentum, quapropter milites illam circumdantes, inter quos & *Urias Hetheus* nobis

Vir fortissimus & forsan ab *Hethæo*, Filio *Chanaan*, oriundus, à quo *Abraham* Speluncam duplicem emit, erant invisi *Ammonitis*, qui odio prosequebantur eos, excursionibus in illos arietabant, & tanquam circumcisos contemnebant, quemadmodum antea Legati *Davidis* malè habuerunt, extremè despexerunt, & ita remiserunt, ut constat ex 2. *Sam. 10. v. 4.* Generosè se gessit Urias, quia stetit tanquam vocatus ad militiam, tanquam minister fortis & generosus. Erat hic *Urias*, ut vult *Josephus*, civis *Hierosolymitanus*, scil. vel habitatione vel nativitate, utut oriundus ex *Heth*, magnâ ob fortitudinem tam apud Regem, quam contribules gloriâ, quapropter Joabo Duce egrediente vocatus ad militiam, unà egreditur *Hierosolymâ*, movet contra *Ammonitas* & sese exhibet paratum & promptum ad Spicula excipienda hostium, ad Exemplum Ducis sui *Joabi*, qui generoso fuit animo adversus hostes & obfirmato, *levior Aquilâ, fortior Leone*, ut aliàs *David* de *Saule* & *Jonathane* loquitur 2. *Sam. 1. v. 23.* Generosè se gessit Urias denique, quia Intuitu Arcæ Domini noluit Voluptati indulgere; Sed molesta quævis sustinere, perdurare, & propterea dixit: *Milites & decem tribus Juda habitare in castris*, & inprimis *Arcam* esse sub papilionibus, quapropter nolle se meliori esse loco, quàm Ducem, fratres & maximè Arcam, quæ per *Abiatharem* ducta fuerat ad Castra, & Symbolum divinæ erat præsentiæ, Typus divinitatis λόγε, in futurum sese per carnem & in carne, tanquam proprio suo Templo, manifestaturi, de quâ quondam *Moses* vel movente se, vel requiescente solebat dicere: *Surge Domine & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te de facie tua, revertere ad myriades exercitus Israël. Num. 10. vers. 35, 36.* Ut quondam *Urias* generosum sese exhibuit illo tempore, ita decet *Christianos* quoque, ut imperterritos se sistant, utpote fretos caulæ Bonitate, unde etiam *Christus* suos animat & dicit de Calamitatibus ingruentibus: *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum.* de quo cap. 21. v. 17.

EXEGESIS.

ANimum addere voluit *Salvator* suis; quapropter adductis argumentis subjicit: *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum.*

In quibus Verbis observandum I. quid facturi mundani. *Christus* dicit: *Hæc omnia.* In græco est τοῦτα πάντα, nempe quorum mentio facta in antecedentibus, atque hoc vult, Odio habituros esse Mundanos suos *Apostolos*, ut ipsum odio habuerint *Joh. 7. vers. 7.* persecuturos suos, ut ipsum persecuti fuerint *Joh. 5. v. 16.* Verbum contempturos esse mundanos, ut ipsum Verbum *Christi* contempserint *Joh. 8. v. 37.* II. Observandum quibus facturi hæc omnia. Inquit *Christus facient vobis*, quos ego separavi à Mundo & ad Ministerium vocavi *Matth. 10. v. 1.* quos hactenus fideliter instruxi & in meâ Doctrinâ informavi, ut ipsimet agnoscitis & propterea me *vocatis vestrum magistrum Joh. 13. v. 13.* quos paulo post *induam virtute ex alto Spiritu cœlesti*, juxta illud *Lucæ 24. vers. 49.* III. Observandum propter quid hæc omnia facturi sint Apostolis. *Christus* dicit: *Propter nomen meum*, adeoque removet causam alicujus peccati ex parte *Apostolorum*, & transcribit hæc Nomini suo, quòd propter illud sint passuri. Per nomen autem suum hic non tàm intelligit seipsum, aut justitiam sapientiam & potentiam divinam, quàm Verbum Evangelii, quòd scil. illi prædicaturi Christum esse verum & æternum DEUM, illum ipsum, de quo quondam *David: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universâ terrâ, qui das laudem tuam usque ad cœlos. Psalm. 8. v. 2.* quòd scil. prædicaturi, illum esse verum & genuinum *Messiam*, de quo quondam *David: Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te DEUS, DEUS tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Psalm. 45. v. 8.* quòd scil. prædicaturi illum esse verum & potentem illum Regem omnipræsentem & ubique dominantem, de quo quondam *David: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Psalm. 110. vers. 1.*

L. D.

Videmus, Quòd illa, quæ accidunt Ministris Ecclesiæ maximè, generatim verò omnibus piis non sint ignominiosa, sed potius gloriosa. Non ignominiosa sunt illa, quæ accidunt piis & ministris Ecclesiæ I. ex Actuum sœditate. Sunt enim illi hominum mundanorum odia, quæ potius ipsi Deo

ſus ſuſtinuit, unde ipſe *Chriſtus: Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium & inſurgent filii in parentes, & afficient morte eos, vos eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum Matth. 10. v 21,22.* ſunt illi hominum mundanorum perſecutiones, quæ priùs ipſe *Chriſtus* ſuſtinuit, unde ipſe *Chriſtus: Omnia injicient vobis in manus ſuas, & perſequentur, tradentes in Synagogas & cuſtodias, trahentes ad Reges & Præſides, propter nomen meum. Luc. 21. v. 12.* ſunt illi hominum mundanorum contemptus, quos priùs ipſe *Chriſtus* ſuſtinuit, unde ipſe *Chriſtus: Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper Dominum ſuum, ſufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter ejus, & ſervo ſicut Dominus ejus, ſi patremfamiliâs Beelzebub vocaverunt, quantò magis domeſticos ejus. Matth. 10. v. 24, 25.* Si non ignominioſum fuit quondam *Eliſæ*, quòd pueri *Bethelenſes* ipſum probrosè tractarunt, quia illi impii & actus illorum mali *2. Reg. 2. v. 23.* etiam adhucdum illa, quæ accidunt piis & *miniſtris Eccleſiæ*, non erunt ignominioſa illis, quia patiuntur ea à mundanis, hominibus impiis & profanis & Affectibus ſuis indulgentibus; de quibus *Chriſtus: Vos implete menſuram patrum veſtrorum, ſerpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à venturâ irâ. Matth 23. v. 32, 33.* Non ignominioſa ſunt illa, quæ accidunt piis & miniſtris Eccleſiæ II. ex Muneris Qualitate. Sunt enim illi miniſtri, quos DEUS vocavit & quibus dicit: *Tu accinge lumbos tuos, & ſurge & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi, ne formides à facie eorum, ne forte ego te perterrefaciens, ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & columnam ferream, & in murum æreum, ſuper omnem terram regibus Juda, Principibus ejus, & Sacerdotibus ejus, & omni populo terræ. Jerem. 1. v. 17, 18.* ſunt illi miniſtri, quos DEUS ipſe informat & docet, & quibus dicit: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri. &c. Luc. 21. v. 15.* ſunt illi miniſtri, quos DEUS Spiritu ſuo animat & armat, quibus dicit: *Hoc eſt fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus à modo & uſque in ſempiternum. Eſa. 59. v. 21.* Si non ignominioſum fuit quondam *Jeremiæ*, quòd ipſum odio habuerunt, perſecuti fuerunt & contempſerunt *Hieroſolymitani*, quia non paſſus eſt hæc niſi tanquam miniſter DEI, ſed dicere potuit con-

fidenter: *Ecce ipsi dicunt ad te: ubi est verbum Domini? obsecro, & ego non sum turbatus, nec subterfugi officium pastoris post te, & diem hominis non desideravi, tu scis; quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. cap. 17. v. 15, 16.* etiam adhucdum illa, quæ accidunt *piis & ministris Ecclesiæ* non erunt ignominiosa illis, quia patiuntur ea, tanquam ministri DEI & illius Domini, qui ipse dixit. *Putatis, quia pacem veni mittere in Terram, non dico vobis, sed separationem. Luc. 12. v. 51.* Non ignominiosa sunt illa, quæ accidunt piis & ministris Ecclesiæ III. ex Causæ Dignitate. Patiuntur enim illa propter nomen Christi, quem annunciant tanquam verum DEUM, dicentes: *Hic est verus Deus & vita æterna. 1. Joh. 5. v. 20.* propter nomen Christi, quem annunciant tanquam *unctum Domini*, dicentes: *Annunciavit Deus Pacem per Christum Jesum: hic est omnium Dominus: vos scitis quòd factum est verbum per universam Judæam, incipiens à Galilæâ post baptismum, quod prædicavit Johannes Jesum à Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto & virtute, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Act. 10. v. 36, 37, 38.* propter nomen Christi, quem annunciant tanquam Dominum totius Orbis, dicentes: *In cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & super omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro; & omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnia, ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet. Eph. 1. v, 20, 21, 22, 23.* Si non ignominiosum fuit quondam *Mosi*, quòd multa sustinuit, quia passus est illa propter *Christum*, cujus ignominiam *pluris fecit quam opes Ægypti Ebræis. v. 11. & 12.* etiam adhucdum illa, quæ accidunt *piis & ministris Ecclesiæ*, non erunt ignominiosa illis, quia patiuntur ea propter nomen *Christi*, gloriam *Messiæ*, & proinde agnoscunt illud *Pauli: Vobis donatum est pro Christo, ut non solùm in eum credatis, sed ut etiam pro eo patiamini. Philip. 1. v. 29.*

USUS I. DEHORT.

Si ea, quæ accidunt piis & ministris Ecclesiæ, non sunt ignominiosa, peccant, qui insultante Mundo nolle sum, atque

que similes se exhibent illis, *qui ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt. Luc. 8. v. 13.* memores illi deberent esse illius: *Justus ex fide vivet, quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Ebræor. 10. v. 38.* Peccant graviter, qui à munere commisso ad Mundum transeunt, similes se exhibent illi, de quo *Paulus: Demas me dereliquit, diligens hoc seculum. 2. Tim. 4. v. 10.* memores illi deberent esse illius: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno DEI. Luc. 9. v. 62.* Peccant, qui nomen Christi abnegant tempore calamitatis, similesque se exhibent *Petro, qui negavit cum juramento, se non nosse hominem. Matth. 26. v. 72.* memores illi deberent esse illius: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & eum coram Patre meo, qui in cælis est, qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum ego coram Patre meo, qui in cælis est. Matth. 10. v. 32, 33.*

USUS II. ADHORT.

SI ea, quæ accidunt piis & ministris Ecclesiæ, non sunt ignominiosa, lubenter sustineamus à Mundo odia, persecutiones & contemptum, cogitantes Mundum esse Mundum, nec aliter posse, quàm odio habere pios, dicentes: *Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus; tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. 1. Cor. 4. v. 12. & 13.* Studeamus, ut quæ sustinemus ex vi vocationis & officii nostri sustineamus, juxta illud *Petri: Nemo vestrum patiatur quasi homicida aut fur, aut maleficus, aut curiosus alienarum rerum, si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine. 1. Epistola cap. 4. v. 15, 16.* Studeamus, ut parati simus denique propter nomen Christi pati & sustinere quævis adversa, dicentes cum *Paulo: Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. Actor. 21. v. 13.*

USUS III. CONSOL.

SI ea, quæ accidunt piis & Ministris Ecclesiæ, non sunt ignominiosa, bono sint animo, qui *patiuntur tanquam boni mi-*

lites Christi 2. *Tim.* 2. *v.* 3. Si *Mundus* quoque in nos sæviat, atque conquerendum: *Heu mihi, quod peregrinus sum cum Mesech, & habitem cum tabernaculis Cedar, multum animæ meæ habitare cum his, qui oderunt pacem. Psalm.* 120. *v.* 5. & 6. novimus *Christum* prius passum fuisse ab illo, & dicere: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite: Ego vici mundum Joh.* 16. *v.* 33. Si *Mundus* quoque sit infensus electioni nostræ ex illo, vocationi & muneri, atque conquerendum: *Persuasisti mihi Domine, & persuaderi passus sum; fortior me fuisti & invaluisti: factus sum in derisum totâ die. Omnes subsannabant me, quia ab antiquo tempore, quo loquor, vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito, & factus est mihi sermo Domini in opprobrium & in derisum totâ die. Ex Jerem.* 20. *v.* 7. & 8. novimus *Christum* etiam ratione muneris passum fuisse dira, dicere *Paulum: Fidelis sermo: Si mortui fuerimus & conmortui vemus, si sustinemus & conregnabimus.* 2. *Tim.* 2. *v.* 11, 12. Si denique *Mundus* quoque nobis insultet ex occasione nominis *Christi*, quod agnoscimus, profitemur, deprædicamus, & conquerendum, quod simus stigmatici *Christi, qui stigmata Domini Jesu in corpore portamus. Galat.* 6. *v.* 17. novimus *Christum* suo nomine fuisse quoque exosum Mundo, passum esse propter Doctrinam Evangelii, atque dicere: *Vincenti dabo edere manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Apoc.* 2. *v.* 17. Apostolos ab illo animatos sustinuisse generose flagellationem & cætera *Actor.* 5. *v.* 41. manere fixum illud: *In omni tribulationem patimur, sed non angustiamur, in difficultatis conjectura sumus, non desperamus; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; humiliamur, sed non confundimur, dejicimur, sed non perimus, semper mortificationem Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* 2. *Cor.* 4. *v.* 8, 9, 10. AMEN.

INDEX

INDEX
LOCORUM COMMUNIUM.

Dominica I. Adventus.

Quàm suaviter nobis consensus fidei in Christum piorum Vet. & Novi Testamenti hoc ordine præfiguretur, adumbretur.

Dominica II. Adventus.

Quid sustentet Ecclesiam Christi in his terris mediis quoque in calamitatibus, nempe spes æternitatis.

Dominica III. Adventus.

Quæ sit vera Imago veri & genuini pœnitentiæ præconis, qui tempore collapsi cultus & instantis reformationis oculos, aures & corda movet, excitatque.

Dominica IV. Adventus.

Quam egregiè suo tempore Iohannes insinuarit præsentiam Messiæ, qui tàm diu desideratus à Patriarchis, Prophetis & totâ Ecclesiâ Iudaicâ.

Festo Nativitatis.

Quàm luculenter hoc Angelo designata Nativitas & Præsentia Salvatoris nostri.

Dominica I. post Nativitatis.

Quid deceat hoc tempore, in quo differitur de adventu Salvatoris nostri salvari, non tantùm viros sed & fœminas, nempe insequi Hannam & illius ivere vestigia.

In Festo Circumcisionis.

Quod nomen Iesu, cui tantus in V. Test. præludium, quod Messiæ datum in Circumcisione, quodque signat primum diem in Anno hoc, sit summa, epitome & compendium omnium beneficiorum illius, qui mediator inter Deum & homines.

Dominica I. post Circumcisionis.

An juxta voluntatem Decretivam in Exilium eundum, quomodo ad Exemplum Iosephi debitè, decenter, & convenienter nos geramus.

In Festo Epiphaniæ.

Quàm male se gerant filii seculi Christo insalutem omnium hominum in orbem misso.

Dominica I. post Epiphaniæ.

Cur Salvator noster se manifestarit & venerit in hunc Mundum, nempe etiam hoc fine, ut viam ostendat hominibus ad salutem & beatitudinem æternâ.

Dominica II. post Epiphaniæ.

Quomodo ratio sibi relicta erroneè sapiùs ratiocinetur.

Dominica III. post Epiphaniæ.

Quomodo nos gerere debeamus, si in Angustiâ Crucis adire desideramus Deum, quærere opem & auxilium, nempe humiliter.

Domi-

Dominica IV. post Epiphaniæ.

Quanti æstimandus sit Salvator noster.

Dominica V. post Epiphaniæ.

Quòd permittendum sit malos & impiùs hæreticos versari in agro Domini vel hoc mundo, nec gladio illos violenter esse exscindendos.

Dominica Septuagesimæ.

Quàm sapienter, mirabiliter & liberè Dona gratiæ distribui soleant in Ecclesia, quæ est in his terris,

Dominica Sexagesimæ.

Quòd Causa Verbi non ad salutem audientis non sit quærenda nisi in Auditore.

Dominica Quinquagesimæ.

Quid in Cruce seculi omnes & singulos deceat cottidiè ingeminare, nempe Jesu, fili David, miserere mei

Dominica Invocavit.

Quomodo Diabolus sensim soleat tentando præcipitare, & tandem in Exitium non probe solidatos agere.

Dominica Reminiscere.

Quomodo ascendendo Deum, quærendo opem & auxilium nos gerere debeamus.

Dominica Oculi.

Quàm gloriosus Victor sit Salvator noster, & debellator potestatis diabolicæ.

Dominica Lætare.

Quomodo Ecclesia in his terris commodè nobis adumbretur in hujus populi ejus.

Dominica Judica.

Quàm perversè & impiè sentiat ratio de Salvatore nostro Jesu Christo.

Dominica Palmarum.

Quid nos deceat circa hoc Tempus maximè, nempe in laudes Dei nos totos effundere.

Festo Paschatos.

Quid nostris officiis hoc die, hoc festo solenni & lætο, nempe meditari, loqui, & deprædicare de Messiâ seu Salvatore nostro resurgente, qui ut agnus mortuus, ut Leo de Tribu Juda vivit.

Dominica Quasimodogeniti.

Quòd in Ecclesiâ Christi in his terris præter potestatem remittendi peccata quæcunque sit facultas retinendi illa.

Dominica Misericordiæ.

Quàm latè patentis gregis pastor sit Salvator noster Jesus Christus.

Dominica Jubilate.

Quodnam sit unicum Solatium, gaudium & refectio Christianorum in hâc miserrimâ vitâ, nempe uno Verbo, manifestatio, seu apparitio Salvatoris nostri, quam tam veraciter & luculenter promisit.

Dominica Cantate.

Quis Verus ac fidelis Dux in vitâ hujus vitæ ad Beatitudinem æternam, nempe uno Verbo Spiritus sanctus.

Domi-

Dominica Vocem Jucunditatis.

Quæ, qualis & quanta fuerit scientia Salvatoris nostri non tantùm secundùm divinam, sed etiam secundùm humanam naturam, nempe uno verbo maxima sive infinita.

Dominica Exaudi.

Quantum excitari perversa filiorum seculi increscere & augeri soleat circa persecutionem Ministerii sacri.

In Festo Pentecostes.

Quàm validum sit solatium Evangelii, verbi illius, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti.

In Festo Trinitatis.

Quàm egregiè à Christo adumbratus sit & delineatus Spiritus regenerans.

Dominica I. post Trinitatis.

Quam post hanc vitam, qua gratia, Impiis præcisa sit omnis spes solatii.

Dominica II. post Trinitatis.

Quàm insignis, quàm benigna, quàm ampla fuerit gratia N. T. Evangelica.

Dominica III. post Trinitatis.

Quidnam Ecclesiæ sit officium, si ad pœnitentiam attendat peccatoris, nempe Gaudium de illâ conceptum diffundere & propagare.

Dominica IV. post Trinitatis.

Quod nimis intensa inspectio & observatio vitæ & actionum proximi extra officii conditionem & obligationem planè à Christo non probetur, sed potius rejiciatur & condemnetur.

Dominica V. post Trinitatis.

Quid omnibus & singulis humiliter non tantùm agnoscendum, sed & publicè confitendum, nempe illud, quod Paulus dicit, omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei.

Dominica VI. post Trinitatis.

Quod nulla sit spes damnatis evadendi, sed æternùm teneantur conclusi.

Dominica VII. post Trinitatis.

Quomodo ad Exemplum corporalis hujus cibationis adhuc institui possit cibatio spiritualis.

Dominica VIII. post Trinitatis.

Quid immineat illis, qui exscindendi & ab Electis separandi, nempe uno verbo Infernus, dura Expectatio Judicis, ignis æmulatio, quæ consumturus est adversarios.

Dominica IX. post Trinitatis.

Quomodo Christiani maximè esse debeant sollicita prudentia, qua collimat ad bona æterna.

Dominica X. post Trinitatis.

Quàm egregiè ipso facto miraculoso Christus demonstraverit potentem Reformatorem Ecclesiæ.

Dominica VI. post Trinitatis.

Quàm firmum fundamentale & æternum Verum illud Pauli: arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus Legis.

Dominica XII. post Trinitatis.

Quid deceat nos post divina beneficia cœlitus dispensata, nempe pia, devota, & salutaris admiratio.

Dominica XIII. post Trinitatis.

Quàm audax & viperinum genus hominum, quàm Deo displicens cœtus operatorum.

Dominica XIV. post Trinitatis.

Quàm grande, turpe & fœdum peccatum sit Vitium sit ingratitudo.

Dominica XV. post Trinitatis.

Quàm exigua fidei judicium sit sollicitudo illa nimia de vestitu.

Dominica XVI. post Trinitatis.

Quantum sit favor, quantum beneficium quanta gloria Visitatio singularis.

Dominica XVII. post Trinitatis.

Quantum superba, fastuosa & pharisaica corda displiceant Deo in convivio, quod paravit in regno suo, in Ecclesiâ in hac terris.

Dominica XVIII. post Trinitatis.

Quantâ majestate polleat Christus Salvator, noster etiam secundùm humanam Naturam.

Dominica XIX. post Trinitatis.

Quid & nos deceat ad conspectum miraculorum in Verbo divino nobis propositorum, nempe uno verbo devota & pia admiratio.

Dominica XX. post Trinitatis.

Quàm malè sonet judicium divinum, si ad apparatum gratiosi Convivii divus Deus, hospites non erant digni Convivio.

Dominica XXI. post Trinitatis.

Quidnam sit officium illorum, qui è cruce emergunt, nempe pia, seria & devota meditatio.

Dominica XXII. post Trinitatis.

Quàm proni esse debeamus ad remissionem debitorum & injuriarum nobis illatarum.

Dominica XXIII. post Trinitatis.

Quid subditos deceat, nempe secundùm Effatum Christi reddi tio debita extensa & fundi.

Dominica XXIV. post Trinitatis.

Quomodo mors, maximè verò piorum debeat considerari, spectari, attendi.

Dominica XXV. post Trinitatis.

Quomodo in extremis calamitatibus Deus nihilominus pro insigni sua benevolentiâ strictiras misericordiæ immiscat.

Domi-

Dominica XXVI. post Trinitatis.

Quàm gloriosum futurum sit Electis, si in hâc vitâ fuerunt fœcundi bonis operibus sive actibus misericordiæ.

Feria Andreæ.

Quomodo legitimè se parent ad officium & ministerium sacri vocati.

Feria Thomæ.

In quo consistat vera fides in Messiam verum sive Christum.

Feria Stephani.

Quantus sit Affectus Christi, & fuerit in omnes, quàm sincerus & integer.

Feria Johannis Evangelistæ.

Quomodo in hoc discipulo Idea quadam nobis sistatur genuinorum Discipulorum Christi.

Feria Purificationis Mariæ.

Quid sentiendum sit de morte piorum Christianorum, nempe non esse mortem, sed felicem analysin & transitum ex hâc vitâ in æternam & beatissimam consummatam.

Feria Matthiæ.

Quinam genuini Discipuli in Christianâ Ecclesiâ, & Schola, nempe uno verbo, illi, qui à Christo discunt.

In Festo Annunciationis Mariæ.

Quàm Majestate divus Rex Christus etiam secundùm humanam naturam.

Feria II. Palmarum.

Quomodo Christum hoc tempore spectare, de illo disserere, & meditationes Passionales explicare debeamus.

Feria Philippi & Jacobi.

In quem Christianus verus unicè in vitâ, passione & morte possit respicere, confidere & fundare se, nempe uno verbo in Salvatorem nostrum Iesum Christum.

In Festo Ascensionis.

Quantum à Salvatore nostro virtutis & potentiæ redundaret in Ecclesiam.

Feria II. Pentecostes.

Quantum distent à filiis Dei, qui Spiritum S. acceperunt per regenerationem, filii seculi.

Feria Johannis Baptistæ.

Quid sentiendum de illo, cujus nomen & memorium hoc die festo celebramus, quantus sit æstimandus Iohannes Baptista, qui tempus hoc nomine suo insignit.

In Feriis Petri & Pauli.

Quàm preciosa sit clavis, qua deposita Ecclesiæ, commissa Ministerio.

Feria Jacobi.

Quomodo adhuc dum filios Dei, maximè vero Ministros Ecclesiæ, oporteat in cruce & tribulatione conformari Imagini Filii Unigeniti.

Feria Bartholomæi.

Quàm egregium sit perseverare in fide christianâ, constantem se præstare usque in finem.

Feria Matthæi.

Quòd ad Exemplum Christi misericordiam ut commendatissimum Affectum passim manifestare debeamus.

Feria Simonis & Judæ.

Quòd illa, quæ accidunt Ministris Ecclesiæ, maximè, generatim verò omnibus fidelibus non sint ignominiosa, sed potius gloriosa.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

A.

Aaronis Virga miraculosè fructus ferens. p. 383.
Abel & Cain quid sacrificaverint 261.
Abelis sacrificium Deo placet. 458.
Abrahami favor Ismaelem invitantis. p 205.
Ejus victoria de Regibus V. pag. 113. humiliat se coram Domino. p. 66. Convivio excipit tres viros. p. 357. illuminatus singulariter. p. 37.
Achitophel flectit Absolonem. p. 101.
Admirationis spiritualis forma. 336.
Ægyptus quæ. p. 288. 289. Grando immissa p 243. Tenebræ. p 89. p 426.
Ἀναχώρησις. p. 8.
Angeli apparitio Manoe facta. p. 25.
Ἀνθομολογέσθαι quid. p. 32.
Ἀποκτείνειν. p. 179.
Ἀπολύειν. p. 391.
Apostolorum missio. 208.
Arbor vitæ documentum potentiæ, sapientiæ & bonitatis divinæ. p. 19.
Auxilium quærentes humiliter se gerere debent p 109.

B.

Βάπτισμα quid. p. 245.
Baptismus Christi metaphoricus. p 446.
Beneficiorum divinorum admiratio quibus absolvatur. p. 271.
Benhadad servi submittentes se Achabo p. 332.

C.

Cain. p. 262. Sacrificat. p. 261.
Calamitatibus DEVS strictures misericordiæ immiscet. p. 353. humiliter gerere debemus. 68. intus ut conformandi Christo. p 466. ad gloriosæ. p. 446.
Calamitatum multitudo. p. 453.
Carcer infernalis. p. 234.
Carmeli montis situs. p. 275.
Christus, ejus affectus in genus humanum integer & perfectus. 171. Apparitio solatium unicum Christianorum in hâc vitâ p. 182. Majestas. p 74. Nativitas Angelo designata. p 27. Majestas secundùm utramque naturam. p. 310 404. in passione & morte Christianus in eo confidere potest. 416 Ejus Ecclesiæ potestas remittendi peccata. 105. Pastor amplissimus. p 156 Propheta. p. 39. Rex p. 40. secundùm utramque naturam. p. 404 410. Sacerdos. p. 39. Passio ejus innocens, & maruleuta p. 411. Reformator Ecclesiæ. p. 257. Regni Christi æternitas.

nitas. p. 405. varietas. p 404. forma. 405. resurrectio deprædicanda. p. 142. via veritas. vita. p. 56. 416. Victor Diaboli. p. 115. Scientia secundùm humanam naturam infinita. p. 174.
Christianorum sollicitudo prudens de bonis æternis p. 251.
Cibatio spiritualis. p. 239.
Cibatio esurientium. p. 360.
Claves Ecclesiæ quid notent. p. 439. Ministerio commissæ pretiosæ. p. 440.
Columna Nubis & ignis creatura admirabilis. p. 414. index viæ. p. 166.
Confessio peccatorum humilis & publica. 226.
Constantia virorum Davidis. p 450.
Convivia cœlestis gratiosi dignitas. p. 323.
è Cruce emergentes meditari seriò decet. 328.

D.

Damnatorum Status æternitas. p. 202. immutabilis. p. 201. p. 233. 245.
David Rex celeberrimus p. 402. Solomonem Regem constituit. pag. 348. Victor Goliathi. p. 420.
Debora lætabunda. p 140.
Decreti divini circa damnatos immutabilitas. p. 201.
Διδασκαλικὸν quid. p. 263.
Demetrius ingratus erga Ionathan. p 281.
DEVS legislator. p. 233. concelebrandus. p. 34. p. 135.
Diabolus tentando præcipitat in exitium p. 103. vincitur à piis. 423.
Διχοῦν p. 452.
Dierum truncatio quid notet. p. 352.
Discipuli Christi docites. qui. p. 398.

E.

Ecclesia Christi habet potestatem retinendi peccata. pag. 149. Sustentatur spe æternitatis. p. 9. Vitrix Diaboli p 423.
Ἐκβάλλειν. p. 256.
Ἐκπλήττεσθαι sensus. p. 270.
Eleasar exemplo illustri prælucens juventuti & Israelitis. p. 396.
Electi p. 355.
Elias Propheta cognitu facilis. p. 13.
Elisa obsequitur Eliæ. p 365. vir admirandæ perspicaciæ. p 172.
Ἐπεσκέφατο cujus emphasεως. pag. 297.
Ephraimitæ impudentes. p. 60.
Evangelium solatium validum. pag. 188.
Exilio quomodo convenienter nos geramus. p. 45.

Θ.

Θεσμὸς. p. 79.

F.

Fames spiritualis. p. 240.
Fides vera in Messiam quibus absolvatur partibus. p. 373. 374. cà justificamur p. 264 265. opponitur operibus. p. 265. appropriat Messiam. p. 374.
Fidei confessio Israelitarum. p. 371. ejus consensus in Christum piorum V. & N. Test. p. 3.
Fidei Perseverantia. p. 453.
Filii lucis quinam. p 251.
Filii seculi à filiis lucis differunt. p. 428.
Fraternitatis propinquitas. p. 221.
Functionis Sedulitas. p 386.

G.

Glezi encomiastes factorum Magistri. p. 133.
Gramen. p. 291.
Grando Ægyptiis immissa. p. 243.

Gratiæ conditio. p. 304. ejus dona mirabiliter & sapienter & liberè distribuuntur in Ecclesiâ p. 85. ejus in N. T. amplitudo & diffusio. p. 207. 380.

H.

Hæretici non exscindendi. p. 79.
Haman quis. pag 302. ejus Suspendium p. 302.
Hanna solicitè Tobiam filium quærens. p. 54.
Hominis præeminentia. p. 292. ejus egestas. p. 380.
Humiliter in cruce gerere nos debemus. p 68.

I.

Jacobus à fratre Esavo totus differens. p. 249. Pastor ovium Labani p. 154.
Iacobus Patriarcha in Ægyptum profectus. p. 43. eius filii alterantur ad pecuniæ conspectum. 314. reddunt argumentum. p. 211.
Iehova nomen Rabbini inscriptum tradunt lapidi Davidis. p. 421.
Ieremias exemplum patientiæ. 408
Ierichuntis Topographia. p. 120.
Iesus solus ἀναμάρτητος. p. 228. ejus nomen compendium omnium beneficiorum p. 59.
Iezabel Regina sanguinolenta. 178.
Imago viva præconis pœnitentiæ. p. 15.
Impii. 234.
Indignitas humana. p. 68.
Indignitas hospitum ad gratiæ mensam invitatorum. p. 322.
Infernalis supplicii gravitas. p. 246.
Ingratitudo fœdum & grande vitium p. 283.
Injuriæ remittendæ 334.
Inspectio intensa vitæ & actionum proximi reprobatur p. 220.
Iohannes Baptista quantus vir. 435. Evangelista. p. 384.
Ionathas Maccabæus. p. 282.
Iosephi Ministerium in domo Potipharis. p 438. splendidè à Deo vestitus. p. 288. 438. Simeonem ligat. p. 147.
Iosua mysterio fœcundum ordinem constituit. p. 198.
Israelitarum seniotis visitat DEVS. p. 295. mirabiliter DEVS egit cum ipsis 83. periculum & metus transeuntium per mare rubrum. p. 44. pulchra castrametatio in planitie Ierichuntis. p. 119. tempore messis ingrediuntur in terram Canaan. p. 77.
Iudas Maccabæus templi repurgator. p. 255.
Iudicium DEI circa Abelem & Cainum sacrificantium. 261.
Iudicium divinum de indignis hospitibus Conviviì Evangelici. p. 321.
Iudicii extremi severitas. p 246
Iudicium & infernus damnatos manet. 245.
Iustificationis forma. p. 265. ejus objectum. p. 264. pharisaica. p. 277.

K.

Καθαρίζω. p. 285.
Κάρφος. p. 219.

L.

Laus DEI cantanda. p. 135.
Liberationis Hora. p. 329.

M.

Magi. p. 50.
Magistratus ἐξουσία p. 341.
Majestas DEI veneranda. p 374.
Majestatis Regiæ qualitas. p. 341.
Mamre descriptio. p. 67. 358.

Mani-

Manifestatio DFI læta Israeliticis Scriptoribus. p. 160.
Manoæ apparet Angelus. p. 25.
Merachephet cujus emphasεως 378.
Mephiboseth humilis erga Davidem p 107. miseriam ingenue profitetur p. 224.
Messiæ præsentia egregiè insinuata à Iohanne. p. 21.
Ministrorum vocatio. p. 239. Causa efficiens vocationis. 467. 367. Finis 368. persecutionem patiuntur. p. 180 conformandi in hoc Christo. p 446. Calamitas iis gloriosa. 466.
Ministri probi idea. p. 385.
Miraculorum majestas p. 136. eam admirari decet. p. 316.
Miriam decantans carmen Domino. p 31.
Miseria nostra agnoscenda. p. 109.
Misericordia Christi quotidie ingeminanda. p 97.
Misericordiæ actus electis gloriosi. p. 360. commendatissimi sunto. 460 Objectum p. 461.
Mons Ebal. p. 199 Garizim. 198.
Mors piorum somnus. 346 transitus in beatitudinem. p. 392.
Moses liberationem ex Ægypto annunciat. p. 185 solenniter DEVM deprædicat p. 71. Mannam cum fratre Aarone procurat. p. 257.

N.

NAaman. p. 390. felix discessus ab Elia p. 389.
נ quid notet. p. 309.
Nabal stultus 275.
Noachus cum familiâ conservatus. pag. 351.

O.

Οἰκονομία. p. 168.
Οἰκτιρμὸς Ἰακωβ. p. 401.
Οἰκία. p. 84.
Ὄμμα, quid. p 61.
Operariorum Cœtus DEO displicens. 277.

P.

PAnes subeinercii. p. 358.
Παραβολαὶ quid significent. 90.
Παραπίπτω p. 239.
Peccatorum Confessio humilis ac publica. p. 226. peccatore pœnitente Ecclesia gaudere debet. p 213.
Peregrinorum receptio. 360.
Perseverantia fidei finalis. p. 453.
Πεσὼν p. 334.
Petri persona. p 225.
Pœnitentiæ Præconis imago. p. 15.
Potatio sitientium. p. 360.
Proximus quis. p. 279. 374.

R.

RAtio sibi relicta erronèe ratiocinatur. p 62. impiè sentit de Salvatore Iesu. p. 128.
Regenitorum conditio. p 226.
Remissio injuriarum decet. p. 334. de resurgente Christo meditari par est. p. 142.
Ruth ad pedes Boazi demissa. p. 344.

S.

SAcrificium Abelis & Caini dispar. 488
Salomonis regnum instans colligitur p 7
Samuel rationis judicium secutus erat. p. 126.
Saul Rex à Samuele declaratus. 339. quærens de Davide p 49. in Ionathanem filium nimium sævit Inquisitio. p. 217.

Seculi

Seculi filii adversantur Salvatori Universali Christo. p 51.
Serubabel Princeps inclytus p. 95.
Simsonis nativitas p. 432.
Sitientium pœtatio p. 360.
Σκῦλα quid sint. p. 115.
Sollicitando vestitus nimia exiguæ fidei index p. 290.
Somni natura. p. 346.
Splitterrichten 220.
Spiritus S. Creator. p. 377. incubens aquis p. 192. 377. Regenerans symbolo venti adumbratus. 194. Dux fidelis in viâ ad beatitudinem. 168.
στήμη. p 67.
Subditorum erga Magistratum officium p 341.
Superba corda DEO displicent. p 304.
Συαυξανεσθαι sensus. p. 78.
Syri indigni convivio Iorami. p. 319.

T.

TEmpli frequentatio. p. 33
Temporalium vilitas p. 367.
Tenebræ Ægypti p. 89. 426.
Tobiæ patris & filii erga Evergetam gratitudo. p. 269. Senior intentus filio reduci p 326.
Topographia montis Ebal. p 199. Garizim 198. p. 326. Ieruhuntis. 120. Manre. 67 328.

V.

VErbum Evangelii solatium validum. p 188.
Verbi non auditi causa quærenda in Auditore. p. 91.
Virga Aaronis. p. 383.
Visitationis DEI singularis, favor & gloria. p. 297 forma. objectū. 297.
Vocario Ministrorum p 239.
Votum novi anni p 42.
Vrias generosus Heros p 464.
Vva Exploratorum spectaculum insigne. p. 1.

Ψ.

φαῦλα. p. 428.
χασμα quis ejus sensus. p. 200.

Z.

ZEdekias oculis privatus. pag. 23. triste ejus fatum. ib.

FINIS.

VAL 252078